






V
B
3
C





PHILOSOPHIAE CIVILIS
SIVE
POLITICAE
PARS TERTIA
SISTENS
SAPIENTIAM PVBLICAM
IN
PERFICIENDIS CIVIVM VOLVNTATE
EORVNDEMQVE
CORPORE ET STATV EXTERNO

TANQVAM
CONTINVATIONEM SYSTEMATIS
PHILOSOPHICI
CHRISTIANI L. B. DE WOLF
POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS CONSILIARII INTIMI,
FRIDERICIANAE CANCELLARII CET.

AVTORE
MICHAELE CHRISTOPH. HANOVIO,
GYMNASII ACADEMICI GEDANENS. PROFESS. PHILOS.
EIVSDEMQVE BIBLIOTHECARIO.

CVM PRIVILEGIIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
PROSTAT IN OFFICINA LIBRARIA RENGERIANA.
MDCCLVIII.



PRAEFATIO.



Prodit paulo tardius citra culpam meam tertius hic Scientiæ civilis Tomus, quod quomodo contigerit enarrare lubens ſuperſedebo. Continetur in illo reliqua pars ſapientiæ publicæ, in ſtatu pacato potiſſimum exſerendæ. Agitur in hoc ſtatu de cura omnes atque ſingulos cives, quantum conjunctis viribus fieri poteſt, beandi fortunandique. Quo pacto in hunc finem facultates virtutesque intellectus excolendæ ſint, ſub finem Tomi ſecundi jam erat oſtenſum. Quod

plura ei Tomo destinata fuerint, ex conspectus titulo patet; quæ dein mutanda fuere, cum prelum doceret, abrumpendam esse paragraphorum seriem, mutatisque numeris pro hac parte denuo ordiendam.

Hic ergo demum absolvitur, quod pars secunda capere nequivit. Scilicet felicitatis civium causa post intellectum emendanda est, & virtutibus probe excolenda voluntas. Quare primo loco sapienti opus est cura sacrorum seu religionis, qua officia erga Deum testanda, pietatisque virtutes sunt quam optime perficiendæ, earum impedimenta e medio tollenda, adminicula autem & invitamenta quam validissima adhibenda. In qua cura Deum sapienter imitandum esse docetur, nulla coactione homines ad religionem compellentem, sed animum argumentis convincentem. Neque prætereundum fuit, quid in religionum diversitate aliis aliisque casibus observandum sit; quid de religione aulica, prævalente & tolerata tenendum; quando & quomodo emigratio concedenda sit? Quid sanciendum sit de templis, festis, de imperio & dominio ecclesiastico, de jure reformandi & defendendi religionem?

Curam sacrorum excipit cura sapienter perficiendi imperium sui ipsius, quo officia & virtutes erga se ipsum provehi debent, quoad ejus civitas

pot-

poteſt. Hinc urgenda officia parentum, tutorum, magiſtrorum omnis vitæ generis, eruditæ quoque & adultioris ætatis, ut in regimine affectuum, & vincendis ſe ipſis proficiant inde a pueritia usque ad ſenectutem, quotquot in civitate commorantur. In primis cavendum, ne ſimpliciores vana veri bonique ſpecie decepti felicitate excidant, ſed potius, cuſtodia conſcientiæ vera, tranquillitate animi ſorte ſua contenti fruantur.

Jam in virtutibus erga alios principem locum tenet juſtitia publica. Quæ cum omnes ad felicitatem civilem perneceſſariæ ſint, ideoque curandum ſit, ut eas colentibus melius multo ſit, quam negligentibus: hæc publica juſtitia inprimis erga univerſos ab adminiſtrantibus remp. accurate eſt exercenda in omni ambitu ſuo, *intus extusque.* Tribuere utraque debet & bene & male factis, quod juſtum eſt æquumque; illis benevolentiam, munificentiam magnificentiamque in præmiis promeritis; his pro re nata magnanimitatem generoſi injuriarum contemtus, & vindictam pœnarum publicam debitamque. Præmia hæc redeunt ad bona fortunæ ſapienter diſtribuenda merentibus, gratiam, dignitates civiles, reditusque publicos. Inter illas eminet nobilitas ſuperior & inferior cum ſocietatibus ordinibusque honorificis utriusque ſexus. Pœnas e contrario conſtituunt mala fortunæ, dictis

bonis adversa, & cohibendæ legum transgressioni sapienter adplicanda, augenda, mitiganda aut & remittenda.

Subjungenda huic est justitia & æquitas privata in pactis actibusque beneficis ad salutem publicam attemperanda. Eaque procuranda est cum in societatibus primigeniis, conjugum, parentum & familiarum; tum in ortis inde civium societatibus inter se & cum exteris, æqua litium obortarum compositione per arbitros privatos aut e magistratu. Huc pertinent leges testamentorum, exhæredationum, legatorum donationum mortis causa & inter vivos; leges successionum ex pactis successoriis & ab intestato sapienter instituendæ; leges de jure accrescendi, adeundi & repudiandi hæreditatem; leges bonorum caducorum; leges adoptionum & piarum causarum, quæque cætera his insunt & subsunt.

Non-minoris momenti est cura justitiæ privatæ in contractibus omnis generis, beneficis pariter ac onerosis. Contractibus enim beneficis ulterior eaque mutua inest obligatio perfecta, quæ ibi non datur, ubi actus beneficus in præsens absolvitur, uti in donatione omnium aut quorundam bonorum. Contractus, quia mutuam eamque perfectam inducunt obligationem, requirunt, ut utrinque eidem satisfiat, opitulante publica autoritate & legum executione. Conspicuum illud est in sponsali-

ſalibus, nuptiis, matrimonio, & divortio ſapienter dirigendis. Nec minus id requiri patet, in commerciis eorumque incrementis provehendis, detrimentis autem & impedimentis tollendis, ope legum mercatoriarum & nauticarum, proceſſus breviſſimi in diſſidiis definiendis, juris cambialis, & remediorum fraudulentiæ pecuniæ decoctorum.

De cæteris res æſtimandi, juſte & tuto alienandi, optimisque reliquis contrahendi modis itidem tam ſapienter providendum eſt, ne facile fraus & periculum cuipiam creari poſſit. Attendenda hæc ſunt inprimis in rerum immobilium alienatione, lege permutationis, emtionis, cenſitica, angariali, locationis hæreditariæ & perpetuæ, libellaria, emphyteutica, ſuperficiei, feudali, clientelæ. Attendenda quoque ſunt in alimentorum exploratione, pondere, menſura & pretio pro re nata definiendis; in ſecuritate mutui, & rerum commodatarum procuranda; in mandatis, depoſitis, ſequeſtro, & rebus pupillaribus, curandisque, ad ſalutem publicam dirigendis; in vulgari locatione rerum & operarum; in contractu fœnebri, & uſurarum modo ponendo, ne uſuraria pravitas irrepat, nec multi deſides uſuris victitent, aut otiandi libidini indulgeatur; in ſocietatibus, & affinibus pactis in ratas initis, in pecudum traditarum reſtitutionem &c. comparatis.

Neque negligenda ſunt eadem in contracti-

bus

bus propter debitorum ſecuritatem adhibitis, veluti in pignoribus, hypothecis, fidejuſſionibus, expromiſſionibus, in redemtione, conſtituto, delegatione, aſſignatione, ceſſione, novatione, transactione, quibus nonnunquam & mulctæ conventæ, atque olim pœna infamiæ, obſtagium & ſimilia acceſſere; in contractu æſtimatorio, inſtitorio, exercitorio, innominatoque; in quaſi contractibus, negotiorum geſtione, indebiti ſolutione, quaſi locatione, communione &c.; in contractibus aleam ſubeuntibus, ludis, ſponſionibus, vitalitiis, ratis fodinarum, emtione ſpei, v. c. miſſilium, emtione per averſionem, & ſortilegiis; in ſervitutibus denique modisque tollendi obligationem,

Hæc, in Sectione prima hujus partis tradita, faciunt ad virtutes morales, civilibus inſtitutis perficiendas. Sed præter bona animi in civitate amplificanda, dantur quoque bona corporis & fortunæ, indidem incrementa ſortitura, quæ ſectioni ſecundæ ſubſternuntur. Inter bona corporis primum tenet locum vita, qua nil carius merito, nil commendatius naturâ homini eſſe conſuevit. Itaque præcedit in hac diſcuſſione cura vitæ ejusque præſidiorum primaria, ſic ſapienter inſtituenda, ut civium mors, quantum fieri poteſt, avertatur. Inde proſcribenda eſt tum αὐτοχειρία, tum μονομαχία omnis, utpote illicita, cum cauſis & fomentis ea-

run-

rundem; tollendi ſunt globi latronum, prædonum, furum, ſicariorum; toleranda non ſunt bella privata, & vitanda quoque publica, quantum officia permittunt. Præcavenda admodum homicidia doloſa & culpoſa, pocula abortus, infanticidia, ſupplicia plurimorum.

Curandum eſt impenſe, ut omnibus recte ſe gerentibus ſuppetant vitæ præſidia, ſalubris aër, victus, amictus, domus. Hinc docetur modus indagandi ſalubritatem aëris, conſeruandi eandem, & in uſum vocandi, inſalubritatem vero, ubi fieri poteſt, ſanandi, ſubſtituto ſalubriori. Quorſum & faciunt templa ſat alta & ſpatioſa. Majorem curam requirunt alimenta ſalubria & copioſa, petenda ordinario more ex annona domeſtica, diligenter multiplicanda & reſeruanda, ex re pecuaria rite curata, ex aucupiis, venationibus, & piſcationibus tempeſtivis legibusque circumſcriptis. Parem curam requirunt & potiones naturales, & arte paratæ, ne qua mors e poculis hauriatur. Extra ordinem alimenta illa aliunde ſunt procuranda.

Quoties contagia peſteſque veſtibus, veſtium materia, lectis, mercibusque aliis diffundi et e locis peregrinis afferri conſueverunt? Nonne propterea opus eſt, ut diligenter caveatur, ne id fiat? Docendi igitur fuerunt modi ſapienter obtinendi, tum ne ingruat contagium, tum ut emergens

quam primum, ac minimo, quo poteſt, damno extinguatur. Hanc in rem non ſola magiſtratus cura ſufficit, ſed et medicis opus eſt revera peritis & cordatis, aut ſalario alendis, aut & aliis privilegiis immunitatibusque incitandis ad bene conſulendum civium ſanitati ac ſanationi; opus eſt pharmaceutis, artis ſuæ pergnaris, medicamentisque exquiſitiſſimis & comprobatæ virtutis. Quæ cura quid requirat, prætereundum haud fuit.

Neque minus aliis morbis medendum eſt, qui licet non inficiant alios, tamen haud paucioribus, quam contagioſi, ſanitatem eripiunt vitamque. Quatenus igitur fieri poteſt, ne, defectu medicinæ & ſanationis ſapientis, multi cives inepti redduntur ad officia, aut miſeri ſint, et intereant, cum ſanari potuiſſent; eatenus debita & hujus curæ ratio eſt habenda, & quomodo habenda ſit, non debet ignorari. Cum cæterarum artium magiſtri egeant adjutoribus a ſe alendis, quod in arte medica ita comparatum non eſt; præter medicos publicos admittendi ſunt privati, privilegiis interim aptis donandi loco ſalariorum, qui curent, quæ publici curare nequeunt, & tum ægrotorum tum mortuorum publicorum vices ſubeant, felici praxi peritiæ ſuæ documenta præbituri, ſaltem honeſte ſe ſuſtentando civitati profuturi, in qua degunt.

Aliter ſtatuendum eſt de chirurgis vulgaribus,

bus, venas ſecantibus, clyſteres applicantibus, luxationes, crurifragia, vulnera &c. ſanantibus, qui, quatenus tonſtrinam ſimul exercent, opificum potius e numero ſunt, quam poliatrorum. In vulnerum autem ſanationibus, obductionibus, membrorum amputationibus, ob morbos ſimul & pericula vitæ, item vulnerum letalitatem dijudicandam, adhibendi ſunt medici ſcientiæ profundioris, qui uti examinatores ita & directores chirurgorum tum recte conſtituuntur, cum chirurgiæ ſcientiam exactius, quam chirurgi, callent. Intricatiſſimis caſibus excutiendis & abſtruſis eruendis, præter artem anatomicam, operam dabit academia ſcientiarum, quatenus chirurgiæ & medicinæ una operatur, aut ſolis hiſce deſtinata habetur.

Adjungenda his eſt cura incolumitatis, integritatis membrorum organorumque, & reliquorum corporis ſtatusque ejus bonorum, arcendorum autem his repugnantium malorum. In quorum cenſu cum ſint pulcritudo, robur, vigor, alacritas, agilitas, dexteritas, artes mechanicæ, cujuscunque ſint generis nominisque, commoditas & jucunditas vitæ innocua; pateſcit, quam varia & multa hæc cura comprehendat, quæ non fuere diſſimulanda, ſed breviter potius perluſtranda. Artium quidem mediarum, humilium, & ſordida-

rum quoque, idonei tamen requiruntur magiſtri, eorum manu & ope facta opera, quæ ſignari poſſunt, fraudum arcendarum cauſa ſignanda ſunt, aut æſtimanda a peritis. Cæterorum aut opifices aut venditores cum noti ſint, conveniri de damno dolove poterunt, ſi tanti videbitur eſſe.

Commoditatis cura arcet moleſtias, quæ evitari poſſent, incomodaque vera, procurando abundantiam rerum utilium, naturalium artificialiumque, v. c. ædificiorum, platearum, viarum, portuum, diverſoriorum, utenſilium, veſtimentorum, lectorum, armorum, inſtrumentorumque, æquo pretio comparandorum. Licitæ autem iucunditatis procuratio occupatur circa oculorum, auriumque oblectamenta, circa ornamenta cujuscunque indolis receptæ, circa artes ad ſenſuum delinimenta facientes, circa delicias palati & res ſapidas, circa abundantiam rerum ſuaviter fragrantium, & male olentium remotionem, denique circa res tactui molles gratasque, & recreationes corporis honeſtas.

Sequitur ſapiens cura civium fortunæ, quæ benevolentiam, honores, opesque eorum ſpectat. Benevolentia complectitur poſt amorem favoremque, charitatem, amicitiam gratiamque, mutuis officiis provocandam, fovendam, perficiendam,

mo-

modis breuiter enarratis. Complectitur concordiam promouendam, uti inter quascunque societates simplices, & compositas minores, & praecavendam sopiendamque discordiam, diffidentiumque litem inimicitiamve, ita inter cives universos, ad praevertendas factiones seditionesque. Eadem de causa expeditiora reddenda sunt matrimonia, sublatis mere arbitrariis impedimentis; dissolvenda autem infausta, quae scopo suo prorsus repugnant.

Ratione honorum eo vertenda est publica cura, ut virtutibus eos mereri studeant, quotquot possunt, & ut digni promerito honore afficiantur, ac ad plura merenda excitentur. Quoniam honore merentes afficiendi sint, publico declarandum est judicio, quod caeteri sequantur revereanturque. Quod fit collato fructu jurium honorificorum, hoc est dignitatum civilium, indiciorumque praestantiae receptorum & honestamentorum publicorum, cujusmodi sunt insignia, tituli, ordines honorifici, locus prior in ordine sedendi, incedendi, suffragandi. Vbi cavendum, ne quis immerito aliis praeferatur, ne quid fiat fomiti meritorum adversum, & ne ignominia injuriaque impune afficiantur, suo merito honoribus condecorati.

Procuranda quoque ſunt civibus ſubſidia, honeſte rem faciendi, diteſcendi & opum jacturam avertendi. Quem in finem ſtudendum eſt, ut floreant artes chrematiſticæ, deſides autem ad officium adigantur; ut colantur & amplientur quam optime proventus rerum naturalium, & quæ ita uſibus nondum ſatis aptæ ſunt, arte elaborentur perficianturque, quantum par eſt; ut commercia externa & interna ſint proficua, noxia autem impediantur; ut teſſeris literariis & cambialibus periculum transportandæ pecuniæ in diſſitis locis & coloniis caveatur. Occurrendum & medendum eſt pro viribus civium inopiæ & annonæ caritati, nec ferendi ſunt dardanarii. Procuranda & conſervanda eſt moneta proba & ſufficiens; arcenda autem vilis, peregrina, improba, & adulterina. Avertenda ſunt curate contagiorum pecuariorum, diluviorum incendiorumque damna, &, quæ averti non potuerunt, ſapientibus inſtitutis, aut omnino, aut ex majori parte, perpeſſis inſontibus ſunt reſtituenda. Fugienda ſunt bella, & quæ evitari non potuerunt, ita ſunt gerenda, ut quam primum exoptata pace componantur. Jam quis eſt, quin pacem nobiſcum a ſummo ejus datore ardentiſſimis precibus ſupplex petat exoretque?

Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.

CON-

CONSPECTVS
POLITICAE PARTIS III.

SECTIO PRIMA
DE
SAPIENTER PERFICIENDA CIVIVM VOLVNTATE.

SECT.

SECTIO SECVNDA.

DE

SAPIENTER PERFICIENDO CIVIVM CORPORE ET STATV EXTERNO.



PHILO-



PHILOSOPHIAE CIVILIS,
SIVE
POLITICAE PVBLICAE
PARS TERTIA,
DE
SAPIENTI CVRA SACRORVM.
SECTIO I.
DE
SAPIENTER PERFICIENDA CIVIVM VOLVNTATE.
CAPVT I.
DE
Sapienti cura Sacrorum seu Religionis.

§. 1.

Præter intellectum emendari quoque ac perfici conjunctis viribus debet civium voluntas. Salus enim ciuitatis primaria continet *Perficienda est civium voluntas.*

(*Wolfii Politicæ P. III, Sect. I, C. I.*)

omnium atque singulorum civium felicitatem, quanta conjunctis viribus haberi potest (§. 39. *P. I. Polit.*); eaque nisi virtutibus quibuscunque civium obtineri nequit (§. 40. *ibid.*). Neque sine virtutibus moralibus quisquam felix esse potest (§. 400. *P. I. Philos. pract. univ.*). Cum conjunctis viribus enitendum sit, ut homines in ciuitate evadant tales, quales postulat salutis publicæ consecutio conservatioque (§. 303. *P. II. Polit.*); ubi conjunctis viribus perficiendus erat intellectus, ita quoque junctis viribus emendari & perfici potest facultas appetendi mentis humanæ, ideoque in civitate voluntas civium & emendanda est & perficienda, quantum conjunctis civium viribus datur.

Spectatur nempe voluntas vel ut facultas, quæ ad habitus legitimos tamquam bonitatem moralem est perducenda; vel quatenus jam corrupta est, vel quatenus ulteriores gradus restant bonitatis adipiscendæ. Primo casu dicitur ipsa excoli et perduci ad bonitatem; secundo emendari: tertio perfici (§. 336. *Oecon.*). Sed ad omnia ista concurrere potest & opitulari opera aliorum, & ad ipsum hoc obligat (§. 612. *P. I. Jur. nat.*): id circo conferendum est, quod in viribus habetur, ad voluntatem aliorum consociata ope excolendam, emendandam, perficiendamque subinde ulterius. Complecti omnia illa potest cura perficiendi seu corrigendi civium voluntatem. Quae cum sapienter sit instituenda: patet, ad sapientiam publicam referendam esse curam civium suorum voluntatem omnemque appetendi facultatem perficiendi. Quod quomodo fieri possit, ulterius erit excutiendum.

§. 2.

Colendo virtutes & fugiendo vitia.

Cuilibet civitati sapienter opera est danda, ut quicunque in ea vivunt, virtutibus cunctis et adquirendis, & exercendis perficiendisque continenter incumbant, a vitiis vero quibuscunque arceantur absterreanturque. Cuique civitati proposita est salus publica, tanquam

quam finis ejusdem (§. 36. *P. I. Polit.*), quæ primario continet felicitatem omnium & singulorum, qui in eadem vivere cupiunt (§. 39. *ibid.*), quæ non nisi virtutibus quibuscunque obtineri potest (§. 40. *ibid.*). Cum salus publica norma sit atque suprema lex omnium in civitate constituendorum (§ 86. *P. VIII. Jur. nat.*): evidens est, cuilibet civitati primariam sapientemque dandam esse operam, ut quicunque in ea vivunt virtutes cunctas adquirere et continenter exercere ac perficere, possint debeantque.

Quoniam vitia virtutibus sunt contraria (§. 321. *seq. P. I. Phil. pract. univ.*), illa felicitati & saluti publicæ repugnant. Qua re cum felicitatis salutisque suæ studiosa civitas operam dare debeat, ut quicunque in ea vivunt, cunctas consectari & assidue exercere possint virtutes, ut modo ostendimus: indidem consequitur, quamlibet civitatem quoque obligari ad operam, quantum sapienter potest, navandam, ut in ea degentes ab omnibus vitiis abhorreant sua sponte, aut si id nolint vel negligant, ab iisdem valide absterreantur.

Duplicis semper generis homines in civitatibus degere solent, sive cives sint sive incolæ, eorumque liberi, sive peregrini. Vnum genus pronum est ad legem naturæ servandam; alterum ab ea alienum habet animum, quorum illud virtuti deditum, hoc vitiosum appellatur. Vnde in constituenda rep. curandum est, ut qui ad legem naturæ servandam proni sunt, iuventur, nec ab aliis impediantur; cæteri autem aut corrigantur aut vi adigantur, ut minimum actus externos ad legem naturæ componant (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*). Insipienter enim ejicerentur e civitate, qui tolerari & corrigi possunt, ut civitati prosint.

§. 3.

Eum in finem adjumenta incitamentaque virtutum moralium largiter sunt procuranda conservanda & idemtidem augenda. Considera- *Suppeditando virtutum*

 mus

moralium adjumenta. mus nempe emendationem voluntatis ut finem obtinendum in civitate (§. 473.), qui causis indiget mediis, quarum ope obtineatur (§. 437. *Ontol.*). Scilicet virtutibus (§. 474.), quæ nunc ut finis, iterum suis causis mediis consequendus spectantur. Hæ cum nos juvent in fine consequendo, merito adjumenta vocantur; & cum simul animum incendant & urgeant, incitamenta dici merentur. Quia finem consequuturus non potest nolle ea, sine quibus is haberi nequit (§. 941. *Ontol.*): liquidum est, perficiendæ voluntatis civium causa adjumenta & incitamenta virtutum moralium in civitate conjunctis viribus largiter esse procuranda, conservanda atque idemtidem augenda multiplicandaque. *His jungenda sunt validissima quæque a vitiis avocamenta* (§. 474.).

Nuda hominum voluntate, soloque voto nihil efficitur nec obtineri potest, sed iis accurate utendum est subsidiis, quorum beneficio prodit quæsitum. Explorandum igitur est, quando id nondum constat, quænam sint illa, sine quibus potiri voto exoptato nequeamus. Quo facto illa comparanda & largiter subministranda his sunt, qui illorum indigent usu. Si eorum usus requiritur perpetuus, oportet, ut et adjumenta illa perpetuentur, ideoque vel conserventur, dum seruari possunt, vel vbi id fieri nequit, alia in priorum locum surrogentur. Denique ubi pristina adjumenta non sufficere amplius deprehenduntur: ibi erunt aliis additis corroboranda, ideoque augenda & amplificanda pro re nata, una cum validissimis remediis vitiorum.

Præceptum nostrum etiam sic ostendatur: civitati cuique ejusque rectori curandum est, ut cives sint virtute præditi, & ne a virtutis tramite ad vitia deflectant, qui vero deflectunt, a vitiis revocentur & in viam rectam reducantur (§. 456. P. *VIII. Jur. nat.*). Curandum igitur quoque, ut cives eorumque liberi virtutibus imbuantur, quantocyus, & antequam vitiis inficiantur, nec facile a virtutibus desciscant & abducan-

cantur; si vero corrumpi se passi sint, in virtutis tramitem revertantur actutum. Quæ cum libenter & libere fieri debeant, opus omnino est argumentis & documentis, animum de virtutum necessitate & utilitate summa convincentibus; opus est quibuscunque virtutum adjumentis illecebrisque, largiter adhibendis, instaurandis & subinde in mentem revocandis augendisque, ut quorumque animus ardenter constanterque summo cum prolubio in earum dulcedinem feratur, & a vitiorum fœditate abhorreat. Si quo errore, aut si qua seductione a semita virtutum recessit, conquiescendum non est, nec ulli parcendum incitamentorum ad virtutem, & avocamentorum a vitio generi, nisi re perfecta, & reducto in viam hallucinante, modo aures præbere rationibus dignetur.

Confitendum enim est, corruptionem invalescere eo usque posse, ut nec divina nec humana virtutum adjumenta, & incitamenta ad easdem, aut avocamenta a vitiis admittantur, sed respuantur obstinate pertinaciterque. Quo casu quid præsidii restet ad cæteros saltem protegendos, & a tali contagio pesteque liberandos, suo exponetur loco.

§. 4.

Et tollendo impedimenta

Quemadmodum adjumenta provehunt finis consecutionem: ita impedimenta faciunt, ne possit obtineri, adhibitis quamquam omnibus ad eum impetrandum requisitis (§ 726. *Ontol.*). Quoniam in civitate perficiendæ civium voluntatis causa quæcunque haberi possunt virtutum moralium adjumenta sunt adhibenda (§. 375. *P. II. Polit.*): *necesse* quoque *est*, *ut ejusdem finis causa impedimenta*, quæ obesse virtutibus moralibus adquirendis exercendisque solent, *omni virium consonatarum contentione prævideantur frangantur & e medio, quantum pote, tollantur, iisque remedia probata opponantur.*

Tela prævisa minus nocent, proverbio dici solet; quod non

minus in quævis obstacula scopi conferri potest. Nam si hæc tollere, cum possis, nolis, excidis fine optato. Sed tollere non poteris, nisi quæ & cujusmodi sint, habeas perspectum, nec facilius poteris tollere, quam si optimam tollendi ea rationem præmeditatam habeas & præparatam. Quod quia fieri nequit, nisi quænam, quot, & quanta sint futura, aut oriri possint, ante exploraveris: necessitas prævidendi, præmeditandi & præveniendi, seu avertendi illa elucet. Quatenus vero arceri nequeunt, præmeditatio tamen efficere poterit, ut in promtu sint remedia, quibus eorum noxa minuatur, repellatur superetur que. Victa si fuerit, tolletur simul, ut fere idem sit, acsi non offecissent.

§. 5.

Quæ sint generalia virtutum subsidia.

Generalia harum virtutum subsidia habentur in promota bona educatione, & viva officiorum cognitione, in bono exemplo prælucente, & addita civili obligatione. Subsidia enim virtutum moralium non sunt nisi earum adjumenta & incitamenta, quæ diximus (§. 475.); eaque vocantur generalia, si in omni virtutum genere locum habent. Constat vero ad omne genus virtutum comparandum valere bonam educationem per *Sect. II. cap. 2. Oecon.* Constat vivam officiorum cognitionem flectere animos ad actiones suas eidem conformandas (§ 244 *P. II. Phil. pract. univ.*). Constat magna exemplorum vis ad cognitionem vivam adipiscendam (§. 273. *ibid.*) & ad cognoscendum intuitive rectum agendi modum (§. 275. *ibid.*). Constat, obligationis civilis vim in mentem humanam itidem se exserere ac obligationem divinam naturalem (§. 240. *P. I. Phil. pract. univ.*), ideoque obligationem hominis fieri eo majorem & fortiorem ad flectendam ejus voluntatem. Quamobrem quando in civitate uti potest ac debet, ita promovetur quam optime bona liberorum educatio, & cognitio officiorum viva, quando a cunctis saltem multis bona præbentur aliis exempla, quando his additur efficacia civilis obligationis, fieri nequit, quin alii in

vir-

virtutibus adquirendis exercendisque his adjuventur excitenturque ut civitas culta evadat (§. 53. *Jur. Gent.*). Quae quia in omnibus virtutum speciebus locum habent, negari nequit, generalia virtutum subsidia contineri in promota valide bona educatione, & viva officiorum cognitione, item in bonis exemplis, additaque officiis naturalibus civili quoque obligatione saluti publicae accommodata. Quae necessaria esse in perficienda civium voluntate patet (§. 475.).

Quamdiu homines se ipsos regere, per aetatis & intellectus infirmitatem nequeunt, tamdiu maxime egent aliorum imperio & auxilio in omnibus, vitae suae partibus, egent ergo bona educatione, non nisi ab aliis ipsis praestanda. Hanc educationem quidem in societate oeconomica praestare ipsis debent parentes eorumque vicarii. Sed & ad illius, uti caeterorum bonorum domesticae societatis, emolumentum complementumque ineunda erat civitas, cum nec singulae domus sibi sufficerent in cunctis, quae ad vitae necessitatem, commoditatem jucunditatemque, ipsamque felicitatem faciunt, nec quiete jure suo frui, quod ab aliis ipsis tribuendum est, satis tuto consequi, seque & sua adversus vim aliorum defendere valerent (§. 1. *P. VIII. Jur. nat.*); nec vici (§. 119. *seqq. P. I. Polit.*); neque pagi & oppida (§. 122. *ibid.*); nec urbes & regiones singulae (§. 127. *ibid.*). Postea quam adolevere & virilem assecuti sunt aetatem, multi se regere nolunt, sed suis obsequendo cupiditatibus vel segnes sunt in virtutis cultura, vel ab ea alieni. Egent ergo in illo casu excitatione per aliorum exempla adhortamentaque, egent convictione animi, & obligatione externa, quam civilis societas optime praestare valet, ut cives & internis & externis incitamentis in virtutum adquisitione & exercitatione proficiant (§. 3.).

§. 6.

Generalia impedimentorum remedia.

Remedia impedimentorum generalia requirunt avocamenta efficacissima a negligentia & pravitate educationis, a barbarie sectanda, & prodendis malis exemplis. Per se patet, bonae educationi obstare

ſtare tum neglectum ejusdem, tum pravitatem, quibus non niſi mala educatio, exſiſtit; vivæ cognitioni obſtare ignorantiam, & cognitionem mortuam (§. 244. *P. II. Phil. pract. univ.*), quæ pariunt barbariem moresque incultos & virtuti contrarios (§. 52. *ſeqq. Jur. Gent.*) & bonis exemplis repugnare exempla prava. Cum tollenda junctis viribus ſint virtutum impedimenta (§. 4.) idque non niſi remediis, quæ dari poſſunt, validiſſimis ex aſſe fieri queat (§. 194. & 199. *P. II. Phil. pract. univ*): perſpicuum eſſe arbitror, utendum eſſe in civitate validiſſimis impedimentorum virtutum remediis. Qualia eſſe efficaciſſima obligationis civilis avocamenta, tum a negligentia & pravitate educationis, tum a barbarie gliſcente, tum a prodendis malis exemplis, per ſe lucet. Vti ergo generalia virtutum ſubſidia ad voluntatem civium perficiendam adhibenda erant (§. 3.): ita quoque generalibus his impedimenta virtutum tollendi remediis utendum ſapienter eſſe, relinquitur.

Removenda ſunt virtutum impedimenta, quæ obſtant earum adquiſitioni, quæ officiunt illarum conſervationi, & corruptionem civium excudunt, & quæ intenſioni & amplificationi earum obices ponunt. Adquirendæ ſunt virtutes in recta educatione, cui obſtat ægra depravata atque neglecta, ope publica ſanandæ. Adquiſitæ retinendæ ſunt & conſervandæ, quod fieri nequit, niſi profligetur oblivio, ſuccedens barbaries fere obbruteſcens, & niſi profligentur mali exempla. Multo minus in his caſibus vel intendetur gradus virtutis vel amplificabitur ejus exercitium ultra ſolitos cancellos.

§. 7.

Promovenda honeſtas interna & externa & impediendum contrarium.

Promovenda eſt publice diligenterque honeſtas vitæ civium cum interna, tum externa ſecundum ſapientiæ leges; impedienda autem, quantum fieri poteſt, turpitudo interna & externa. Honeſtas enim eſt convenientia cum obligatione & jure naturali, ſeu cum debitis licitisque (§. 171. *P. I. Phil. pract. univ.*). Quæ interna dicitur,

citur, quatenus infert convenientiam actionum internarum mentis cum lege divina; externa autem, quatenus conformitatem actionum corporis externarum cum lege naturæ, (*per notata ad* §. 456. *P. VIII. Jur. nat.*) notat. Quia ad virtutem moralem requiritur constans & perpetua voluntas non agendi nisi quæ legi naturæ sunt consentanea (§. 328. *P. I. Phil. pract. univ.*), & in civitate largiter sunt procuranda quæcunque virtutum documenta, adjumenta & incitamenta (§. 3.), ideoque perficienda est bona educatio, viva officiorum cognitio, bonorum exemplorum copia cum efficaci obligatione civili (§. 5.): dispalescit sane, publice diligenterque promovendam esse honestatem vitæ civium internam, naturaliter debitis licitisque satisfacientem, & meliora præferentem sequioribus (§. 193. *P. I. Phil. pract. univ.*).

Enimvero vita honesta, ab honestate actionum appellata (§. 8. *P. II. Phil. pract. univ.*), perfecta non est, nisi in ipsa detur consensus omnium actionum liberarum inter se & cum naturalibus (§. 9. *ibid.*), nec sincera, nisi initia consentiunt externæ cum internis (§. 714. *ibid.*) quoties nullum officium simulationem requirit (724. *ibid.*). Quapropter quia virtutem culturus vitæ perfectæ, ideoque & honestati perfecte studere debet (§. 26. *ibid.*) publice promovenda honestas vitæ infert studium cum interna simul & externam vitæ honestatem promovendi, seu efficiendi, ut conjungatur externa vitæ honestas cum interna.

Sed alia est ratio actionum internarum & externarum, quatenus ab aliis hominibus sunt dijudicandæ: dum externæ in sensus incurrunt, & certo cognosci possunt; internæ vero in mente latent, quam introspicere aliis hominibus negatum est, quod quisque in se experitur. Actus quidem externi, quibus alii læduntur, in foro humano disceptari, probari & puniri pro meritis possunt; internorum vero, quatenus latent,

ſeu cogitationum occultarum, pœnam judex humanus irrogare nequit, nec irrogandi jus habet, quando caſu quodam innoteſcunt (§. 643. *P. VIII. Jur. nat.*). Sapienter ergo inſtituendum eſt publicum ſtudium promovendi honeſtatem vitæ externam & internam, ut ſcilicet reſpondeat naturæ actionum internarum & externarum, & ſaluti publicæ, tanquam normæ omnium in rep. conſtituendorum (§. 86. *ibid.*). Neque ideo ſapienter tantum curaretur externa vitæ honeſtas, quæ neutiquam ſufficit ad omnes injurias arcendas: cum interna honeſtate deſtituti nihil vereantur, occultas inſtruere machinationes fraudesque, quibus vel clam aliis noceant, vel tam callide, ne facile detegi & evinci ipſorum nequitia poſſit (§. 456. *ibid. Schol.*).

Cum per dictas rationes publice diligenterque promovenda ſit honeſtas vitæ externa non tantum, ſed & interna; honeſtati vero repugnet vitæ inhoneſtas (*cit.* §. 171.), quæ latinius turpitudo nominatur: apertum eſt, itidem ſapienter publice impediendam eſſe turpitudinem deformitatemque vitæ civium non externam ſolum, verum & internam, quantum ope humana fieri poteſt (§. 3.). Quo efficietur, ut fugiantur illicita quæque (§. 170. *P. I. Phil. pract. univ.*).

§. 8.

Promovendum decorum, impediendum indecorum.

Secundario promovendum quoque eſt decorum vitæ & impediendum indecorum ſeu dedecus civitatis. Decorum enim eſt, quidquid arguit præſtantiam libere agentis, uti indecorum, quidquid repugnat præſtantiæ libere agentis, ſeu non convenit cuiquam eorum, quæ ipſi ineſſe debent (§. 194 *ſeq. P. I. Phil. pract. univ.*). Quia naturaliter decorum convenit cum lege naturali & honeſtate (§. 197. *P. I. Phil. pract. univ.*), & indecorum naturale cum inhoneſto & turpi (§. 198 *ibid.*): planiſſimum eſt, quod de honeſto & inhoneſto præcipimus (§. 7.), idem etiam valere de naturaliter decoro & indecoro. Quoniam vero decorum arbitra-

bitrarium, quod vulgo decorum dici ſolet, niſi ex hominum opinione decere non intelligitur (§. 196. *ibid.*), ideoque & illius contrarium aliis decorum videtur: a quibus hoc ipſum indecorum appellatur (§. *eod.*): utrumque talem nexum cum lege naturali non habet, ac honeſtum, eaque propter ſufficit, ſi ſecundaria illius promovendi ratio habeatur, quatenus præſtat in his rebus non illicitis communem receptamque ſequi opinionem, tanquam eam, quæ majori ſuffragiorum numero gaudet, quam permittere, ut ſinguli vel pauci ſe temere & arroganter præponant plurimis, eosque ſe deteriores ſtatuant & contemnant (§. 790. *et* 854. *P. I. Jur. nat.*). Quod eo magis obſervandum eſt, ſi non tantum una civitas ſed & circumjacentes aut omnes aut pleræque eandem foveant de decoro opinionem.

Dari hujusmodi decora ex arbitrio hominum pendentia, vix a quoquam in dubium vocabitur. Quis enim neſcit v. c. alibi locum a manu dextra cenſeri honoratiorem, alibi eum, qui eſt a ſiniſtra. Nonne alia alibi veſtimentorum genera cenſentur decora & indecora? Item in eadem civitate alio tempore alia atque alia in externo cultu ornatu & apparatu putantur decere, & viciſſim dedecere, & decere poſtea rurſus. Quæ quia mutabilia ſunt, modi (Moden) vel ſæculum appellantur, licet rarius ſæculum durent. Ecquis neſcit tales ſæculi mores cito invaleſcere nudo aliorum exemplo? Si in his vanis ſæpe homines ſunt imitatores prompti & ſimii, tantum non ſervum pecus: mores illi ad bona & honeſta majori jure eſſent transferendi, ubi magnam ipſis parerent laudem, felicitatemque. Sed quia triplex datur virtutum genus, videlicet erga Deum, ſe ipſum, aliosque homines: ſeorſum oſtendendum erit, quomodo generalia hæcce præcepta in illis applicentur. Primum ergo de pietate & religione promovenda agendum erit, qua in re jus ſacrorum, tanquam pars jurium majeſtatis (§. 945. *P. VIII. Jur. nat*) ſuas tuetur partes.

§. 9.

Promovenda publice est pietas, impedienda impietas.

Dum cuilibet civitati opera est navanda, ut quotquot in ea degunt, virtutes cunctas adquirere, exercere continenter & perficere possint ac debeant, contra a vitiis quibuscunque arceantur absterreanturque (§. 2.); pietas autem inter virtutes primum tenet locum, virtutesque reliquas omnes ad sublimiorem evehit gradum (§. 339. & 344. *P. I. Phil. pract. univ.*): pronum est collectu, *unamquamque civitatem obligari ad omnem movendum lapidem, ut quotquot in ea degunt pietatem addiscant, continenter exerceant, & subinde ulterius perficiant; contra impietatem fugiant, & si id sponte facere detrectent, sapienter ab eadem absterreantur* (§. 457. *P. VIII. Jur. nat.*).

Idem & sic evincetur: publice promovenda est omnis honestas vitæ civium, cum interna tum externa (§. 7.). Sed ad honestatem vitæ civium omnino referenda quoque est pietas, tanquam habitus conformans actiones erga Deum legibus divinis (§. 339. *P. I. Phil. pract. univ.*), ideoque earum convenientiam cum legibus attributisque divinis præstans. Inde & publice promovenda est pietas, impedienda autem impietas, quantum sapienter fieri potest.

Adhibemus hic pietatem (erga Deum) in generali significatu, ut quæ generatim de ipsa ostenduntur, applicari etiam ad pietatem christianam possint, licet in philosophia strictius non agatur nisi de pietate philosophica. Scilicet pietas philosophica est habitus conformandi actiones legi naturæ ope rationum, ab attributis & providentia Dei petitarum, quatenus lumine rationis innotescunt (§. 339. *P. I. Phil pract. univ.*). Generatim ergo pietas erit habitus conformandi actiones suas legibus divinis ob rationes a Dei proprietatibus & operibus petitas, quæ luculenter nobis innotuerunt. Sunt enim leges divinæ non naturales tantum, verum etiam revelatæ; & quæ in Deo sunt & ab ipso facta sunt, partim lumine rationis, partim lumine revelationis nobis pate-

patefiunt. Tam ample accepta pietas complecti solet omnes virtutes erga Deum, velut earundem summa.

§. 10.

Pietas involvit religionem.

Pietas includit religionem & obligatio ad pietatem infert, obligationem ad religionem. Sive enim latius accipiatur, sive strictius, notat illa semper habitum conformandi actiones suas erga Deum legibus ipsius (§. 9.). Quia homo ad has actiones erga Deum obligatur, sunt illæ officia erga Deum (§. 226. *P. I. Phil. pract. univ.*). Quorum alia directa sunt, quæ non nisi Dei causa suscipiuntur, seu Deum proxime pro objecto habent; alia indirecta, quorum objectum proximum non est ipse Deus, sed sunt res aliæ, scilicet vel nos ipsi, vel alii homines, attamen peraguntur ex obedientia erga Deum, quæ & officia erga nos & officia erga alios homines, seu omnes actiones nostras spectat ut officia erga Deum simul (§. 173. *P. III. Ethic.*). Enimvero colere Deum dicitur, qui suas actiones edit Dei gratia (§. 511. *P. II. Theol. nat.*), ideoque agnoscit illas Deo deberi, vel Dei causa ita & non aliter edendas esse, dum agnoscit Deum esse in cunctis actionibus colendum (§. 124. *P. I. Jur. nat.*). Sed modus debite colendi Deum dicitur religio (§. 512. *P. II. Theol. nat.*) neque ab usu abhorret, habitum debite colendi Deum, interdum religionem vocari. Ita jam dilucescit, pietatem tam latius quam strictius acceptam involvere religionem, stricte nimirum accepta includit religionem naturalem, latius vero accepta simul illa, quæ naturali & revelatæ religioni sunt communia.

Obligationem vero ad pietatem, quam evicit (§. 481.): simul continere obligationem ad religionem, non indiget nunc ulteriori probatione. Religionem recte dici modum colendi Deum, vel plenius modum debite Deum colendi, vel ex divisione patet, qua alia dicitur naturalis alia vero revelata (§. 512. *P. II. Theol. nat.*).

nat.). Vbi apertum eſt, poſteriorem notare illum Dei colendi modum, qui revelatus eſt a Deo in ſacra ſcriptura. Proprie autem habitus non dicitur revelari, ſed vel connaſci, vel adquiri, vel divinitus infundi. Quia vero *Cicero de Nat. Deor. II. c. 25.* ſcribit, qui omnia, quæ ad cultum Deorum pertinent, diligenter retractarent, & tanquam relegerent, ſunt dicti religioſi ex relegendo. Et antea dixerat, cultum Deorum eſſe pleniſſimum pietatis, quam diligentem vocat cultum, qui officium tribuit parentibus, patriæ cæterisque benevolis, *c. 53. & 22. L. 2. de invent. rhet.* & alibi maximam virtutem, matremque reliquarum. Vnde in religione pietatem, & diligentiam cultus dudum admisſam fuiſſe perſpicitur. Quia pietas illam diligentiam in religione complecti poteſt, malumus habitum debite colendi numen ad pietatem referre, quia aliud nomen non ſuppetit, uſu receptum, & religionem in modo debite colendi Deum reſidere.

§. 11.

Vnde oriatur jus ſacrorum publicum & cura.

Ex obligatione civitatis promovendi perficiendique pietatem & religionem, naſcitur ipſius jus ſacrorum ſapiens & circa eorundem ac religionis. Obligatur enim unaquæque civitas ad omnem movendum lapidem, ut quotquot in ea degunt, pietatem, ſibi comparent & diligenter conſtanterque exerceant (§. 9.). Sed lex naturæ dat nobis jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit (§. 159. *P. I. Phil. pract. univ.*), vel generatim lex divina dat nobis jus ad omnia, ſine quibus obligationi ipſius ſatisfieri nequit. Quamobrem nemo non videt, ex obligatione civitatis perficiendi pietatem naſci jus ad ea, ſine quibus ipſi ſatisfieri nequit. Si eccleſia vocatur cœtus Deum eodem modo colentium, & jus circa ſacra, vel ſacrorum jus ſtatuendi de iis, quæ ad cultum dei & eccleſiam ſpectant (§. 945. *P. VIII. Jur. nat.*): manifeſtum eſt, ex obligatione civitatis promouendi pietatem, & religionem (§. 10.) fluere ipſius jus ſacrorum publicum.

Obligatio illa civitatis imponit neceſſitatem moralem eidem ex aſſe ſatisfaciendi (§. 118. *P. I. Phil. pract. univ.*). Quod cum

cum fieri non possit, nisi constans adsit & perpetua voluntas id quam optime faciendi, & solicitudo animi cavendi ne quid negligatur ac secus fiat, patet, civitatem quoque obligari ad constantem & perpetuam voluntatem utendi jure sacrorum, nec minorem animorum solicitudinem cavendi, ne quid officii negligatur, vel contra illud fiat. Illa vero constans & perpetua voluntas satisfaciendi officio, una cum solicitudine mentis cavendi, ne quid contra illud fiat, *cura* appellatur, quæ si legibus sapientiæ conformatur sapiens dici meretur (§. 519. *P. I. Phil. pract. univ. in not.*) & (§. *678. seqq. Psychol. rat.*). Sic intelligitur, ex obligatione civitatis perficiendi pietatem ac religionem derivari curam sapientem sacrorum & religionis; intelligitur quoque, obligari quamque civitatem ad sapientem curam sacrorum & religionis.

In cura sacrorum & religionis insistimus vestigiis, B. Baronis *de Wolff*, qui curam animæ &c. in numerum virtutum retulit duce natura rei. *P. III. Eth.* §. 137. evincit curam animæ virtutem esse ex eo, quia confertur in adquirendos, conservandos, & perficiendos habitus mentis: dixerat enim §. 134. illam esse curam, quam conferre debemus in perfectionem animæ accidentalem. Adquiescit autem in confusa curæ notione; quam ideo distinctius evolvere & dicere libuit, constantem ac perpetuam voluntatem, vt habitum illam notare, non nudam actum & operam subinde adhibitam. Præterea addidi, eam esse habitum quam optime id præstandi, circa quid versatur, v. c. in nostro casu versatur circa perficiendam religionem. E quibus multo lucidius apparet, ejusmodi curam esse virtutem. Poterat quoque diligentia vocari, quemadmodum docetur (§. 139. *l. c.*) curam animæ habentem, omnem in procuranda ejus perfectione diligentiam adhibere: & §. 133. agnoscit, quem cura animæ suæ tangit, eum solicitum esse, ne quidquam eorum prætermittat, quæ faciunt ad mentem perficiendam, & adnotat hanc solicitudinem præcipuam curæ partem efficere, cum cura in genere

nere dicitur *ſolicitudo de re quadam, quatenus vel illius adquiſitio & conſervatio dubia videtur, in quam fertur appetitus, vel eventus videtur probabilis, quem averſamur.* Et paullo poſt, cura requirit ſolicitudinem: ne quid non uſu facultatum noſtrarum omittatur, quod ad habitum adquirendum, conſervandum, vel augendum fieri poterat; vel illarum abuſu committatur obſtiturum, quo minus illum conſequamur, aut jam adquiſitum augeamus, vel periculo eum amittendi nos exponamus. Quibus hoc tantum ſubjungo, quia ſolicitudo illa ſtimulus eſt, omnia faciendi ut expetita adipiſcamur, & formidata avertamus, illam diſtinctam involvere cognitionem, ideoque ſolicitudinem mentis ſeu rationalem appellari poſſe, ut ab illa diſcernatur, quæ in timore continetur & confuſa nititur cognitione. Hinc quoque ſtudium vitandi culpam, & cautionem mentis vera mala avertendi infert, quæ virtutes dici merentur (§. 181. *ibid.*). Quæ omnia ad curam religionis, tanquam virtutem civilem eamque publicam facile transferuntur.

§. 12.

Cujus ſit, in civitate jus & cura ſacrorum?

Quia civitatis eſt jus & cura ſacrorum (§. 11.); forma autem civitatis vel ſimplex eſt vel compoſita ſeu mixta (§. 287. & 310. *P. I. Polit.*): *jus quoque & cura ſacrorum nequit in qualibet civitate eſſe penes eosdem, ſed diſpiciendum erit, penes quos habeatur, & quid ipſo pacto civitatis in eis continuatur. Erit igitur non niſi eorum, quibus ipſo pacto debetur.* Hi commode Rectores Eccleſiæ vocari poſſunt, ſive rectores civitatis ſimul ſunt, ſive minus: forma enim civitatis melius conſtitui nequit, quam publico pacto (§. 258. *P. I. Polit.*) & cuilibet civitati permittendum eſt, ut de ſummo imperio ſtatuat quidquid ipſi lubet (§. 264. *ibid.*). Sed jus ſacrorum pars eſt ſummi imperii & jurium majeſtatis (§. 946. *P. VIII. Jur. nat.*). Inde quoque de jure atque cura ſacrorum pacto civitatis eſt ſtatuendum ut illud nomine eccleſiæ ita geratur ac ab ipſamet geri deberet. Non erit igitur jus & cura ſacrorum in aliorum poteſtate, quam quibus legitimo

pacto

pacto debetur. Hinc ex voluntate populi pacto declarata metiri oportet & jus & curam sacrorum in civitate, quantum ejus & cui debeatur, quod salva naturæ lege deberi possit.

In statu naturali omne jus circa sacra est penes unamquamque Ecclesiam particularem, nisi quatenus plures Ecclesiæ per pacta idem fecerunt dependens a se invicem (§. 953. *P. VIII. Jur. nat.*). Ecclesia enim spectatur ut societas hominum, qui Deum eodem modo colere volunt, seu eidem religioni addictorum (§. 484. *ibid.*), quæ quatenus in uno loco, vel una regione aut civitate continetur, particularis; quatenus vero per quascunque civitates, ubi recepta est, diffusa spectatur, universa vocatur (*ibid.*). Licet vero jus circa sacra sit penes ecclesiam, hoc tamen non officit, quo minus dicatur esse penes civitatem, si illam eidem religioni addictam ponamus. Sed quatenus finis societatis tantum statuitur esse copia vitæ præsidiorum, tranquillitatis & securitatis sufficiens (§. 13. *seq. ibid.*); eatenus jus sacrorum non est ex ipsa civitate, sed eidem pacto adjungi potest, uti placet; potest etiam ab eodem separatum statui (§. 953. *P. VIII. Jur. nat.*). Per se ita jus sacrorum non inest imperio civili, sed per pactum ad illud accedit, sive uni personæ credatur, sive plurium collegio, absoluta aut limitata ratione (§. *cit.* 953.), & ab eodem quadam tenus efficitur dependens. Quando autem quid melius sit, quæritur, recte statuitur, jus circa sacra, quatenus non modo tutelam civilem adversus hostes requirit, sed & actus continet, quorum exsecutio indiget brachio civili, ideoque consentire cum civili imperio debet, eatenus illud imperio civili subesse, & ab eodem dependere debere (§. 954. *ibid.*). Eo vero sensu civitatem in Politica accepimus, quia quod melius est etiam in civitate præferendum est (§. 193. *P. I. Phil. pract. univ.*). Ideo hoc sensu subesse jus circa sacra & curam religionis summo imperio, tanquam partem jurium majestatis & exercitii eorundem non abs re contendimus. Cujuscunque enim pacto inito jus & cura sacrorum esse debeat, semper tamen limitabitur per ea, quæ imperio civili ob arctum hujus cum illo

nexum, relinquenda ſunt. Et pactum de cura religionis in ſtatu naturali limitatur iis, quæ divini ſunt inſtituti ſeu immutabilis legis naturæ; in ſtatu civili vero in illis quæ ſalus publica requirit, v. g. quæ ſalutem publicam turbarent aut impedirent. Ejusmodi vero civitatem, ſi qua daretur, tanquam degenerem, merito hic ſeponimus, in qua per ſupinam ignorantiam nulla daretur religio.

§. 13.

Penes quem ordinarie ſit in democratia, Ariſtocratia & monarchia?

In democratia jus & cura ſacrorum ordinarie eſt penes populum univerſum, in Ariſtocratia penes optimates, in monarchia ſeu regno penes monarcham. Pertinet enim ordinarie jus & cura ſacrorum ad jura ſummi imperii h. e. majeſtatis (§. 946. *P. VIII. Jur. nat.*) & (§. 11.). Sed non datur ſimplex & legitima forma civitatis ſummique imperii niſi triplex (§. 298. *P. I. Polit.*) dum in Democratia illud ſibi retinuit univerſus populus (§. 287. *ibid.*); in Ariſtocratia illud transtulit in optimates (§. 295. *ibid.*) & in monarchia in monarcham (§. 292. *ibid.*). Qua de re jus quoque & cura ſacrorum in democratia ordinarie, quando civitas uni tantum religioni addicta eſt, eſt penes populum univerſum, in Ariſtocratia penes optimates, in monarchia penes monarcham.

Si quis hoc negaret, eo ipſo negaret formam civitatis eſſe ſimplicem & legitimam, & vel corruptam quandam, uti tyrannidem, oligarchiam, & ochlocratiam afferret (§. 306. *ibid.*); vel mixtam formam (§. 310. *ibid.*), de quibus nunc ſermo non eſt. Aut reſpiceret ad nudam adminiſtrationem, quæ committi Senatui, aut dictatori poteſt, de qua adminiſtratione & delegatione hic quoque non agi, per ſe patet. Quæritur enim, cujus ſit jus, non cui illud delegari poſſit ab eo, cujus eſt.

§. 14.

Penes quem extra ordi-

Extra ordinem ſicubi ſunt in populo civitatis, qui diverſam a plerorumque ſententia religionem profitentur, ſtatui civili non adverſam:

pacto

pacto conveniendum eſt, uti de juribus civilibus, ad quæ admittendi ſint, vel minus, ita de jure ſacrorum, ut certum ſit, quantum illius civitati debeatur, nec ne. Poteſt enim alia religio in civitate tolerari, a qua ſaluti reip. nihil periculi metuendum; ſed cum plus juris in ipſa habere nequeat, quam illis concedit civitas, diverſam fovens religionem, paciſcendum eſt, qua lege ſit toleranda (§. 957. *P. VIII. Jur. nat.*); neque plus juris ſibi civitas arrogare circa ejus ſacra poteſt, quam pacto adquiſivit, etiamſi majori gaudeat jure in religione a plerisque recepta (§. 958. *ibid.*). Quamobrem ſive ab initio coëant in civitatem diverſam religionem foventes, ſive poſtea tales recipiendi ſint, ſive tolerandi, qui a religione recepta abierunt, modo nihil ſaluti publicæ adverſum foveant, pacto conveniendum erit de conditionibus mutuis, quantum jurium civilium ipſis diſſentientibus ſit concedendum, & quantum juris ſacrorum civitati ipſisve ſit relinquendum.

nem ſeu inter diſſidentes.

Ipſa diverſitas religionis fons eſt diverſitatis pactorum circa curam ſacrorum. Quando enim civitas non eſt niſi ejusdem religionis, ipſa & omnes in illa religioni favent, neque quidquam eidem adverſum deſignabunt. Dum ita omnes in religione conſentiunt: non tantum nihil adverſi ipſi erit verendum, ſed & omnis civitas in illius tutelam, florem & conſervationem erit propenſa. Aliter vero comparatum eſt, quando major pars civitatis aliam fovet religionem. Tum enim major pars civium, ſuæ addictior religioni, in illis alteri contradicit, in quibus diverſitas illarum datur, atque prona erit ad illam diminuendam & tollendam. Non poteſt ergo eidem tantumdem curæ ſacrorum tribui, quantum in caſu præcedenti, ſed quod conceditur, ita reſtringendum eſt pacto, ut ſalva manere altera religio poſſit. Vice verſa & civitas reſtringere jus civitatis pariter poteſt, ne tantum concedat diſſidentibus, quantum conſentientibus in religione, præſertim ſi inde periculum & interitus creari plerorumque religioni poſſit. Ita chriſtiani tolerant Judæos, non tamen

admittunt illos ad officia publica, ut ſuos cives, neque tamen imperant ipſis, ut mutent ſuum Sabbatum aliaque feſta & ritus antiquos, ſed illa permittuntur ipſorum arbitrio. Quo exemplo patet, agnoſci publice, etiamſi in populo dentur, qui falſam fovent religionem, eos tamen tolerari ſalvo exercitio ſuæ religionis poſſe, modo caveatur, ne ſaluti publicæ periculum creare poſſint. Neque ita patrocinatur civitas falſæ religioni, potius illi anſam præbet rectiora noſcendi & amplectendi; item ſi vel recepta civitatis ſeu plerorumque religio, falſa foret, inde nanciſcitur præſidium rectiora diſcendi & adſciſcendi, uti idololatræ pagani tolerando religionem chriſtianam viam ſibi aperuerunt ad errores ſuos abjiciendos, & ad transeundum in caſtra chriſtianorum. Hunc caſum etiam in ſimplici forma civitatis occurrere poſſe, nemo eorum negabit, qui concedunt, jus ſacrorum per ſe imperio non ineſſe.

§. 15.

Penes quem ſit in forma temperata?

In mixta & temperata civitatis forma ex pacto mixtionis temperationisque metiendum eſt jus cum cura ſacrorum, ut cui & quantum illius debeatur, conſtet. In mixta enim rep. partes jurium & imperii ipſo pacto, velut certa lege ſunt diviſæ inter illas ſimplices formas, e quibus conſtat (§. 311. *ſeq. P. I. Polit.*) & temperatio pariter in ordinariis adſtringenda eſt legibus pacto ſancitis, in extraordinariis vero conſenſui aliorum obtinendo, ſi quidquam de illis eſt ſtatuendum. (§. 63. *P. II. Polit.*) Reſpiciendum ergo eſt pactum mixtionis temperationisque, ſi examinandum ſtatuendumque ſit, cujus in rep. mixta & temperata ſit jus & cura ſacrorum, & quantum illius civitati tribuendum vel ſit vel non ſit.

Pactum nempe dat legem paciſcentibus non violandam. Unde ſi pactum mixtionis & temperationis perſpectum habeatur, aut evolvatur quid in eo de jure ſacrorum ſtatutum ſit, poſito id nullo recentiori pacto eſſe mutatum, intelligetur lex, e qua jus ſacrorum ſit metiendum, & e qua innoteſcat, cui

cura sacrorum debeatur & quatenus quantumque seu recte & legitime, seu perperam circa religionem fiat. Uti vero pactum hoc servandum est ab illis, qui illud pepegere, ita & ab eorum successoribus, dum pro posteris simul, non vero duntaxat pro personis paciscentium initum est. Ea propter ne quidem successu temporis plus sibi arrogare, vel jus suum, extendere debet ultra id, quod est conventum & pacto adquisitum. Neque enim prævalens potentia, qua id obtineri posset, legitima violandi pacti ratio fieri potest. (§. 115. *P. I. Polit.*) Ob magnam varietatem temperatarum civitatis formarum tædiosum foret ad ea singulatim descendere, quæ de his vel ex solemnibus pacis instrumentis v. c. Osnabrugensi, Olivensi, cæterisque, vel ex legibus & privilegiis sacratis religionis, aliisque statutis adduci possent. Unde illa privatæ industriæ, illorumque curæ reseruamus, quibus ea excutiendi in dato casu necessitas incumbit.

§. 16.

Cura sacrorum rectori civitatis sapienter gerenda est.

Quia rector civitatis dicitur, cui imperium in civitate debetur exercendumque est (§. 42. *P. VIII. Jur. nat.*) vel qui jure imperandi in civitate gaudet, sive is sit unicus, sive plures, sive universus populus; quidquid civitati hactenus vindicavimus de jure & cura sacrorum, id quoque rectori civitatis tribuendum esse, conficitur eo ipso, quod civitas ibi non spectabatur, nisi quatenus summo imperio gaudet. (§. 13.) Quare & *cura sacrorum seu religionis Rectori civitatis & ecclesiæ sapienter gerenda est*, (§. 11.) *quatenus illius est jus circa sacra* (§. 946. P. *VIII. Jur. nat.* & §. 12.)

Quia cura religionis & sacrorum, vel potest esse penes unum, vel penes collegium plurium, vel penes universos asseclas religionis, vel mixtim alia pars ejus penes alios (§. 13 - 15.): generatim pronuntiatum valet, penes quemcunque sit jus & cura sacrorum, & quantum illius sit penes ipsum, id tamen sapienter esse gerendum. Sapiens enim actionum directio omnibus in-

incumbens subsidium est adipiscendæ felicitatis (§. 453. *seq. P. I. Ethic.*)

§. 17.

Quid jure sacrorum imperari nequat.

Sed qui in civitatem coëunt, inter se pacisci nequeunt, ut de cultu Dei interno, iisque, quæ propter internum in externo aliter habere nequeunt, id pro vero habeatur, quod visum fuerit parti majori (§. 947 *P. VIII. Jur. nat.*): *inde nec civitas nec rector civitatis imperare potest, ut habeatur pro vero & bono id, cui nec convictione nec persuasione duce sponte assensum præbent homines in civitate degentes, vel quod eorum animus damnat.*

Assensum verum extorqueri nullo modo, nullis imperiis, nullis fidiculis posse, inter omnes constat. Nequit ille obtineri, nisi rationibus vel ad convincendum, vel ad persuadendum idoneis, & ab altero admissis. In ipso errore rationes erranti videntur sufficere ad ipsis assentiendum. Quamdiu igitur non afferuntur rationes, quibus alii sponte sua assensum dent, tamdiu cuique absonum videbitur postulatum cujusquam, id ipsi esse pro vero habendum, quia alter id vult aut jubet. Præterea cultus Dei internus nititur attributis Dei & legibus naturæ immutabilibus, uti patet ex *P. I. Jur. nat. cap. IV.* Quæ uti mutari a nullo homine possunt: ita peccaret Rector civitatis contra illa officia quidquam seu jussurus seu acturus ipse: cum obligatio legis naturæ universalis sit & non minus necessaria & immutabilis ac lex ipsa (§. 142. *P. I. Phil. pract. univ.*) Qua propter rectori civitatis nihil in cultus Dei interioris officia impedienda aut prohibenda licet. Si qua vero habentur in cultu externo, quæ indivulsum habent cum interno nexum, ea si mutarentur, mutaretur & cultus internus neque immutabilis foret. Quocirca cum is sit immutabilis: hæc quoque mutari nullo imperio humano poterunt. Exemplo sit *Daniel* Propheta. Lege regia imperabatur ne quis inter mensem quidquam peteret vel a Deo vel ab homine quoquam, præterquam a Rege, leonibus objiciendus si secus ageret. *Dan. VI. 7. seqq.* Convictus Daniel de officio cultus divini, precandi Deum quotidie, nihil mutabat in suis moribus

ribus

ribus ter in dies Deum invocandi flexis genubus & ore verba fundendo, sic quoque, ut observari ab aliis in isto cultu posset. Malebat leonibus insons objici, quam neglectu officii, nunc nequaquam occultandi, contra Deum peccare. *Socrates* accusatus, quod Deos non censeret, quos civitas esse censuit, & nova Deorum numina introduceret, pietatem suam probavit, dæmonium suum nihil impii habere contendens; damnatus se potius amplissimis honoribus & præmiis dignum dixit, cicutamque a judicibus propinatam lætus bibit.

§. 18.

Quid sit dominus conscientiæ.

Dominus conscientiæ vocatur, qui imperare potest, quid de morali actionum natura, sit habendum, ideoque etiam imperare potest statuenda de religione. Conscientia enim est facultas judicandi de moralitate actionum nostrarum, sintne bonæ an malæ, committendæ an omittendæ. (§. 417. *P. I. Philos. pract. univ.*) Dominus vero gaudet jure statuendi de re ipsa, ejusque usu & fructu. (§. 959. & 964. *P. I. Theol. nat.*) Unde cogitur, dominum conscientiæ imperare posse, quidquid habendum sit de moralitate nostrarum actionum, vel quæ actiones revera bonæ sint vel malæ, quænam committendæ sint vel omittendæ. Hinc ipse quoque imperare potest religionem, & quæ religio sit amplectenda nec ne.

§. 19.

Quis conscientiæ leges ferre possit.

Dominus concientiæ potest ac debet legem ferre, secundum quam conscientiæ sit judicandum. Potest enim dominus conscientiæ illi imperare, quid sit moraliter bonum aut malum judicandum, quid committendum omittendumve, ut in aliis rebus, ita quoque circa religionem. (§. 18.). Sed quisquis imperare potest alteri, quid ipsi sit faciendum & omittendum, is gaudet jure ipsi leges ferendi. (§. 677. *seqq. P. VII. Jur. nat.*) Inde dominus conscientiæ gaudet jure conscientiæ aliorum leges ferendi, secundum quas ipsorum conscientiæ sit statuendum de rebus

mo-

moralibus, agendis fugiendisve. Et si dominus esse vult ac debet, jure isto uti debet.

§. 20.

Quid requiratur ad dominum conscientiæ?

Dominus conscientiæ debet exploratum habere & hominum animum & quid sit optimum factu in quovis casu. Debet enim dominus conscientiæ leges ferre conscientiæ, secundum quas illi sit agendum, quod recte, fugiendum quod prave sit (§. 19.) Debet ergo scire, quid in quovis casu recte aut melius quam aliud fiat, quid minus, cum de re sibi ignota nemo leges ferre possit. At si hoc scire debet, omnes quoque latebras & recessus animi hominum quorumvis, quorum conscientiæ leges sunt ferendæ, debet habere perspectissimos, ut punire secus facientes, ac debebant, possit. Proinde dominus conscientiæ exploratissimam habeat omnium hominum conscientiam, vel omnia animi penetralia pervia sibi habeat, necesse est, ut sciat, quid judicent, cur judicent sic nec aliter, & quam ideo poenam mereantur, secus ac debebant judicantes agentesque saltem intra mentem; item quibus præmiis afficiendi sint, recte secundum normam conscientiæ judicantes agentesve.

§. 21.

Deus est dominus conscientiæ.

Solus Deus est Dominus conscientiæ hominum; neque tamen hoc dominium imperiumque aliter exercet, quam argumentis homini cuique suppeditatis, quibus convinci de veritate religionis & generatim officii sui possit. Solus enim est dominus naturæ universæ, totius mundi, omniumque eorum, quæ in ipso sunt, fuerunt, & esse debent aut futura sunt. (§. 965. *P. I. Theo. nat.*) Solus dominus quoque est omnium hominum. (§. 966. *ibid.*) Solus est omniscius (§. 302. *ibid.*) & ab omni errore immunis, (§. 294. *ibid.*) solus sapientissimus, quid in quovis casu optimum factu sit indubie perspiciens (§. 640. *ibid.*) solus quoque justissimus, ut poenas promeritas irrogare, & suum cuique tribuere non

possit

possit non (§. 1070. *seqq. ibid.*) solus est optimus legislator (§. 383. *seqq.* & 905-910 *P. I. Theol. nat.*). Quare cum non nisi talis esse dominus conscientiæ possit (§. 19. *seq.*): planissimum est solum Deum esse dominum arbitrumque conscientiæ hominum.

Per se hoc ita notum est compertumque inter homines, ut nemini dominium rei ipsi ignotæ actu tribui posse, vel ut recte exerceri dominium a nemine posse fateantur, nisi is rei satis sit peritus. Quis infanti, amenti, dormienti & cuicunque ignaro rerum e. g. nauticarum, illarum dominium exercendum committet? Quod multo magis valet, si dominium simul includat imperium, seu cum illo sit conjunctum. Tale vero est *dominium conscientiæ*, quod melius *imperium conscientiæ* dicatur: quia libere agunt & agere debent conscientia gaudentes.

Voluntas nostra non potest cogi (§. 927. *Psychol. empir.*) sed quidquid velle debet, id sibi mens distincte exhibere debet, ut bonum ratione sui, vel id intellectus sibi bonum esse statuere debet. (§. 892. *ibid.*) Opus ergo est argumentis distincte percipiendis, quibus agnoscat sua sponte & convincatur, id sibi omnino & indubitato esse ac fore bonum (§. 890. *ibid.*). Cum ergo Deus voluntatis hanc legem esse voluerit, ut quidquid mens distincte perspicit sibi bonum esse & se perspicere id velit, id vero nolit, quod intelligit sibi nociturum esse (§. 891. *seq. ibid.*): alia simul velle & hoc ipsum rursus nolle nequit. Inde nec aliter imperium suum in mentem humanam exercet quam per argumenta convincentia distincte proposita, inter quæ etiam sunt præmia promissa & minæ poenarum indubiarum.

§. 22.

Omnis lex divina est simul lex conscientiæ. Solus enim Deus est dominus conscientiæ, ideoque potest debetque hominum conscientiæ leges ferre (§. 19.) idemque pro summa in eos *Lex divina est lex conscientiæ.*

benignitate quoque ſemper fecit. Lex enim naturæ, omnes hominum actiones naturales regens, eſt lex divina, & ſimul lex conſcientiæ. (§. 521. *P. I. Phil. pr. un.*) Et ſi qua lex alia divina datur, quæ per revelationem innotuit, ea itidem lex conſcientiæ eſſe debebit. Omnis igitur lex divina eſt ſimul lex conſcientiæ, obligans conſcientiam ad recte judicandum de virtutibus vitiisque omnibus, & ad agendum non niſi ſecundum leges divinas in actionibus quoque intimis ſeu manentibus in animo cogitationibus, appetitionibus, averſationibusque. Hinc & *quæcunque lex divina non eſt, illa lex conſcientiæ eſſe nequit*, nec eam obligare, niſi quatenus eadem eſt & convenit cum lege divina. Viciſſim illa conſcientia lege divina ſic imbuta, ſua quo que natura fertur in obligationem illam agnoſcendam, & ad ſe applicandam, hoc eſt ad judicandum de ſuis actionibus ſecundum illam legem; ad approbanda ea, quæ bona ſunt, & ad damnanda, quæ mala ſunt. Idcirco conſcientia ſolet ſaltem poſt factum tandem accuſare & damnare mala a ſe perpetrata; excuſare vero & approbare facta in contrario caſu recte perhibetur (§. 463 - 472. *ſeq. P. I. Phil. pract. univ.*)

§. 23.

Homines nequeunt dominari conſcientiæ.

Nec rectores civitatum & eccleſiarum, nec gentes in univerſum omnes poſſunt eſſe domini conſcientiæ ullius hominis, multo minus ullius Eccleſiæ. Rectores enim civitatum eccleſiarumque (§. 12.) ad unum omnes, gentesque univerſas non eſſe niſi homines, omni majus eſt exceptione. Conſcientiæ vero dominus unus eſt Deus. (§. 21.). Quare cum nullus homo, nulla gens, nec omnis gentium univerſitas, poſſit eſſe Deus (§. 28. *Ontol.*): nec rector ullus civitatis aut eccleſiæ cujuspiam, nec rectores omnium civitatum conjunctim ſumti, nec ulla gens, nec omnes gentes pro civitate maxima acceptæ, dominium imperiumque conſcientiæ unius tantum hominis, multo minus plurium, &

omnium

omnium minime Ecclesiæ & omnium omnino hominum conscientiæ sibi arrogare ullo jure possunt. (§. 18. *seqq.*)

Theodericus, Gothorum rex, religionem adeo liberam esse statuit, ut nihil sit tam voluntarium, quam religio, in qua si animus aversus est, jam sublata, jam nulla est. Neminem perinde animis imperare posse ac linguis, cum mentium rex Deus sit. uti & *Seneca L. 3. de Benef. c. 20.* inquit: errat, si quis existimat servitutem in totum hominem descendere; pars melior ejus excepta est. Corpora obnoxia sunt & adscripta dominis, mens quidem sui juris. . . Corpus est, quod domino fortuna tradidit. Hoc emit, hoc vendit. Interior illa pars mancipio dari non potest. Ab hac quidquid venit, liberum est. Non enim aut nos omnia jubere possumus, aut in omnia servi parere coguntur. Contra remp. imperata non facient, nulli sceleri manus commodabunt.„ Sic & contra officia erga Deum, quæ ipsi a se deberi agnoscunt servi omnesque subditi, qui servi non sunt, dominus rectorque civitatis nihil imperare debet. Nec ullam imponere potest necessitatem credendi, quod nolit, vel quod velit quisquam, non credendi. Nec quisquam efficere potest, ut quidquam agamus contra animi sententiam. Inde *Stephanus* Rex Poloniæ crebris usurpavit sermonibus: Deum tria sibi reservasse, in quibus nec velit, nec possit habere parem, dominari conscientiæ, scire futura, & ex nihilo aliquid facere. Quemadmodum & Maximiliano II. imperatori, visum est, nullam intolerabiliorem esse tyrannidem quam dominari velle conscientiis. Pari jure statui potest, nullam hominum tyrannidem minus esse tolerabilem ea, quæ religioni dominari, seu religionem pro lubitu imperare nititur auderque quomodocunque.

§. 24.

Num religio interna subsit imperio civili?

Religio interna non subest imperio civili cogenti nec eidem subesse potest. Nimirum religio interna est modus præstandi Deo cultum internum. (§. 10. & 1230. *P. I. Jur. nat.*). Sed cultus Dei internus absolvitur usu interno facultatum mentis in officiis

ciis erga Deum. (*ibid.*) Cujusmodi officiorum primum eſt agnitio Dei viva, ex convictione animi de veritatibus theologicis pendens, quæ tota quanta eſt res conſcientiæ, pro ſua convictione judicantis. Præterea libere Deus eſt colendus lubentia pietatis ſumma. Sed nec ipſæ civitates, nec earum rectores imperare poſſunt, ut habeatur a ſubditis pro vero, quod majori parti circa illam videtur, citra aut contra ſuam perſuaſionem animi (§. 17.), nec dominio & imperio conſcientiæ gaudent. (§. 23.) Quapropter religio interna ita non ſubeſt imperio civili, ut imperari & extorqueri in civitate degentibus poſſet; ſed vi libertatis naturalis cujusque conſcientiæ relinquendum eſt, ut agat quod velit modo nec agat contra jus alterius. (§. 157. *P. I. Jur. nat.*). Præterea religio interna ſubſiſtit intra actiones mentis, nec foras erumpit, cum eatenus iam ſit religio interna, & cultum Dei externum efficiat. (§. 1230. *P. I. Jur. nat.*): ſed internas mentis alterius actiones nemo hominum penetrare & perſpicere valet, ideoque, nec tota civitas, nec illius rectores, nemine diffeſſuro. Sed illius arbiter unus eſt omnium ſcientiſſimus Deus, ſolus conſcientiæ dominus & rector (§. 21.) Quod abunde ſufficit ad perſpiciendum, religionem internam cogenti imperii civilis vi ſubeſſe neutiquam poſſe.

Potuiſſet ferri pronuntiatum, religionem internam non ſubeſſe imperio civili, ſi tale imperium intelligatur, quale id eſſe conſuevit, quod nempe externarum actionum rationem & regimen infert. Sed ne quis hebetior exiſtimaret, inter ſe diſſidere curam ſacrorum & hoc ſtatutum; malui lucidius dicere ſententiam. Diſtinguendum enim eſt imperium civile, quod religioni convenit, & quod eidem refragatur. Coactio & extorſio aſſenſus per vim externam, & per quoscunque cruciatus fruſtra quæritur & ſperatur, tot perſecutionibus ſacrorum chriſtianorum inter Iudæos & paganos, tot martyribus ſeu confeſſoribus ſuæ religionis intrepidis, nec crudeliſſimam mortem ſubire veren-

rentibus, contrarium, hoc scilicet edocentibus, assensum nulla vi extundi posse. Quemadmodum de *Anaxarcho* refert *Cicero* *L. III. de nat. Deor. c. 33. & L. II. Tusc. Qu. c. 22.* quod a Cyprio tyranno excarnificatus, nullum genus supplicii recusaverit. Quibus alii addunt, eum, cum in mortario tundi pistillis juberetur, dixisse: tunde, tunde Anaxarchi culeum, Anaxarchum non tundes. Hujusmodi igitur vis cogens ipseque taurus Phalaridis religioni refragatur. Sapiens autem cura religionis ipsi minime refragatur, sed apprime convenit, uti mox planius dicetur. Cogenti ergo imperio civili non subest religio interna, nec subesse tanquam voluntaria potest.

§. 25.

Qui contra religionem internam peccant in civitate, relinquendi sunt divino tribunali, cujus vindictam effugere non poterunt. Non subest enim religio interna cogenti imperio civili (§. 24) & ne intelligi quidem ab ullo alio homine potest, quid alius quispiam contra illam designarit aut nunc peccet. Cum ignota hominibus, ab illis puniri nequeant, nec si equuleo subjiciantur cogitata eorum extundi possint (§. 681. *P. VIII. Jur. nat.*): illi, qui contra internam religionem peccarunt nec agnosci possunt, nec puniri. Relinquendi ergo sunt vindictæ numinis animorum pervestigatoris. Vindicta vero divina certa est, propter justitiam eius, vindicem necessariam (§. 1081. *Theol. nat.*); propter scientiam Dei falli nesciam (§. 302. *ibid.*); propter potentiam infinitam, cui resistere nulla potest ars, aut vis finita (§. 350 *ibid.*); & propter summam sapientiam, aptissimo decentissimoque modo & tempore omnia peragentem (§. 640. *ibid.*). Eludere ergo vindictam divinam, quisquis internæ defuit religioni, nulla ratione vel arte valebit.

Peccata contra religionem internam a Deo punienda sunt.

Confessi idem sunt gentiles, uti *Sallustius Orat. 2. ad Cæs.* mihi, inquit, pro vero constat, omnium mortalium vitam divino numine invisi; neque bonum neque malum facinus cujus-

quam pro nohilo haberi; ſed ex natura diverſa præmia bonos malosque ſequi. Ante quem *Ariſtoteles L. II. Magn. moral. c. 8.* hoc reliquit ſcriptum: τον γαρ θεον αξιουμεν Κυριον οντα των τοιουτων, τοις αξιοις απονεμειν και τ'αγαθα, και τα κακα. Talem merito ſtatuimus dominum Deum, qui bona & mala meritis diſtribuat. *Seneca* vero *Quæſt. nat. L. II. c. 42.* ait: utile ſane erat, in tanta audacia ſcelerum aliquid eſſe adverſum, quod nemo ſibi ſatis potens videretur. . diſcant hoc illi, quicunque magnam potentiam inter homines adepti ſunt. Cui ſuffragatur *Seneca Rhetor. L. V. Controv. 1.* Sunt Dii immortales lenti quidem, ſed certi vindices generis humani, & magna exempla in caput invenientium regerunt, ac juſtiſſima patiendi vice, quod quisque alieno excogitavit ſupplicio, ſæpe expiat ſuo. Sic cum everterat Gideon altare baalitium, deſtructo ſimul ejus luco, expoſcebatur quidem ad pœnam; ſed rectiora edocebantur id flagitantes, cum ſi Baal Deus ſit, ſuam agere cauſam ipſe, & ſe ulciſci poſſit. *Iudic. VI. 30. ſeq.*

§. 26.

Quæ in externo cultu Dei libera ſint relinquenda.

Quoniam ea, quæ in cultu Dei externo neceſſarium nexum habent cum interno, ejusdem cum interno ſunt indolis (§. 17.); & internus cultus non ſubeſt coactioni civili (§. 24.); ſed qui contra illum peccant, vindictæ divinæ relinquendi ſunt (§. 497.); prono inde alveo fluit, *ea, quæ in religione externa neceſſario nexu gaudent cum interna, in debito uſu pariter libera eſſe a coactione imperii civilis.*

Neceſſaria ſunt in cultu externo, quæ inter dogmata religionis habentur v. g. Iudæorum feſta Sabbathum, & cetera lege Moſaica ipſis injuncta. Porro quæ ex dogmatibus legitime deducuntur ut omiſſio ſacrificiorum; & agenda, quæ dogmatibus ſunt conſentanea. Nec aliter ſtatuendum ſi vel dogmata ſint erronea, quamdiu illa ab ipſis habentur pro veris; tamdiu enim contra conſcientiam erroneam agendum non eſt cuiquam (§. 491. *P.* I. *Phil. pract. un.*). Evidentiora tamen hæc ſunt

sunt in veris. Sic abnegatio agnitæ veritatis religionis christianæ imperabatur primis christianis, interdicebatur ejusdem professio magnis partim præmiis promissis, partim suppliciis propositis & inflictis jam quibusdam. Sed repugnabat abnegatio officio religionis, de cujus veritate divina erant christiani convicti; repugnabat eidem vetita confessio & prædicatio. Ea propter subeunda potius erat adversitatum quarumcunque perpessio, innocentibus imminens ab errore superiorum, quam deserendum officium erga Deum. De abusu vero hic non sermonem esse, admonet debitus, quem dixi, usus.

§. 27.

Religionis in civitate necessitas utilitasque.

Vera religio saltem naturalis in civitate & necessaria est, & admodum utilis. Vera enim religio est modus Deum debite colendi (§. 512. *P. II. Theol. nat.*). Sed ad veram religionem saltem naturalem omnes homines ac civitates obligantur (§ 9. *seq.*). Quare cum obligatio inducat necessitatem (§ 118. *P. I. Phil. pract. univ.*): naturalis hæc obligatio inducit necessitatem moralem, ad omnes homines, civitatesque eorum, pertingentem. Est igitur vera religio saltem naturalis, in qualibet civitate necessaria.

Porro religio interna includit timorem Dei filialem (§. 1234. *P. I. Jur. nat.*). Timor Dei vero influit in omnem virtutem (§. 339. *P. III. Ethic.*) & oblata occasione agendi solicite inquirit, num actio sit voluntati divinæ conformis, nec ne (§. 320. *ibid.*), lubentissime Deo obedit (§. 325. *ibid.*), & constanti solicitudine animi cavet, ne quid faciat, quod Deus prohibuit; & ne quid omittat, quod præcepit (§. 1177. *P. I. Jur. nat.*). Ea propter & in occultis & facile occultandis actionibus quoque veretur quidquam facere voluptati divinæ adversum, certus, nec illud inultum manere posse. Hoc cum legum divinarum custodiam promoveat & felicitatem civium (§. 40. *seq. P. I. Polit.*) quæ primariam salutis publicæ partem constituit (§.

39. *ibid.*),

39. *ibid.*), aliter non obtinendam: manifesta est necessitas utilitasque ejus timoris Dei in civitate quacunque. Præterea jurata fide opus est in civitate sæpenumero in negotiis gravissimi momenti cum publicis tum privatis, quod nemo nescit; Et in fide juranda bona religio arcet tacitas quoque exceptiones conditiones reservationes mentales fraudesque (§. 908. *seq. P. III. Jur. nat.*). Proinde ad fidem quam optimam promissis faciendam, ad dicendam in testimoniis veritatem, unde controversiarum decisio, criminum punitio, innocentiæ purgatio dependet, ideoque ad multiplicem utilitatem nullo modo melius consequendam conducit jurisjurandi ipsiusque ideo veræ religionis naturæ. Admodum utilem igitur & necessarium esse liquet religionem in civitate.

Tam aperta est hæc religionis utilitas in civitate, ut ne hostes quidem omnes, inde & veræ religionis eandem in dubium vocent, sed potius fingant utilitatis civilis causa confictam esse religionem. Quod, quid aliud est, quam si dicerent, utilitatis civium causa commercium cum exteris, inprimis nauticum esse confictum? Quæ in se licita sunt & in publicum vergant commodum, illa perperam dicuntur figmenta. Multo pejus illa figmentis accensentur, quæ sunt officii erga nos aliosque. Politicæ Alexandri M. Doctor *L. VIII. Polit. c. 8.* considerans illa, sine quibus civitas esse nequit (*ὢν ανευ πολις ȣκ αν ειη*), & quæ in illa necessario dari debent, recenset alimenta, artes, arma, opes seu reditus (*χρηματων ευποριαν*), præcipue vero curam religionis (*την περι το θειον επιμελειαν ἥν καλȣσιν ἱερατειαν*), & justitiam. Et *Lib. VI. Polit. c. 8.* ad necessarias reip. curas refert rem divinam, bellicam, reditus publicos *cæt.* Summum illud æternumque numen, quod interest animis nostris, & cogitationibus mediis intervenit, recte agnoscere, & sincera religione colere, fundamentum est & columna totius Reip. Hoc propugnaculum est & tutamen. Vnde magnum imperio robur addunt, qui non ficte nec perfunctorie religionem colunt & tuentur.

tur. Vti contra *Seneca* canit: *ubi non est pudor nec cura juris sanctitas, fides instabile regnum est.* Cæterum quæ de vera religione dicuntur, quæ Deum colit ita uti coli vult, ad falsam & spuriam applicari nequeunt, nisi quatenus aliquid illius retinet, præstatque aliquam dari religionem, quam nullam. Naturalem veram dici, quando convenit cum attributis vel lege Dei naturali, gentibus quibuscunque præscripta, non hic primum monetur. Vid. not. §. 484. *P. VIII. Jur. nat.*). Neque eidem repugnat aut repugnare potest, quod eadem Dei voluntas revelavit, & ad philosophiam referri nequit. Illa vero necessitas utilitasque non minus de interna, quam de respondente illi externa intelligenda est. Cui ex religione christiana maximum accedit pondus ex *æterna salute* adquirenda.

§. 28.

Cura sacrorum humana sapienter Deum imitari, & restringi ad salutem publicam debet, ut quidquid illa salva concedi potest, concedatur. *Norma curæ sacrorum.*

Cura enim sacrorum sapienter est gerenda (§. 487.). Deum sua providentia eandem sapienter gerere (§. 925. & 928. *seqq. P. I. Theol. nat.*), & cuicunque rei tantum boni tribuere, tantumque mali arcere a quavis, quantum salva summa sapientia fieri potest (§. 933. *seq. ibid.*) ostensum est. Qua propter, quia Deum imitatur & imitari debet, quicunque pietatem colit (§. 117. *P. III. Ethic.*): cura sacrorum humana in quavis civitate necessaria utilissimaque (§. 27.) sapienter Deum, vel sapientiam Dei in cura religionis, imitari obligatur & studebit, officio suo satisfactura.

Enimvero Deus suam religionis curam nulla exercet violentia, licet infinita ejus vis illico extirpare funditus omnes posset, qui a religione vera vel alieni sunt, vel aberrant in ipsius cultu; potius summa longanimitate fert hominum pravitates & errores, argumenta efficacissima illis largiter offerendo, quibus convinci de religionis officiis, & in ipsius cultu proficere possint (§. 21.). Quare uti Deus tantum permittit temporis spatium

resipiscendi, & meliora amplectendi, quantum salva summa sapientia, & salva salute totius civitatis maximæ & hujus universi fieri potest: ita quoque humana religionis cura hanc normam sequi, & quæ non obsunt saluti publicæ vel quantum salva salute publica fieri potest, tantum concedere quoque in externo Dei cultu, etiamsi erroneo, debet, peccata in his sapienti Dei vindictæ relinquens, ut par est (§. 25.).

Quia cura religionis pacto inito debetur certis personis, & plerumque rectoribus civitatum (§. 484. *seqq.*), & rectoribus civitatum, cultusve divini vices Dei quam dignissime sunt gerendæ (§. 338. *P. I. Polit.*): illorum administratio imperii esse debet imitatio gubernationis divinæ, pariter in quavis civitate, ac præsertim in monarchia (§. 737. *ibid.*). Quod ex iisdem rationibus in cura religionis præcipue observandum esse, religionis natura satis superque loquitur. Præterea quoque attendendum est æquitatis principium, quod jubet in rebus licitis ea aliis præstare, quæ nobismet in pari casu positis fieri cuperemus. Multa enim dantur religionum & sectarum divortia, alia aliis majora. Quarum nulla est, quæ non in ea versetur opinione, suam esse si non prorsus optimam, saltem cæteris æquiparandam aut minime postponendam. Inde quantum juris una sibi arrogat in alteram, propterea, quia in quodam populo principatum tenet; tantumdem altera sibi arrogabit in alia regione, aut civitate, ubi ipsa plurimum potest. Ne quid ergo fiat, quod recederet a norma providentiæ divinæ circa religionem, illius imitatio rectoribus civitatum est ob oculos ponenda, cujus tolerantia minime est vulgaris; simul vero & æquitatis ratio habenda, ut quod una sibi ab aliis concedi recte velit, idem & concedat aliis, dum salus publica in nullum adducitur discrimen (§. 98. *seqq. P. I. Jur. nat.*).

§. 29.

Cura religionis internæ convictioni Quia humanæ sacrorum curæ est, sapienter Deum imitari (§. 28.); Deus vero suam religionis curam ita exercet, ut argu-

argumentis homines de veritate religionis, suisque officiis in *impetrandæ*
cultu divino convincat (§. 21.): *in civitate quoque sapienter opera* *intenta est.*
navanda, ut qui in ea degunt rationibus solidis de veritate religionis, illiusque officiis convincantur, saltem convinci possint, modo velint.

Religio vera in exercitio virtutum & officiorum erga Deum continetur & pietatis est (§. 10.). Quamobrem uti aliæ virtutes omnes lubenter & quam optime exercent officia sua (§. 428. & 939. *Psychol. empir.*) & liberæ sunt ac esse debent (§. 941. *seq. ibid.*) & (§. 345. *P. I. Phil. pract. univ.*): ita & pietas religionis dux & mater aliunde esse nequit, quam ex hac convictione animi, felicitatis suæ valde interesse, ut ita statuatur & agatur. Hinc curandum est, ut adsint in civitate ea, unde ista convictio haberi possit ab omnibus, qui illius sunt studiosi, nec illam aspernari malunt, quam admittere & amplecti.

§. 30.

Ecclesia est cœtus hominum eodem modo Deum colen- *Ecclesia est*
tium, vel eidem religioni addictorum (§. 484. *P. VIII. Jur. nat.*). *societas, unde*
Jam lex naturæ præcipit, ut Deus verus eo colatur modo, qui *membrorum*
ipsius essentiæ & attributis convenit (§. 1229. *P. I. Jur. nat.*), *ejus obli-*
& ut omnem faciamus usum facultatum nostrarum, ut plene in *gatio.*
illo consentiant (§. 1162. *ibid.*), aliisque etiam bona exempla in cultu divino præbeamus (§. 930. *ibid.*), atque sic nos mutuo in illo perficiamus. Cum societas sit pactum vel quasi de fine quodam conjunctis viribus consequendo (§. 1. *P. VII. Jur. nat.*), & tot dentur societates, quot dantur fines liciti conjunctis viribus promovendi (§. 3. *ibid.*): evidens esse jam potest, dari etiam in ecclesia finem, plane legibus divinis præceptum, eumque esse commune ecclesiæ bonum, vel salutem ejus, quatenus non impeditum ad illud progressum involvit (§. 11. *ibid.*). Quod bonum per præmissa consistit in cultu Dei quam optime explendo seu in vera religione perficienda, quæ in civitate insignis est necessitatis utilitatisque (§. 27.). *Est igitur ecclesia societas,*

cietas, eaque religiosa vel sacra, cujus membra seu asseclæ ad usum subsidiorum animos de veritate religionis & officiorum ejusdem solide convincendi & in cultu divino perficiendi ipso pacto vel quasi, quo in ea mutuo consensu seu expresso seu tacito & præsumto consensere, *obligantur & obligari debent* (§. 29.) & (§. 116. *seq. P. I. Polit.*). Vnde quoddam imperium sacrum in cultu externo nasci liquet (§. 196. *seqq. P. VII. Jur. nat.*): dum internus non subest imperio tali (§. 24. *seq.*).

Ecclesia Athenis jam Solonis ævo fuit concio seu conventus omnis populi, penes quem legitime coactum summa erat rerum totius civitatis ex Solonis lege & instituto. Ordinariarum concionum quotannis tres erant, extra ordinem vero pro rebus natis convocabantur a suis præsidibus, quæ κατεκκλησίαι dicebantur. Vid. *Emmius de rep. athen. p. 31. seq.* Non incommode translatum est nomen ad conciones sacras, religionis causa consociatas, quia & tum jus sacrorum faciendorum per constitutos sacerdotes erat in ipsius potestate. Hinc & jus imperii in sacris externis penes eamdem erat ecclesiam. Re vera mutuo consensu circa sacra externa ordinem, & imperium, quale ad regendum cultum externum requiritur, constitui posse & debere, constat ex (§. 195. *seqq. P. VII. Jur. nat.*). Quo imperio asseclas ejusdem religionis teneri sequitur, sive in statu adulto initiati sint & professi suum consensum in ecclesiæ recepta instituta, sive adhuc degant sub parentum potestate, ideoque præsumto consensu, & parentum potestate ad externum cultum obligentur (§. 634. *P. VII. Jur. nat.*).

§. 31.

Quid diversitas religionum hic requirat?

Vbi in civitate diversæ vigent religiones, ibi unius non est alterius vel reliquarum asseclas cogere, ut utantur subsidiis, quibus ipsius socii uti obligantur; præmiis tamen & amice allici & invitari ad eorum usum possunt. Vbi enim receptæ sunt diversæ religiones in civitate, ibi diversæ dantur dissentientesque ecclesiæ (§. 484. P.

VIII.

VIII. Jur. nat.). Quæ cum sint cœtus hominum eidem religioni addictorum (*ibid.*): sunt societates sacræ seu religiosæ (§. 30.), quæ ratione religionis sibi invicem non sunt subjectæ, sed liberæ & degunt veluti in statu naturali (§. 166-168. *P. VII. Jur. nat.*). Quare nec una religio prævalens licet, arrogare sibi potest imperium in alterius vel aliarum tanquam in suæ asseclas (§. 24) cogendi eos ad usum subsidiorum, quibus convinci possunt, saltem ipsi videntur convinci posse (§. 30.). Quod ipsum in alia civitate retorsioni locum daret, & sic unaquæque sibi dominium in conscientiam a se dissidentium per nefas arrogaret (§. 23.) & (§. 195. *P. VII. Jur. nat.*).

Attamen in civitate sapienter opera navanda est, ut qui in ea degant velintque rationibus solidis de veritate religionis illiusque officiis convinci possint (§. 29.). Atque hoc fit, quando suppeditatur ipsis copia argumentorum, quibus convinci possint, modo velint, quando liber ipsis est accessus & usus eorundem, quando gratis ipsis offeruntur ea, unde ipsis innotescere possunt, & quando vel præmiis invitantur, aliisque amicis modis alliciuntur ad eorum usum. Hinc his modis naturalibus Deus est imitandus in sua cura circa religionem (§. 28.).

Pactis præterea cavendum est, ne facile officium hoc naturale migretur, uti arrogantia, ambitio, avaritia aliique affectus, & opiniones præjudicatæ dictare possunt & solent. Quo enim liquidius in his pactis illa naturalis libertas ecclesiæ est definita, eo apertior erit injuria ipsi facta, de qua conquerendum habet, & eo minus neglectus officii excusari poterit, ob duplicem obligationem, naturalem & pactitiam. Si quid aliter pacto statutum esset, (modo non sit illicitum) ac in naturali libertate continetur, eo tunc foret standum, quia pacta dant legem ea ineuntibus. Vnde §. 486. ostensum est, ex pacto jus sacrorum hoc casu metiendum esse. Tenet quoque usus hoc præceptum in Judæis, quorum tolerantiam divinam & christiani imitantur.

§. 32.

Alendi sunt doctores religionis ab Ecclesia.

Quia rectori civitatis curæ esse debet, ut subditi sint pii (§. 457. *P. VIII. Jur. nat.*) & Deum debite colant (§. 458. *ibid.*), ideoque doctores publici sunt instituendi (§ 459. *ibid.*), iique solida notitia Dei & voluntatis ejusdem, item eorum, quæ tam ad theoriam, quam ad praxin virtutum & vitiorum, omnemque cultum divinum pertinent, instructi, ad docendum apti, & in cultu divino ac quolibet virtutum genere excellentes (§. 460 *ibid.*): satis luculenter apparet, *religionis doctores publicos eligendos & vocandos ab ecclesia, ac communi sumtu alendos esse ab ecclesia*, ut neglectis officiis privatis publico docendi muneri vacare licite & eo melius possint (§. 907. *P. VIII. Jur. nat.*).

Conferenda hic sunt, quæ de salariis Professorum in academiis doctricibus, inventricibusque dicta sunt §. 22. *seqq.* & §. 428. Cum enim par sit ratio, sive ob illa, sive ob hæc sacra docendi munera officia parandæ rei familiaris negligenda sint: non erit difficile, mutatis mutandis, eadem huc transferre. Stati quidem seu certi reditus ipsis statui possunt cum in immobilibus v. c. æde & agellis (Huben) tribus seu duobus ut in pagis fit, in urbibus vero in æde & parata pecunia aliqua aliquot centuriarum florenorum vel vallensium decimis. His imputantur merito privilegia & immunitates ipsis æque aut magis concessæ, quam præceptoribus & Professoribus (§. 359. §. 11. *Polit.*) & (§. 906. 908. *P. VIII. Jur. nat.*). Reditus incerti præsertim statis accensendi itidem imputantur in salarium, capiunturque ex conjugiis proclamandis, copulandisque, ex baptismis, sepulturis, singularibus precibus & deprecationibus, absolutionibus pœnitentium, ægrotorum consolationibus & præparationibus ad mortem, cæterisque similibus.

§. 33.

Partim in scholis & academiis.

Hinc cum cæterarum veritatum virtutumque discendarum causa scholæ jam sint necessariæ & academiæ (§. 313. 321. *seqq.*

seqq. P. II. Polit.): *ubi Ecclesia scholas fovet & academias, ibi simul præceptores & Professores quidam ad docendam juventutem veram religionem receptam constituendi sunt & obligandi* (§. 437. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 34.

Adulti vero homines utriusque sexus, partim extra scholas & academias degunt, partim si ibi degunt, ubi scholæ vel & academiæ habentur, eas tamen nec frequentant, nec frequentare propter alia negotia & impedimenta possunt. Vt hi ergo & doceantur & commonefiant publice officii sui, cultumque Deo debite præstent, & in pietate pariter ac cæteris virtutibus perficiantur, *opus est adultorum utriusque sexus ipsorumque senum doctoribus sacris*, qui *doctores vel ministri ecclesiæ* dici possunt, & propterea quoque publice alendi sunt, quando ipsis cum neglectu rei familiaris muneri docendi & sacra accurate perficiendi est vacandum (§. 32.). *Partim doctores & ministri ecclesiæ.*

Vno nomine qui religionem docent & sacra tractant, *sacerdotes*, aut *concionatores* dici solent, quod Græcorum εκκλησιαςην exprimit, quo nomine salutabantur, qui ad congregatam populi multitudinem e suggestu verba faciebant seu concionabantur. A sacris faciendis vel faciendis rebus divinis dictus quoque est sacerdos *sacrificus*, & *sacrificulus*, munus vero sacrum vel sacerdotis, dictum est *sacerdotium*. Quia pons sublicius Romæ a pontifice primum factus sacer habebatur, ejusque reficiendi cura sacerdotibus, qui sacris præerant, propria erat: dicti etiam sunt *pontifices* hi, qui sacris fuere præfecti; eorumque dignitas *pontificatus*. Hujusmodi nomina aureo latinitatis sæculo usitata, propterea retinentur in latino sermone, ne opus sit aliis præter rem fingendis, aut ex aliena lingua adsciscendis. Si quid enim pagani sibi adjunctum habuere, id emendatur puriori notione & meliori potestate ipsis subjecta. Quod de alendis sacerdotibus, eorumque salariis diximus, ex iis illustratur, quæ supra de scholarum præceptoribus, & Gymnasiorum atque Academiarum Professoribus in medio sunt posita & explanata. Sicu-

Sicubi multi adhibentur ad adultos docendos, qui ruditer & paucis tantum horis per annum utcunque partes ſuas obeunt, ibi ſalariis opus non eſſe pro vulgari & facili opera in communes uſus adhibita, ipſa ratio ſalariorum commonſtrat.

§. 35.

Partes muneris ſacerdotalis.

Munus ſacerdotum generatim huc redit, ut eos, qui in civitate degunt, præſertim adultos imbuant viva cognitione rerum & legum divinarum, ut ſtudeant illos ad virtutes quascunque argumentis exquiſitis enixe & ſuo quoque exemplo incitare, a vitiis vero itidem revocare, atque pietatem eorum in omni cultu divino perficiant in quacunque vitæ humanæ ſorte ac fortuna. Debent enim eos potiſſimum, qui cum ſunt adulti, cujuscunque ſint ſexus, publice docere officia quæcunque, inprimis cultus Deo debite præſtandi, eosque in pietate cæterisque virtutibus magis magisque perficere (§. 34). Quod cum fieri melius non poſſit, quam ſi imbuantur viva cognitione Dei, ipſius proprietatum, beneficiorum, & legum ſubinde in animis ipſorum reſuſcitata & aucta; ſi porro ſtudeant illis virtutes quascunque pro dignitate ſua argumentis exquiſitis, ſubinde variatis & inſtauratis commendare & amabiles reddere, easque ſuo exemplo animare exercere & præire; contra ſi quos corrumpi & a recto tramite deflectere animadvertunt, eos modis optimis efficaciſſimisque in rectam viam revocare non ceſſent; ſi præſertim pietatem eorum in cultu divino interno & externo adjuvent, provocent, firment & in qualibet fortuna ad majores ſubinde gradus evehere omni prudentia, ardore & induſtria indefeſſa nitantur: pateſcit, has eſſe præcipuas muneris ſacerdotalis partes generales.

Brevius partes muneris eccleſiaſtici ad duo capita reduci poſſunt, ad ſolidam religionis doctrinam, & curam exercitii ejusdem conſtantis, in ſe & aliis. Nam cum docere capita religionis veræ non poſſit, niſi qui eas diſtincte callet ſolideque, opus eſt, ut docturus alios ipſe prius ea ſolide cognoverit, & de illorum

rum veritate convictus ſit. Tum alios ſimili modo ſolide docere res divinas poterit, argumentisque rationis & revelationis, ubi hæc habetur, eos pariter convincere & viva imbuere cognitione rerum agendarum fugiendarumque in omni cultu divino. Si præterea alios non ſine fructu pietatem docturus practicam, ipſe recte didicit eam exercere, & ipſius praxi conſtanti omnis virtutis exempla dare aliis poſſit, tum non doctrina tantum ſed & exemplo ſuo proderit, incitabitque alios ad ſe imitandum & æmulandum, ut proficiant ſemper in virtutibus, abhorreantque a vitiis, & ab iisdem quantocyus ſe reduci patiantur ad meliorem frugem.

§. 36.

Cum & ſolidioris doctrinæ adultorum, & virtutum gradus dentur alii aliis ſuperiores inferioresque, & negotia quoque circa cultum divinum tam multa occurrant, quorum alia gravioris alia levioris ſunt momenti, ut alii in his, alii in illis affatim habent quod agant, experientia teſte: perſpicuum fit, *non poſſe omnes ſacerdotes tantum unius eſſe ordinis, ſed alios eſſe ſuperiores, alios inferiores.* Quorum illi ſublimiori ſcientia gravioris momenti majorisque difficultatis rebus ſacris pares ſunt ac præſunt; hi vero tantum levioris momenti rebus ſacris & facilioribus præeſſe poſſunt ac debent. *Sacerdotes requiruntur ſuperiores & inferiores.*

Ita Græci habebant ſuos αρχιερεις & ιερεας vel ιερομνημονας & ιεροφαυλας; Romani ſuos pontifices minores & majores, item maximos; Iſraëlitæ ſuum כהן גדול cæterosque כהנים, hoc eſt magnum ſacerdotem & reliquos ſacerdotes ac Levitas. Magnum ſacerdotium (quam Philo αρχιερυσυνην vocat, & tantum præſtare τῃ βασιλειᾳ cenſet, quantum cura rerum divinarum præſtat curæ humanarum), ab Aarone cœptum erat hæreditarium & ſucceſſivum fere usque ad exilium babylonicum. Sed hæc perſequi noſtrum non eſt, ſufficit his ſatis illuſtrari, quæ præcipimus, in ſacerdotio quoque opus eſſe ordine convenienti, eumque ſapienter ad veræ religionis indolem majorem-

que perfectionem esse instituendum. Idque usu etiam receptum fuisse, & etiam nunc esse, non opus est, ut pluribus exemplis corroboretur. Neque diutius his dilucidandis immorandum videtur, quia paganorum instituta antiqua vel & hodierna percensere, non hujus loci est, sed historiæ religionum, & nuda eorum censura vel & reformatio eos non esset correctura, nec aliis diffidendum est, quin ex Theologia naturali, qui velit, eam facile suscipere possit. Christianorum vero dissidia in sacris ordinibus ad Philosophiam non pertinent, sed Theologis sunt relinquenda. Pontifex maximus multis habebatur autor judex & arbiter rerum divinarum, vindex etiam contumaciæ magistratuum, & apud romanos quoque ab initio rerum romanarum res omnes singulorum annorum literis mandabat, efferebatque in album, & proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi, ut *Cicero* scribit *Lib. II. de oratore c. 12.* & *Livius Decad. I. Lib. 1. & 6.* idem testatur. Idem tamen differebat a rege sacrorum, qui dicebatur. Rex enim sacrificus vel sacrificulus, post reges expulsos, inter sacerdotes perpetuum quidem obtinebat sacerdotium, immune a belli tumultu, sed ei nihil relictum fuit præter feriarum curam & jus sacrificandi in comitiis, & pontifici maximo subfuit ille rex, ut & post illum in sacris epulis accumberet, cujus uxor regina sacrorum dicta fuit. Antea ipsi reges sacrorum erant arbitri; sub consulibus Pontifices maximi petebantur e viris consularibus, qui cum galero erant carpento in capitolium vehebantur, alias lectica, item curuli sella gaudebant, lictore, & splendoris causa ad fores viridi lauro. Postea C. J. Cæsar & auguratum & pontificatum gessit, *Suetonio* teste *c. 13.* Lacedæmoniorum quoque rex simul rerum divinarum sacerdotio summo præerat, autore *Xenophonte de Rep. Lacon.*

§. 37.

Sapienter statuenda de summa sacrorum cura.

Cura sacrorum externorum summa in statu naturali est penes unamquamque ecclesiam, nisi pacto illa eam transtulit vel in unam personam, vel in certum collegium sive absolute,

lute, sive certa lege (§. 953. *P. VIII. Jur. nat.*). Quatenus vero actus religiosi publici indigent civili & autoritate & tutela, aut eorum exsecutio brachio civili, aut generatim publicam salutem aut juvare possunt, aut turbare & impedire; eatenus imperio civili subtrahi nequeunt (§. 954. *ibid.*). Inde penes ecclesiam est, utrum & qua lege hoc jus circa sacra cum imperio civili conjunctum esse debeat, an ab eo certa lege debeat esse separatum penes omnes, vel plurium collegium, vel unum sacrorum regem (§. 955. *ibid.*). Item *num per successionem imperium sacrorum externum, tanquam pars civilis imperii, devolvi in alios debeat; an per electionem seu totius ecclesiæ vel populi, seu quorundam præstantiorum peritiorumque; pactis sapienter est definiendum, ne facile controversiis aut abusui juris & querelis locus detur, saltem oborto tali casu promta haberi possit medela* (§. 12.).

In his legibus pactisque sanciendis magna opus est sapientia & circumspectione, ne quid fiat, cujus postea sit pœnitendum. Consulenda igitur est experientia & historia multorum sæculorum, ut constare possit, quid in externo illo jure veræ religioni vel obfuerit vel profuerit, quo ex alienis malis sapere & cavere similia pericula liceat, aliorum vero emolumentis uti in rem veræ religionis.

§. 38.

Sicubi civitas & ecclesia jus circa sacra simpliciter detulit rectori civitatis, vel in restrictionis lege juris circa sacra nulla fit mentio; ecclesia hoc jus sibi non reservasse intelligitur, nisi prostent rationes in contrarium. (§. 955. *P. VIII. Jur. nat.*). Quia tamen jure naturali, quod immutabile est, præferendum ubique est, quidquid est melius (§. 192. *P. I. Philos. pract. univ.*); *æquius est, ut rector civitatis sponte sua, inprimis rogatus, concedat, quod jure concedi potest dissidentibus in religione, quod ab initio non satis cautum est uti caveri debuisset.* Cum ne quidem er- *Quid in casu dubio concedendum?*

rore & ignorantia aliorum ſit abutendum, ſed circa res conſcientiæ mitiora prævalere debeant, ne quid in Deum peccetur, denegando hominibus jus imperfectum. (§. 1053. *ſeqq. P. IV. Jur. nat.*)

Etiam ex omni deliberatione celandi & occultandi ſpes opinioque removenda eſt. Satis enim nobis perſuaſum eſſe debet, ſi omnes deos hominesque celare poſſimus, nihil tamen avare, nihil libidinoſe, nihil incontinenter eſſe faciendum. Hoc inculcat *Cicero L. III. de officiis c. 8.* quod *Cap. ſeq.* illuſtrat annulo Gygis a Platone inducto. Antea *c. 5. ibid.* dixerat: detrahere aliquid alteri, & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis eſſe contra naturam quam mortem &c. Tolli ſic convictum humanum & ſocietatem . . . ut ſi unumquodque membrum corporis putaret, ſe poſſe valere, ſi proximi membri valetudinem ad ſe traduxiſſet, debilitari totum corpus neceſſe eſſet. Qui naturæ, quæ eſt lex divina, parere velit, nunquam committet, ut alienum appetat, & quod alteri detraxerit, ſibi aſſumat. Etenim multo magis eſt ſecundum naturam excelſitas animi & magnitudo, comitas, juſtitia, liberalitas, quam voluptas, quam vita, quam divitiæ, quæ quidem contemnere & pro nihilo ducere comparantem cum utilitate communi, magni animi & excelſi eſt. Hæc ille de rebus dubiis agens ita diſputat, ut facile huc transferri poſſint. Si quis putet, hæc eſſe adverſa ſtudio religionis veræ, ad quam in civitate promovendam obligamur (§. 10.); is non conſideraret modum, quo religio eſt curanda (§. 16.), qui convictione animi eget (§. 17. 29.), & Deum imitari debet (§. 28.), qui & in externis concedit, quæ ſapienter tolli nequeunt. Si pergat, præſtare religionis unitatem ipſius diverſitate ſæpe noxia; tacite ſumit veritatem ejus, cæterarum autem falſitatem perniciemque, cum diſſenſus tantum eſſe poſſit in paucis, nec capitalibus, aut ſaluti publicæ infeſtis. Si vero quoque diſſenſus eſſet in ſumme neceſſariis religionis capitibus, uti in hodiernorum Iudæorum religione, ſufficit, iſta ſaluti publicæ detrimento non eſſe, quæ privato officio repugnant.

gnant. Optari facilius una tantum religio poteſt, quam præſtari, quod ne Deo quidem contigit, omnium procul dubio ſapientiſſimo potentiſſimo conſcientiæ & religionis veræ ſtatori vindicique. Si ſperari extinctio diſſidii religionum, ſi coacta ſervitia nec religionem efficiunt, nec Deo placere poſſunt: nil ſupereſt, niſi ut gubernatores civitatum imitentur naucleros, qui cum eo, quo cupiunt, pertingere non poſſunt, dirigunt curſum eo, quo tuto poſſunt, ne naufragium patiantur, vi tendando, quod viribus ſuis eſt majus exemtumque.

§. 39.

Si quando diſſidia ſacerdotum ejusdem aut diverſæ religionis in turbandam civitatis pacem vertuntur, id impediendum eſt in civitate, pacem inter diſſidentes tuendo, probibitis injuriis turbarum cauſis, punitis earum autoribus, & ſopiendo controverſias, ubi optime fieri poteſt. *De ſopiendis diſſidiis turbulentis.*

Si quod diſſidium ſacerdotum ejusdem aut diverſæ religionis oriatur, quod intelligitur excitare odia, factiones & turbas ſectatorum; id officit publicæ tranquillitati, & facile erumpere poteſt in pernitiem religionis aut civitatis, niſi confeſtim periculo occurratur. Cum tranquillitas vacuitatem a metu injuriarum poſcat (§. 11. *P. VIII. Jur. nat.*) & finis civitatis obtineri nequeat, niſi conſervetur tranquillitas (§. 13. *ibid.*), ideoque ea inſtituenda ſint in civitate, quæ ad tuendam tranquillitatem requiruntur (§. 15. *ibid.*): curandum eſt in civitate, ut impediantur illa, quæ tranquillitatem publicam ſunt turbatura & jamjam otia ſimultates & factiones peperere. Talia ſunt in noſtro caſu diſſidia ſacerdotum ejusdem religionis, quæ in turbandam civitatis pacem abitura ſunt, & jam eo vertuntur. Quæ tranquillitatis turbamenta cum tolli non poſſint, niſi cauſis eorum ſublatis aut repreſſis, punitisque injuriarum autoribus aut controverſias quam optime ſopiendo: dilucide patet, ſi quando diſſidia ſacerdotum in turbandam civitatis pacem vertuntur,

 id

id utique impediendum esse in civitate prohibendo deprehensas turbarum causas, arcendo injurias, pacem tuendo & sopiendo controversias, quam optime fieri potest. (§. 947. *P. VIII. Jur. nat.*)

Duplicis generis dissidia dari solent in religione, alia placida, alia turbulenta. Placida moderate & amice geruntur, nec injuriis adversus dissidentes locum relinquunt. Turbulenta autem fervent odiis, infestationibus & injuriis mutuis. Hæc turbant tranquillitatem civitatis, ista minime. Quare dispiciendum est, quomodo priora in pacatum statum sint perducta, ut simili ratione turbulenti affectus etiam in his supprimantur & compescantur, prohibitione legali injuriarum, quæ veræ sunt, & fictionis earum ubi nullæ sunt, additis sanctionibus pœnalibus contra immorigeros, & præmiis morigerorum. Ut sopiantur controversiæ, conducit interdum illas in medio relinquere, quando neutra sententia periculum creare sentitur: interdum prohibere publicam illius sententiæ defensionem & propalationem, quæ periculosa civitati videtur; interdum moderamen tractationis injungere, ubi tantum immoderatis affectibus turbæ sunt datæ, & sententiæ dissidentes nihil periculi civitati minantur; interdum silentium utrique parti imperandum, quando frivolæ sunt & futiles controversiæ motæ.

§. 40.

De arcenda coactione occulta.

Occurrendum quoque occultatis obtentu studii veræ religionis injuriis & cogendi ad religionem modis. Vera enim religio nequit extorqueri (§. 24), neque externa actio religiosa sine interna placere Deo potest (§. 26.). Cum vero perinde sit, sive coactio fiat vi aperta, sive tectiori & clandestina, quod per se liquet: ad pacem inter dissidentes de religione servandam non tantum pertinet, ut avertatur vis aperta sive publica sive privata, ideoque manifestæ injuriæ prohibeantur & puniantur pro meritis (§. 39.); verum etiam ut omnes fraudes machinationesque

que occultiores pariter arceantur, & ſicubi emergant autoribus ſuis non ſint impunes. Quare præter damni dati reſtitutionem coërcenda poenis demeritis, & pro re nata in exemplum aliorum exaſperatis. Sic igitur occurrendum eſt vel obtentu ſtudii veræ religionis adhibitis occultioribus injuriis, & cogendi diverſæ religionis cœtus ad ſuam religionem modis.

Quotusquisque non animadvertit, plus nocere hominibus fraudes occultas, quam vim apertam, quæ rarius prodire audet. Vi aperta contra primos chriſtianos uſi ſunt Iudæi & perſecutores pagani, quanquam interdum, nec dolis pepercere. Acutius vero nocere illis aggreſſus eſt Julianus vario primum fraudulentarum machinationum genere, quo oblique & tectius illos a Chriſto avocare & ad idola colenda compellere mirifice ſtudebat. Quæ reprehenſa in illo, num in quoquam alio imitatore laudari poſſunt? Sunt autem hujusmodi compulſiones tectiores denegatio ſcholarum, in quibus liberi edoceantur principia religionis; locorum denegatio, in quibus cultus divini exercendi cauſa conveniant, nec ibi turbentur in ſuis ſacris, ablatio librorum ſuæ religionis dogmata, preces, hymnos continentium, nec diras imprecantium diſſentientibus; expulſio & punitio eorum, qui alios viva voce doceant & exhortentur, vel ſacra adminiſtrent; liberorum initiatio & conſecratio contra parentum voluntatem ad religionis dominantis confeſſionem, damnatio conjugii heterodoxorum, ademtio vitæ ſubſidiorum, unde honeſte cum ſuis alantur; denegatio ejusmodi quoque honorum & redituum, quibus nihil nocere, ſed prodeſſe reip. poſſunt ac debent. Ut paucis abſolvam, omnia illa huc pertinent, quæ ne Judæis quidem inter Turcas, aut Chriſtianos negantur. Multo magis illa, quæ parum abſunt ab inſtitutis Pharaonis adverſus Judæos in Ægypto.

§. 41.

Si quid commiſſum eſt a diſſidentibus in religione, quod poenam meretur, hoc non gravius puniendum eſt, quam ſi commiſſum eſſet, ab *Norma pœnæ diſſidentium.*

ejus-

ejusdem religionis socio, cujus est judex. Delictum enim & crimen admissum hoc casu puniendum est, (§. 647. *P. VIII. Jur. nat.*) non religio recepta & foro divino relinquenda (§. 24. *seq.*). Quoniam gravitas pœnæ æstimanda est ex gravitate delicti (§. 626. *P. VIII. Jur. nat.*): patescit, maleficium admissum, quod pœnam meretur, in se esse spectandum, neque referendum esse ad religionem malefici, ideoque facinus non aliter esse ulciscendum, ac si commissum esset ab eo, qui ejusdem sit religionis, cui judex est addictus. Qua de re si quid admittatur aut iam sit admissum a dissidentibus in religione, quod pœnam utique meretur, id seposita religionis consideratione, non aliter spectandum esse quam si esset religio malefici non diversa a religione judicis, itaque non gravius esse puniendum, quam si commissum esset ab homine religionis ejusdem, quam judex profitetur.

Si spectantur dissidentes a religione dominante, ut inimici, recordandum est amoris inimicorum, lege naturali injuncti, quem & Moses inculcat *Exod. XXIII. 4. seq.* vbi v. 9. vetat peregrinos, qui notant simul religione diversos, opprimere, memores suæ in Aegypto calamitatis. Inde Samaritæ misericordia erga Judæum imitanda commendatur doctori divinarum literarum *Lucæ X. 37.* Solet justitiæ simulacrum oculis obturatis captisve ideo exhiberi, vt innuatur, ipsi personæ rationem non esse habendam, sed causæ, quam bilance in manu examinat, ejusque momentorum rationem ipsi unice habendam, ut secundum hæc sententiam det. Dici igitur & hic potuisset, nullam religionis habendam esse rationem in exercitio justitiæ, quia religio personæ est affectio quatenus interna est aut externam necessario includit, imperio civili neutiquam obnoxia (§. 24. 26.). Quatenus vero religionis consortium in exercitio justitiæ simul æquitatis moderamen adhibere consuevit, satius visum est, regulam justitiæ erga dissidentes a religione sua subditos referre ad moderamen justitiæ receptum erga religionis consortes. Sic paucis multa complecti & insinuare licet, quæ singulatim persequi

sequi opus non erit. Strictim tamen nonnulla attingam. Quando a consorte religionis delictum aut crimen admissum est, hoc non tenet, nisi suum autorem, vel si plures correi dentur, suos autores, quatenus cujusque seu dolus seu culpa meretur. Nemo sanus vero id cæteris religionis sociis insontibus vitio dabit, aut illorum jura ac privilegia propterea perdita esse statuet, qui eandem cum delinquente profitentur religionem. Inde elucescit simili modo esse statuendum, quando puniendi sunt diversæ religionis homines facinorosi. Neque quisquam Saracenus, Persa, Christianus unius vel & quorundam Judæorum scelus vertit in excidium omnium Judæorum, aut in jacturam privilegiorum ab ipsis rite partorum. Si quis religionis consors a malevolis accusatur, datur ipsi facultas se purgandi & ostendendi suam innocentiam, conceditur ipsi patronus causæ, qui libere ipsum defendat, admittuntur testes & documenta, quibus in rem suam uti potest. Si approbat suam innocentiam, absolvitur & punitur falsus accusator ac testis; sin minus, luit ipse delictum, & si vel morti sit dandus, reliquuntur bona legitimis hæredibus. Nonne similia quoque tribuuntur Judæis? Cur ergo gravius animadverterent Christiani in Christianos, quadamtenus a se dissentientes?

§. 42.

Quæ religio dicatur præpollens, vel infirmior, quæ dominans?

Religio præpollens in civitate vocatur religio eorum, qui plurimum in civitate valent, ideoque potentior est cæteris, ut præpotens simul dici possit. *Infirmior* autem dicitur religio & ecclesia eorum, qui minus valent in civitate, quam qui addicti sunt alii religioni. Latius præpollens religio quoque vocari potest, quæ in pluribus vel omnibus civitatibus notis plurimos & potentiores omnibus reliquis asseclas habet. Uti quoque debilior latius dicta erit, quæ pauciores imbecillioresque habet sectatores. *Dominans* autem nonnullis dicitur religio rectoris, vel rectorum civitatis; quamquam rectius diceretur religio *aulica* seu imperantium.

Ab asseclis religionis, eorumque vel præpotentia vel imbecillitate petitam esse hanc differentiam religionis, ipsæ docent definitiones. Ratione ipsarum religionum enim aliter statuendum foret, sic nempe ut præstantissima censeretur, quæ sola esset omnium verissima & perfectissima; præpollens quæ pluribus articulis conveniret cum verissima, quam aliæ; & infirmior quæ in paucioribus quam alia ad verissimam accederet. Si verissimam naturalem quærimus, ea foret, quæ in omnibus cum lege Dei naturali consentiret; si supernaturalem, quæ cum revelatione divina exacte in omnibus conveniret. Unde quid de cæteris habendum foret, facile colligetur.

§. 43.

Religio aulica vel restricta legibus vel minus.

Religio aulica vel potest esse absolute libera, vel legibus cardinalibus restricta. Etenim religio aulica est religio rectorum civitatis (§. 42.). Iam si lege nulla cautum, pactove nullo conventum sit, ut rector civitatis ejusdem debeat esse religionis, quæ in civitate vel ab omnibus, vel a plerisque est recepta; poterit is religionem aliam pro lubitu suo amplecti (§. 959. P. VIII. *Jur. nat.*). Quia quod pro arbitrio mutari potest, in potestate & libertate plena agentis positum est, erit religio aulica in hoc casu libera absolute.

Enimvero si lege cardinali præscriptum sit & pacto conventum, ne alius imperare possit, nisi qui sit receptæ populi religioni addictus, vel prorsus, ut regnum committatur mutata religione, vel a successione excludatur, eam mutaturus seu non amplexurus; imperaturus profiteri debet religionem receptam, ejusque fidem aliis facere, qui de ea re dubitent; mutans vero religionem amittit regnum, aut jus successionis (§. 959. *ibid.*). Ergo hoc casu religio aulica libera prorsus non est, sed legibus cardinalibus restricta ejus libertas.

Libertas hominum uti in aliis rebus, ita & in religione vel potest esse plena, vel restricta legibus. Id quod in omni socie-

tate

tate usu venit (§. 169. *P. VII. Jur. nat.*). Manet enim restricta libertas ideo libertas, quia libertati hominis relinquitur, velitne ingredi societatem, aut si ingressus est, velitne manere in illa, nec ne. Ita quoque aulica religio, licet restricta legibus, manet libera sed non absolute & plene, uti in statu naturali: quia liberum est futuro rectori civitatis, velitne illius religionem prævalentem amplecti, aut amplexam retinere, nec ne, h. e. an malit imperium non adire aut se eo abdicare, si jam adiit illud? Neque tecta hic adest compulsio, sed consulitur illa lege libertati religionis populi, qui ita cavet, ne compelli a rege possit, ad suam religionem abnegandam &c. Si enim populus sponte mutet suam religionem, mutare eandem & rector poterit, debebitque, nisi malit imperio abire. Præmiis invitantur quidem homines ad aliquid agendum, non vero iisdem coguntur. Oblatum imperium dici potest summum in terris præmium, si quis id mereatur, & religio sit vera. Alias erit instar escæ, qua pisces avesque capiuntur decipiunturque: aut instar ejus, quod serpens Evæ promisit, eamdem perditurus.

§. 44.

Quando religio aulica a populo restringenda.

Si populus vera religione gaudet, consultum est, ut ejus conservationis suæque conscientiæ libertatis causa religionem aulicam restringat ad eamdem. Vigere enim debet in civitate vera religio (§. 9. *seq.*), & sapiens ejusdem cura (§. 11. & 16.). Quam ob rem si populus vera gaudet religione, sapienter ipsi curandum est, ut illa conservetur in civitate & ut libertas conscientiæ populo salva maneat, nec propter eam male habeatur. Hoc autem fieri potest, si legibus cardinalibus religio aulica restringatur ad eamdem, quam populus fovet. Ea propter hoc casu consultum est, ut conservandæ veræ religionis & libertatis conscientiæ causa, religio aulica legibus cardinalibus restringatur conformeturque populi religioni.

Si cui videatur superflua esse hæc cautio propterea, quia si populus constans est in religione sua, rector civitatis sponte sua aliam non est complexurus, nisi populo velit displicere, & se pe-

periculo exponere; is unicum tantum casum cogitaret, qui forte inter Sinenses & similes gentes obtinet, quibus difficile est, aliam persuadere religionem. Sed dantur alii casus, ubi potentia rectoris civitatis tanta est, ut facile vi subigere populum & persequi diris modis propter religionem posset, uti annales id factum esse testantur. Quare tutius est pacto & legibus firmare veræ religionis conservationem & conscientiæ libertatem, quam incerto eventui eamdem submittere. Exempla hujusmodi passim prostant in Germania, Polonia, Gallia, Anglia, Suecia, Hispania &c. Neque tamen negaverim, idem quoque fieri posse, ubi religio vera non est, sed dari tantum videtur. Uti si inter idololatras, Mahometanos, Indos, similia instituta darentur. Optima enim quæque per errorem aut dolum verti in abusum possunt, qui genuinum usum tollere nescit.

§. 45.

Quando ab ipso Monarcha.

Si Monarcha seu rex absolutus vera gaudeat religione una cum populo suæ civitatis, poterit & ipse legem successionis ita sancire, ne quis ipsi succedendi jus habeat, nisi eadem gaudens semperque gavisurus religione. Hoc nimirum casu Monarcha gaudet jure populi, teneturque ejusdem obligatione sapientis curæ religionis (§. 133. P. *VIII. Jur. nat.*). Sed populus sapienti curam religionem aulicam restringere potest ad veræ religionis suæque libertatis conscientiæ conservationem perpetuam (§. 44.): idem ergo quoque Monarchæ licere & incumbere liquet.

Hujusmodi exemplum occurrit in regno Daniæ, ubi Rex. Frid. III. A. 1709. regno, cujus imperium solutius acceperat, gratificaturus, edita *lege regia* posteris suis religionem Lutheranam perpetuo amplectendam & tuendam in regno injungit, *artic. I.*

§. 46.

Num aulica religio aliis imperet?

Religio aulica caret jure cæteris imperandi & molestias exhibendi. Neque enim est religio aulica nisi religio rectorum civitatis (§. 42.). Cujusmodi rectoris sunt, monarchæ, impera-

ratores, reges, vel imperatrices & reginæ in principalibus; collegia optimatum in ariſtocratiis; & ſenatus popularis in democratiis, & horum temperamenta in formis temperatis. Enimvero Rectores civitatis non ſunt domini conſcientiæ & religionis (§. 23.), nec religio interna, & quæ propter illam extrinſecus ſunt neceſſaria, non ſubſunt cogenti imperio civili (§. 24. & 26.). Quapropter religioni aulicæ nullum eſt jus religionibus cæteris, pariter receptis, vi imperandi & moleſtias exhibendi, ne quidem modis tectioribus & fraudulentis (§. 40.).

§. 47.

Quantum illi liceat in ſacris externis?

Religioni aulicæ nullum debetur ab aliis obſequium, niſi quod in externis pacto receptum, & ſæpe numero minus eſt eo, quod in aſſeclas religionis aulicæ datur. Caret enim jure cæteris imperandi (§. 46.). Quare cum obſequium non debeatur, niſi cui eſt jus imperandi (§. 206. & 225. *P. VIII. Jur. nat.*): in propatulo eſt, religioni aulicæ nullum deberi a reliquis obſequium.

Idem & ſic oſtenditur: ſi ponas, religionis aulicæ imperio obſequendum eſſe a cæteris, foret quoque illi obediendum, quando imperaret conſcientiæ aſſeclarum ejus contraria. Foret ergo agendum contra conſcientiam. Sed nefas eſt agere contra conſcientiam licet erroneam aut dubiam (§. 441. *ſeqq.* & 448. *P. I. Philoſ. pract. univ.*). Quoniam vero pactis ſtandum eſt (§. 789. *P. VIII. Jur. nat.*), ſi quid in externo cultu rectori civitatis eſt conceſſum, id ipſi debetur & præſtandum erit. Inde ſi quid jubeat circa ſacra externa, quod jure præcipere poteſt, ea, in re ipſi utique erit obtemperandum.

Sed ſi rector civitatis diverſam a ſua religione recipiendam ſtatuit, & pacto convenit cum illius aſſeclis de jure circa eorum ſacra externa, ultra id quod in pacto conventum jus ſuum extendere nequit, etſi illud ſit minus eo, quo gaudet in ſacra externa ſuæ religionis (§. 958. *P. VIII. Jur. nat.*).

Conſultum enim eſt, ne diverſam religionem profitenti concedatur quidquam, quod in abuſum & perniciem religionis ab aulica diverſæ verti facile poſſit. Ea propter id, quod rectori civitatis circa interna & externa ſacra pacto debetur, ut plurimum minus eſt eo, quod ipſi in ſuæ religionis externa & interna ſacra firma illa ſpe conceditur, nunquam fore, ut eo abutatur in ipſius detrimentum.

Si generatim quæras, quid religioni aulicæ in civitate debeatur, facile intelliges ex natura religionis, illi deberi liberum exercitium in aula, & quando opus eſt, ut ſedes aulæ mutetur, & alio ad tempus transferatur, ejus liberum exercitium & ibi, citra detrimentum alterius religionis ab aulica diverſæ, concedendum eſſe. Quare manifeſtum eſt, non licere aulicæ religioni alibi infeſtare & violare jura ac privilegia alterius religionis, quocunque colore & obtentu id fiat. Qui aulicæ religioni non propter perſpectam ejus veritatem & præſtantiam, ſed aucupandæ gratiæ & fortunæ cauſa obſequuntur, aut obſequium ſimulant; hos non agere, uti par eſt, ſed ſuis obſequi cupiditatibus pravis, externisque illecebris potius duci quam pietate & aliis innoteſcit, & vix ipſi ſatis diſſimulare poſſunt. Veræ autem religioni aulicæ legitima ſunt ſubſidia, illam populo perſuadendi.

§. 48.

Cavendum periculum ex mutata religione aulica.

Ubi libera prorſus eſt religio aulica, ibi prudenter cavendum eſt, ne illius mutatio cæteris periculoſa evadat; ſi religio aulica libera prorſus eſt, rectores civitatis poſſunt pro ſuo arbitratu, aut aliorum perſuaſu aliam amplecti religionem (§. 43.). Eſto mutatam religionem ferri, ſeu rectorem civitatis poſt mutatam religionem ferri in delendam religionem priſtinam, & ad compellendos ſubditos partim tecte partim aperte ad amplectendam religionem novam, quod factum eſſe, Juliani & aliorum exempla docent. Nonne ita in magnum diſcrimen adducentur,

tur, quotquot religionem novam, tanquam falsam detestantur. Si revera falsa sit, aut vix ulla, quæ adsciscenda obtruditur, nisi fama, fortuna & vita privari malint; eritne misera illa civitatis facies? Quare cum miseria prævisa & evitabilis sapienter sit avertenda quantum in potestate est (§. 183. & 613. *P. I. Jur. nat.*): illa quoque mala, quæ ex mutata religione aulica enasci possunt, sapienter sunt cavenda, ne civitas in illa incidat. Vbicunque ergo libera prorsus relinquitur religio aulica, sive ex fiducia bonæ causæ, & spe concepta, fore ut nunquam mutetur, sive ex quacunque alia ratione, ibi prudenter quantum fieri potest, cavendum esse intelligitur, ne illius mutatio, contra spem & opinionem præsentem, reliquis funesta evadat, & nimis sero credulitatis pœniteat atque neglectus cautionis.

§. 49.

Quomodo istud periculum præcavendum sit?

Persecutionis periculum e mutata religione aulica proditurum caveri melius nequit, quam si isto casu omnia jura & privilegia in eo statu relinquenda sint salva, quo fuerant ante religionis aulicæ mutationem. Etenim si periculum est cavendum, ejusmodi illi objicienda sunt impedimenta, propter quæ nocere nequeat, sed avertatur a nobis imminens seu boni jactura, seu mali perpessio (§. 371. *P. I. Jur. nat.*). Sed per se evidens est, si omnia pristinæ religionis jura & privilegia in eo flore manere debeant, quo fuere ante ejus mutationem, nocere aulicæ religionis mutationem non posse, & simul arceri illa mala, quæ ex persecutione religionis mutatæ asseclarum nasci possent. Melius ergo caveri vix poterit periculum e mutata religione aulica metuendum, quam si isto casu omnia jura & privilegia salva & in eo statu relinquenda sint, quo fuerant ante religionis aulicæ mutationem. Hanc cautionem esse legitimam eo clarius patebit, si non videatur solum sed sit vera religio, quæ mutata est in falsam,

aut

aut minus veram. Alias ipſa veritas docendo legitime vincet errores.

Ad id, quod melius eſt, cæteris præferendum, nos obligari, expediti juris eſt (§. 193. *P. I. Phil. pract. univ.*). Inde & civitatem ejusque rectorem naturaliter ad melius præferendum obligari, dubio caret. Licet igitur nihil conventum ſit inter civitatem ejusque rectorem vel rectores, naturalis tamen obligatio, inita mutatione religionis aulicæ, quam veram aut veriorem mutatam eſſe ponimus, urget æque ac religionis natura, ut ſubditis relinquatur conſcientiæ & religionis libertas, cum omnibus juribus, privilegiis, & conſuetudinibus, antea in ipſa aula approbatis. Quod cum ſubditi tunc jure deſiderent, ipſis lubenter erit concedendum & privilegio confirmandum. Si enim id denegaretur, anſa daretur multis internis diſſidiis, & odiis ſubditorum, unde bellum inteſtinum naſci poſſet.

Interim præſtaret, illa quoque pacto & legibus cardinalibus eſſe proviſa, quam poſtea demum ingratiis & invito rectore civitatis ad liquidum deduci. Plus enim libertatis tunc conceditur rectori civitatis, quam ſi mutaturus religionem prorſus nequeat rector civitatis manere. Vt vero lucidius conſtet, quid ſibi velit ſalvus priſtinæ religionis ſtatus, diſtincte explanandum eſt, quævis officia publica danda non eſſe niſi priſtinæ religioni ſincere addictis, ideoque ab illius heroibus electis, & repudiandis, ſi ſe reddant ſuſpectos; & directionem curamque ſacrorum externam iis conſiliariorum collegiis tum totam eſſe permittendam, quibus ante mutationem fuerat commiſſa ſic, ut vel nulla confirmatione rectoris indigeant, ſed ejus nomine illa per ſe agant, vel confirmatio ipſorum decretis nunquam poſſit in fraudem religionis denegari. Neque negligenda eſſet definitio officiorum privatorum aulicorum, ne qui illis jure hactenus gaviſi ſunt, plane illis inſontes exuantur,

aut

aut in poſterum indigni cenſeantur, ſed præcipuorum & lautiores reditus habentium, certus numerus debeatur priſtinæ religionis aſſeclis. Pariter uſus potentiæ publicæ reſtringendus itidem erit dictis modis, ne quid inde ſit metuendum. Salva ſic ſemper manent veritati ſua argumenta, quibus vincere errores valet.

Illuſtrari hoc juvat *inſtrumenti pacis Weſtphal. artic. VII. n. 1.* ubi hæc habentur: De jure reformandi inter utramque religionem ita conventum eſt, ut ſi quis princeps vel alius territorii dominus, vel alicujus eccleſiæ patronus poſthac ad alterius partis ſacra tranſierit, aut principatum vel ditionem, ubi alterius partis ſacra exercitio publico de præſenti vigent, ſeu jure ſucceſſionis ſeu vigore præſentis tractatus, aliove quocunque titulo nactus fuerit, aut recuperarit, ipſi quidem concionatores aulicos ſuæ religionis citra ſubditorum onus aut præjudicium ſecum atque in reſidentia ſua habere liceat, at fas ei non ſit, vel publicum religionis exercitium, leges aut conſtitutiones eccleſiaſticas, hactenus ibi receptas, immutare, vel templa, ſcholas, hoſpitalia aut eo pertinentes reditus, penſiones, ſtipendia, prioribus adimere, ſuorumque ſacrorum hominibus applicare, vel juris territorialis, epiſcopalis, patronatus aliove quocunque prætextu ſubditis miniſtros alterius confeſſionis obtrudere, ullumve aliud impedimentum aut præjudicium directe vel indirecte alterius ſacris afferre. Et ut hæc conventio firmius obſervetur, liceat hoc mutationis caſu ipſis communitatibus præſentare, vel quæ præſentandi jus non habent, nominare idoneos ſcholarum & eccleſiarum miniſtros, a publico loci conſiſtorio & miniſterio, ſi ejusdem cum præſentantibus vel nominantibus communibus ſint religionis, vel hoc deficiente, eo loco, quem ipſæ communitates elegerint, examinandos & ordinandos, atque a principe vel domino poſtea ſine recuſatione confirmandos. Additur *n. 2.* ſi vero aliqua communitas eveniente mutationis caſu domini ſui religionem amplexa petierit ſuo ſumtu exercitium, cui

princeps vel dominus addictus est, liberum esto, sine reliquorum præjudicio ei illud indulgere, a successoribus non auferendum. At consistoriales sacrorum visitatores, Professores scholarum & academiarum Theologiæ & Philosophiæ, non nisi eidem religioni addicti sint, quæ hoc tempore quolibet in loco publice recepta est &c. Plura exempla qui volet, partim ibidem in antecedentibus, partim alibi passim reperiet.

§. 50.

Quando aulica religio simul præpolleat.

Dum religio aulica simul est religio totius aut majoris civitatis partis, illa simul erit præpollens; dum illa mutata est, præpollens ab ipsa erit diversa. Etenim dum religio aulica & præpollens in civitate est eadem, necesse est, ut aulica simul sit præpollens (§. 414. *P. II. Polit.*). Sed dum illa est mutata, non amplius est eadem cum prævalente. Ergo præpollens religio tum ab aulica debet differre.

Non sequitur tamen, si præpollens religio civitatis differt ab aulica religione, hanc ideo esse infirmiorem illa. Propter summam enim potentiam potestatemque, quæ est penes rectores civitatis, potest & solet illa non esse infirma, sed talis potius, a qua præpollenti quoque facile periculum oriatur, & metuendum sit, nisi illi sapienter obviam eatur (§. 40.).

§. 51.

Præpollenti religioni infirmiores non sunt subjectæ

Religioni præpollenti infirma, aut infirmiores, sicubi plures habentur, nullum debent obsequium. Eadem enim esse potest religio præpollens atque aulica (§. 50.). Saltem par semper ejus est ratio, ac aulicæ. Quare cum aulicæ religioni nullum a cæteris debeatur obsequium (§. 47.): nec infirma religio obligatur obedire præpollenti, neque ubi plures sunt imbecilliores, illæ præpollenti erunt subjectæ, aut ejus imperio obnoxiæ. Hinc nec præpollens sibi imperium in illas arrogare, eas affligere & opprimere debeat.

Po-

Ponamus falsam esse religionem infirmiorem, nullum tamen inde nasci potest jus punitionis, aut oppressionis: cum falsa & errores refutando eximi animis errantium debeant, vi autem extundi inde nequeant, salva libertate mentis humanæ, h. e. fere idem, ac si diceretur, salva ejus natura. Quidquid enim libere velle debet mens nostra, id oportet ut distincte cognoverit, esse sibi bonum; uti quod confuse ipsi bonum esse videtur, tantum appetit sensitivo more, sibi cum bestiis communi. Hinc & religio libere amplectenda non aliter quam distincta agnitione & convictione de illius veritate & salutari indole animum rite occupabit tenebitque; pro imperio autem obtrudi animo nequit.

§. 52.

Quid exigi nequeat ab infirmiori ecclesia in externis sacris.

Nec aulica nec prævalens religio præcipere & exigere potest, ut infirmioris asseclæ suis se conforment sacris externis. Etenim nec aulica nec prævalens religio gaudet jure infirmæ imperandi eive molestias exhibendi (§. 46.) nec si quid hujusmodi audent, infirma obligatur illi obedire (§. 47.). Licet igitur religio aulica & præpollens circa sacra externa suæ religionis asseclis imperare possit, hoc tamen non est, nisi ex pacto (§. 12.). Inde aulica & præpollens religio nihil juris habet, vel in externa infirmioris ecclesiæ sacra, nisi quod illi pacto est concessum (§. 14.). Id vero pacto concedi nequit, quod cum interna religione, quatenus differt ab aulica & præpollente, arctissime est connexum, itaque nequit subjici imperio civili sine religionis eversione (§. 26.). Quapropter nec aulica nec præpollens religio id præcipere potest, ut infirmæ religionis asseclæ suis utantur aut se conforment sacris externis (§. 423. *P. II. Polit.*), multo minus illos adigere vi potest, ad talia agenda vel non agenda, quæ ipsi habent pro peccatis (§. 419. *ibid.*), propterea quia a religione aulica vel præpollente illa recta & pulchra ducuntur.

Non valet hic argumentum a majori ad minus, ob disparitatem religionis. Concedi potest, religionem aulicam sacra externa moderari religionis aut ecclesiæ præpollentis, quando utraque est eadem, & pacto illi tale imperium est tributum. Sed qui inferre vellet, hæc vel illa rector civitatis præcipere & exigere potest in sacris externis religionis præpollentis, & vi adigere illius asseclas ad actus ejusmodi externos: ergo multo magis illa ipsi licent in asseclas ecclesiæ imbecillioris, is procul dubio male ratiocinaretur. Constat enim, hoc idem fore, acsi contenderet, imperio civili homines adigi posse ad agendum contra suam conscientiam (§. 47.), ideoque ad peccandum, quod fini civitatis repugnaret (§. 41. *P. I. Polit.*) & omnino nefas foret (§. 226. & 672. *P. VII. Jur. nat.*). Inde est, quod plerumque plus juris detur rectori civitatis in suæ religionis asseclas, quam in asseclas diversæ religionis (§. 31.) & (§. 958. *P. VIII. Jur. nat.*). Neque id ab usu abhorret. Judæis enim sui conceduntur dies festi, a christianis diversi, neque conformatio festorum cum festis diebus christianorum ipsis imperatur. Mahometani sua festa colentes non eo insaniæ procedunt, ut christianis vel Judæis injungant frequentationem suorum templorum, sacrorum, & celebrationem suorum festorum, sed permittunt & Judæis & Christianis, ut pro sua conscientia sacra sua obeant, celebrentque suos festos dies. Patet ex his num genu flexio & similia imperari & extorqueri possint in sacra processione.

§. 53.

Infirma religio non est opprimenda.

Infirma religio & ecclesia a potentiori non est opprimenda ullo obtentu. Religio enim & Ecclesia potentior est præpollens (§. 514) item aulica, non tantum si ea simul sit præpollens, verum etiam si ab illa sit diversa (§. 40 50.). Atqui religio aulica nullum jus habet cæteris religionibus imperandi & molestias creandi (§. 46.). Idemque dicendum est de religione præpollente (§. 51. *seq.*). Sed per oppressionem non potest non maxima creari molestia & injuria religioni & ecclesiæ infirmæ,

quod

quod per se liquet. Occurrendum vero est quibuscunque clandestinis quoque & ullo obtentu incrustatis injuriis & cogendi modis (§. 40.). Relinquitur ergo, nullo obtentu infirmam ecclesiam & religionem a potentiori esse opprimendam.

Præterea ubi in civitate diversæ vigent religiones, ibi unius non est alterius vel reliquarum asseclas cogere, ut utantur subsidiis iisdem, quibus ipsius socii uti obligantur (§. 31.); sed arbitrio ipsorum relinquendum est, utrum ipsis uti velint, nec ne (§. 29.). Iam religio quatenus est interna, nequit subesse imperio cogenti (§. 24.), neque externa quatenus necessario fluit ex interna (§. 26.). Quare cum *oppressio* religionis notet ejus violentam impeditionem, extinctionemque, saltem quantum in se est attentatam; quæ sine coactione dira, moribusque pharaonicis, injurias summas & internecionem asseclarum quærentibus fieri nequeat: manifestum est, hisce summis injuriis, voluntati & legi divinæ e diametro oppositis, abstinendum esse, ideoque infirmam religionem a potentiori nullo obtentu esse opprimendam.

Non nisi truculenta immanitas vi aperta grassaretur more plus quam beluino in oppressionem religionis. Inde ejus ne quidem mentionem hic faciendam duxi in præcepto. At quoniam facile obtentus & color quidam illini & adhiberi potest speciosus, quæsitæ oppressioni, illius persona hic detrahenda fuit, qua prodire possit soleatque, ne videatur esse quod est. Pharaonis obtentus erat politicus, ne populus Israëliticus jam sat numerosus prævaleret tandem Aegyptiis, aut eorum hostibus se adjungeret. Aliis potest zelus religionis obtentum præbere; aliis exemplum Judæorum idololatras in Palæstina extirpantium; aliis promovendæ salutis publicæ ratio, quæ ex diversitate religionum facile in discrimen seditionum & bellorum intestinorum adduci posset; aliis venditata hominum æternæ salutis, & illustrationis gloriæ divinæ cura studium ac zelus converten-

di &c. Fœcundas enim fictiones ingenii pravi quis omnes in promtu habeat? Unitatem religionis multi laudant, & quando verissimam optimamque subaudiant, non præter rem. Ea enim ut inter omnes omnino gentes liberrime obtineret, optandum esset. Quando autem quisque populus suam statuit esse optimam, ideoque in exstirpandam omnem aliam grassaretur, nonne sic nequissimum omnium in omnes bellum internecinum oriretur fureretque? Parne esset ratio, si omnes civitates dirissimo inquisitionis tribunali e medio tollerent omnes a sua religione dissentientes?

§. 54.

Quid sit tolerari & non tolerari.

Tolerari dicitur religio, cui a prævalente liber usus sacrorum suorum conceditur, præsertim publicus. *Non tolerari* illa, cui liber sacrorum usus in civitate denegatur. Latius quoque tolerari in civitate dicuntur, qui ex eadem non ejiciuntur; & tum non tolerantur qui ex eadem ejiciuntur seu expelluntur.

Tolerare generatim est sustinere & patienter ferre; inde *tolerantia* fere patientiæ æquiparatur, a qua tamen discerni sic potest ut hæc civilis sit virtus, in aliis ferens id, quod non prorsus rejiciendum videtur; illa ethica in se ferens, quæ mutari nequeunt, animo æquo. Refertur igitur tolerantia ad sapientem permissionem malorum saltem apparentium.

§. 55.

Quando sufficiat curare salutem publicam secundariam.

Quatenus salus publica primaria & interna obtineri in civitate nequit, eatenus saltem curandum est, ut secundaria & externa salus obtineatur. Equidem salus publica integra non est, nisi contineat & primariam & secundariam, quanta haberi potest. (§. 38. *P. I. Polit.*). Primaria continet felicitatem omnium & singulorum civium, quatenus obtineri potest (§. 39. *ibid.*) ideoque est interna (§. 40. *ibid.*). Secundaria autem involvit tutam fruitionem bonorum corporis & fortunæ, quanta conjunctis viribus haberi potest (§. 42. *seqq. ibid.*) & absolvitur affluentia, tranquillitate ac se-

securitate civilibus (§. 46. *ibid.*). Quare opera quidem danda est in civitate, ut salus publica interna provehatur & obtineatur, quam optime fieri potest, hoc est virtutibus quibuscunque (§. 40. *ibid.*). Quatenus vero hæ obtineri civilibus adjumentis nequeunt, eatenus & salus primaria obtineri nequit, nec ultra vires obligatio locum habet (§. 209. *Philos. pr. un. P. I.*). Restat ergo, ut studeatur saluti secundariæ provehendæ, quantum junctis viribus fieri potest. Hinc quatenus salus publica primaria obtineri in civitate nequit, eatenus sufficit, si curetur, ut secundaria pro viribus obtineatur.

Indigemus hoc lemmate in sequentibus stabiliendis! Quare illud hic fuit inferendum & ex principiis partis Politicæ primæ deducendum. Si tantum hæc secundaria salus publica seu externa finis constituatur civitatis, quod tolerari potest, quando præcipue ratio habetur status externi perficiendi; ex ipsa illa salute publica sic restricta repeti hoc præceptum simpliciter potest. Sed quia primariæ salutis ratio etiam non negligenda est in politicis, malui salutem publicam præter necessitatem non efficere arctiorem ac est, sed in omni ambitu suo eam spectare.

§. 56.

Quæcunque religio suum saluti publicæ externæ vel secundariæ non adversatur, illa est tolerabilis. Quatenus enim salus publica interna & primaria ex voto obtineri nequit, saltem opera danda est, ut externa & secundaria obtineatur (§. 55.). Quapropter quum religio imperari & extorqueri nequeat (§ 17. & 24.), sed delinquentes adversus illam divinæ relinquendi sint vindictæ (§. 25), si suppeditatis veræ religionis subsidiis sponte uti nolint (§. 29. 31.): liquido apparet, ejusmodi religionem tolerari posse, quæ non adversatur externæ vel secundariæ civitatis saluti.

Quæ religio sit tolerabilis.

§. 57.

§. 57.

Num toleranda sit religio nec ne, disquirendum.

Quia non opus eſt, ut omnia fiant in civitate, quæ fieri in illa poſſunt (§. 173. *Ontol.*), concedi nequit, omnem religionem tolerabilem in quavis civitate eſſe tolerandam. *Ea propter ſi quæratur, num qua religio ſit in civitate toleranda, nec ne, eruendæ erunt rationes in utramque partem occurrentes, & examinandæ accurate, ut appareat, quænam præferri mereantur.* Si vincant rationes pro ea toleranda facientes, ſequetur eam eſſe tolerandam; in contrario caſu vero eam non eſſe tolerandam. *Præcipuæ autem rationes internæ habentur in dogmatibus, ſaltem religioni naturali conſentaneis moribusque aſſeclarum ejus probis.*

§. 58.

Edenda profeſſio dogmatum propriorum.

Ut judicari poſſit, num qua toleranda ſit religio in civitate, edenda ante omnia erit ſincera profeſſio dogmatum ipſi propriorum. Etenim ſi quæratur, num qua religio ſit toleranda, illius aſſeclæ vel nondum ſunt recepti in civitatem, vel jam dudum in illa degunt, ſed nunc religionem priſtinam non amplius profitentur, a qua diſceſſerunt. In utroque caſu judicare civitas ejusque rector aut ſenatus non poterit, ſintne recipiendi & ulterius retinendi in civitate nec ne, niſi illa dogmata ſincere proferantur & in medio ponantur, quæ diverſa ſunt a recepta dudum religione. Ex his enim perſpiciendum erit, num illi liber ſacrorum ſuorum uſus concedi poſſit, ideoque num ſit tolerabilis, nec ne (§. 54.). Quo circa cum, quando quæritur, num qua religio ſit toleranda, eruendæ & examinandæ ſint rationes (§. 57.), & inter rationes, e quibus judicandum eſt, num qua religio in civitate ſit admittenda, primarias ſint dogmata illi religioni propria (§. 512. *P. II. Theol. nat.*): evidens eſt, ut judicari poſſit, num qua religio ſit toleranda in civitate, ante omnia edendam eſſe ab ejus aſſeclis ſinceram profeſſionem dogmatum ſibi propriorum.

Ne vera dogmata celentur & alia eorum loco exhibeantur, obtineri potest, si sanctione pœnali ad omnia, quæ ipsis propria sunt, dogmata enumeranda obligentur, ea lege, ut si alia dein fovere deprehendantur, non tantum excidant forsitan concedendis aut concessis; sed & insuper graves incurrant pœnas ob dolum admissum.

§. 59.

Inquirendum quoque in mores & vitam asseclarum religionis ex religione oriundam, ut constet, num quid periculi inde civitati sit metuendum? Quando enim quæritur, num qua religio in civitate sit toleranda, eruendæ sunt rationes in utramque partem occurrentes, & examinandæ accurate, ut appareat, quænam præferri mereantur (§. 57.). Sed inter illas rationes præter dogmata morum & vitæ ex religione fluentis indoles magni est momenti ad salutis publicæ vel incrementa vel decrementa (§. 41, & 91. *P. I. Polit.*). Idcirco inquirendum quoque est in mores & vitam religioni respondentem asseclarum religionis, ut constet, num quid periculi inde civitati sit metuendum,

Quatenus & vitæ ratio habenda?

Pravitatem vitæ, non ex religione ipsa, sed ex illius neglectu & contemtu oriundam, non esse hic attendendam vel ex eo patet, quod in religione recepta pariter non desunt homines scelerati, qui vero tales non sunt per religionem, sed per ipsius contemtum, neglectumve. Si quid hujusmodi quoque in aliis religionis asseclis observetur, quod ipsis principiis & dogmatibus omnino adversetur, id pari æquitate non erit ipsi religioni imputandum.

§. 60.

Si nec dogmata nec mores asseclarum alterius religionis quidquam habeant, quod secundariæ saluti publicæ repugnet, cæteræque ratio-

Quæ religio sit toleranda nec ne?

tiones status civilis consentiant; illa religio erit toleranda; in contrario casu neutiquam erit toleranda. Est nempe religio tolerabilis, quæ saltem secundariæ civitatis saluti non adversatur (§. 56.). Si quæratur, sitne toleranda, nec ne; rationes præcipuæ redeunt ad dogmata religioni saltem naturali consentanea, & mores probos asseclarum ipsius (§. 57.). Quare si edita dogmatum sincera professione, & investigatione vitæ dogmatibus conformandæ, nihil reperiatur, unde quidquam periculi saluti civitatis saltem externæ metuendum sit; si cæteræ quoque rationes civiles, ob quas asseclæ præpollentis religionis admittuntur ad civitatem retinenturque in eadem, pares sint; nulla suppetet ratio, cur ejusmodi religionis asseclæ non essent libero religionis suæ exercitio dignandi. Concedendum ergo illis erit liberum religionis exercitium, & eorum religio erit toleranda (§. 56.).

Causæ externæ tolerationis esse possunt, tum rationes civiles, augendi civium numerum, locupletandi civitatem ipsorum opibus, augendi & provehendi artes, opificia & commercia, quibus dediti sunt ejus asseclæ, augendi ærarii & fisci reditus & cæteræ generis ejusdem; tum aliæ, uti spes conversionis eorum saltem in posteris, si non omnium, certe nonnullorum. Ideo enim quoque Judæi tolerantur, quorum dogmata ipsis propria falsa esse, nemo Christianorum nescit. Præterea spectandum, num qua alia civitas ipsos toleratura præsto sit, aut aliæ civitates eam religionem nullo incommodo suo tolerent, dudum tolerarint? Item, si quid videatur metuendum, quo modo istud ita circumscribi, (§. 957. *P. VIII. Jur. nat.*) & intra concellos hujusmodi includi possit, ut metus evanescat. Sic provisum est in civitatibus Christianis, ne Judæorum infestus erga Christianos animus facile nocere, neque ac ab ipsorum doctrinis & moribus his quidquam metuendum sit. Accedunt & aliæ rationes

nes, quas omnes commemorare longum foret & supervacaneum vel propterea, quod ignotæ vel paucis esse poterunt, vel non iis, quorum refert, eas habere perspectas, quando hujusmodi quæstio in deliberationem venit.

§. 61.

Jus emigrandi latius est jus liberi discessus e civitate, salvis omnibus emigrantis juribus; strictius autem jus emigrandi dicitur jus *idem ob denegatum religionis exercitium.* Hoc strictiori sensu illo nunc utemur, latiorem suo loco adhibituri. Est vero illa emigratio vel voluntaria, vel involuntaria. Illam permittit rector civitatis sponte sua abituris, hanc imperat abituris invite. Unde discessus horum est imperatus, nisi plane coactus; illorum tantum arbitrarius. Ille expulsio vel ejectio dici potest & exilio æquiparatur (§. 145. *Jur. Gent.*); hic dimissio vel lubens emigratio.

Quid sit Jus emigrandi?

§. 62.

Si qua religio non videtur esse toleranda, illius asseclis concedendum est jus emigrationis. Etenim si qua religio non videtur esse toleranda, illi a civitate denegatur liber sacrorum usus (§. 54.); & denegato libero sacrorum usu, asseclæ ipsius suam religionem publice vel & privatim exercere nequeunt, quia denegatum ipsis est jus statuendi de rebus ad cultum divinum & ecclesiam pertinentibus (§. 945. *P. VIII. Jur. nat.*). Enimvero cultus Dei non minus internus quam externus est lege naturali præceptus (§. 1231. *P. I. Jur. nat.*), & homo per ipsam essentiam & naturam suam obligatur ad colendum Deum (§. 1122. *ibid.*). Quare si rector civitatis ipsi denegat liberum religionis exercitium, & cogere illum velit ad aliam religio-

Quibus concedendum sit jus demigrationis.

nem nullo jure (§. 46.): quia Deus libere est colendus (§. 24.), ex obligatione illa ipsi nascitur jus (§. 158. *seq. P. I. Phil. pract. univ.*) libere discedendi ob denegatum religionis exercitium h. e. jus emigrandi (§. 61.). Cum nemini jus, quo naturaliter gaudet, denegandum sit, (§. 922. *P. I. Jur. nat.*): si qua religio non videtur esse toleranda, illius asseclis concedendum est jus demigrationis.

Relinquo in medio, num recte civitati videatur alia religio non esse toleranda, nec ne. Si id ipsi perperam videretur, manifestum est, religioni tolerandæ aut plane veræ summam fieri injuriam, denegatione juris emigrandi. Si vero recte id videatur, quia tamen errantes cogendi non sunt, ut contra conscientiam erroneam agant, & peccent, non erit ipsis denegandum jus emigrationis. Erant Israëlitæ in Ægypto ob religionem suam Ægyptiis exosi, nec videbantur amplius esse tolerandi. Denegabatur vero ipsis demigratio a Mose & Aarone expetita obtentu sacrificii in deserto faciendi, quod e quibus rebus petendum sit, necdum scirent. Multo magis denegata esset, si eam directe & aperte rogassent. Malebant Ægyptii eos eradicatis maribus extirpare, itaque eorum bona in se derivare, & feminas ad suam religionem pertrahere. Proinde procurabat ipsis Deus demigrationem non tantum concedendam, sed imperandam tandem, ut veluti expellerentur ex Ægypto. Si suæ religionis sociis denegari potest emigratio, cogitanda est disparitas religionis (§. 47.).

§. 63.

Quomodo illud sit certius faciendum.

Quia jus emigrandi infert jus ob denegatum religionis exercitium libere discedendi e civitate salvis emigrantium juribus quibusque (§. 61.); & facile fieri potest, ut civitas potentior id deneget, affectando imperium conscientiæ, & inhiando bonis asseclarum ejus: *legibus civitatis cardinalibus, pactisve publicis*

cis jus demigrationis infirmiori eccleſiæ faciendum eſt quam certiſſimum.

Si ſufficeret ad hoc, ne quid fiat, ſcire id eſſe lege divina prohibitum, non opus foret his cautionibus quærendis. Facile enim oſtenditur, ne infirmam quidem eccleſiam (cujusmodi erat in ſuis primordiis eccleſia chriſtiana, per aliquot ſæcula) a potentiori ullo obtentu eſſe opprimendam (§. 53.). Sed cum præjudiciorum & affectuum vis leges divinas ſæpe negligat & perrumpat, iisdem opus ſubſidiis humanis, quibus injuriis aliis occurrendum fuit, ut bellum ſummopere evitetur, legibus nempe & pactis privilegiisque. Quare conſultum eſt, ut belli evitandi cauſa legibus, pactis, privilegiisque firmetur & extra dubium ponatur jus emigrationis, quoad præcipua, quæ ipſi inſunt, momenta. Sic factum eſt, & factu opus fuit in Germania, Polonia, Anglia, Belgio, Turcia & alibi paſſim. Sufficiat unicum exemplum ex *pace Osnabrug. Art. V. n. 36.* quodſi ſubditus, qui nec publicum nec privatum religionis ſuæ exercitium Ao. 1624. habuit, vel etiam, qui poſt publicatam pacem religionem mutabit, ſua ſponte emigrare voluerit, aut a territorii domino juſſus fuerit, liberum ei ſit, aut retentis bonis, aut alienatis diſcedere, retenta per miniſtros adminiſtrare, & quoties id ratio poſtulat, ad res ſuas inſpiciendas vel perſequendas lites aut debita exigenda, & ſine literis commeatus adire. No. 37. terminus emigrationis præterita mutatione religionis conſpicuis non minor quinquenio, futura uſuris non minor triennio præfigitur, caveturque ne emigrantibus nativitatis, ingenuitatis, opificii & honeſtæ vitæ teſtimonia denegentur, neu reverſalibus inuſitatis vel decimationibus ſubſtantiæ ſecum exportatæ, plus æquo extenſis progravenrur, multo minus ſponteneam emigrationem ſuſcipientibus ſervitutis aut ullo alio prætextu impedimentum inferatur.„ Diſerte hæc agunt, de illis, qui nec privatum nec publicum habuere religionis exercitium.

§. 64.

Quale jus emigrandi esse debeat?

Jus emigrandi infert æque liberum discessum cum familia, & familiaribus, ac si discedens religioni præpollenti esset addictus. Est enim jus liberi discessus e civitate salvis omnibus emigrantis juribus (§. 61.). Sed emigranti fas est, secum auferre suum conjugem, suos liberos, cæteramque familiam, quæ cum ipso demigrare velit. Fas ipsi est, sua bona mobilia, quando id ipsi commodum videtur, secum asportare, sin minus, & hæc, & immobilia permutare, æquo pretio aliis vendere, aut si vendere illico nequeat, aliis locare, oppignerareque, prout optimum factu videtur. Cum in usu juris sui nemo sit impediendus (§. 180. *P. I. Phil. pract. univ.*), ne quid odium religionis depravet, normæ actionum loco erit, si id omne ipsi tribuatur, quod præpollentis religionis socio emigranti ex justitia & æquitate tribui consueuit. Si enim religionis causa inimicus diceretur, tamen vel inimiocrum amici esse debemus (§. 633. *P. I. Jur. nat.*). Infert igitur jus emigrandi discessum cum familia & rebus familiaribus in toto itinere æque liberum, ac si religionis prævalentis aut aulicæ assecla demigraret.

Sic emigrarunt Israëlitæ ex Ægypto cum omni substantia sua, divinisque auspiciis loco rerum immobilium, ibi relinquendarum, omnis generis res pretiosas expetierant utendas, quas in solutum retinerent. Neque aliter e babylonica captivitate domum revertebantur. Injustum igitur foret, si bona seu mobilia seu immobilia quacunque cavillatione, calumnia, falsa accusatione & damnatione, aut aperta vi illis eriperentur, vel quidem venditio & subhastatio concederetur, sed inter eos, quorum nemo verum offerret, & vix unus vel alter minimo aut vix ullo pretio res sibi addictas potius & donatas, quam emtas cuperet. His igitur similibusque odii

erga

erga ejiciendæ religionis asseclas effectibus melius vix occurretur, ut quod legi divinæ respondet, fiat, quam si emigrantes usquequaque ut discedentes fidei socii spectentur.

§. 65.

De censu emigrationis & vectigalibus.

Æquius esset, ut emigrantes liberi essent a censu emigrationis, vectigalibus, quam ut iisdem onerentur. Neque enim emigrant fortunarum augendarum & lucri causa, neque animo damnum dandi & ægre faciendi civitati, e qua discedunt, & in qua mallent manere, si conscientiæ libertas ipsis uti aliis salva concederetur, ne quidem numerum civium ipsius minuere cupiunt, potius coguntur ob denegatum suæ religionis exercitium (§. 61.) Sed harum caussarum ergo census emigrationis imponi illis consuevit, ut civitati compensetur damnum, ipsi non sine culpa discedentium e discessu oboriturum (§. 404. *P. VIII. Jur. nat.*). Quoniam hi emigrantes longe absunt ab animo civitati damnum dandi; civitati jus non est exigendi, ut ipsi damnum resarciatur. Præsertim si civitas eos jubeat emigrare, non solum nullum damnum sibi e discessu oriturum innuit, sed & discessum sibi profuturum magisque expediturum esse, quam commorationem in civitate. Præterea si vel non jubeantur discedere e civitate, qui diversæ sunt religionis, ipsa tamen denegatio exercitii suæ religionis & pietas erga Deum, officiumque Deum debite colendi eos obligaret ad exeundum civitate. Sed qui pietatis virtutisque colendæ causa alienas petunt terras, uti studiosi aliique perigrinantes, etiamsi numquam sint redituri, non solent adigi ad censum emigrationis civitati suæ relinquendum, cui malunt prodesse, quam ullatenus obesse.

Item affliguntur iam illo exilio ſeu ſponte electo ſeu imperato, qui religionis cauſa ſolum ſibi vertendum eſſe ſentiunt. Quia afflictis non eſt addenda afflictio (§. 259. *P. IV. Jur. nat.*), nec cenſu emigrationis, nec vectigalibus emungendi erunt emigraturi. Certe æquius foret, ut emigrantes liberi eſſent a cenſu diſceſſus, vectigalibusque, quam ut iisdem attenuarentur.

Objici his poteſt, non eſſe gregatim e civitate diſcendendum, cum id ſine damno civitatis fieri nequeat, idque damnum eſſe reſarciendum, neque emigrantium ſortem debere eſſe meliorem ſorte præpollentis eccleſiæ ſociorum (§. 64.). Concedimus non eſſe gregatim civibus abeundum e civitate, quando id fieret cum damno civitatis; ut quando ea rerum penuria eſt, ut extremæ vitæ neceſſitati diſcedentium in ea proſpici nequeat, nihil prohibet eorum diſceſſum (§. 408. *P. VIII. Jur. nat.*). Uti hoc caſu officium erga ſe ipſum diſceſſum requirit, ita quoque comparatum eſt, quando officium erga Deum illum requirit, & conſcientiæ cuſtodia. Quando urgetur, emigratione illa damnum dari civitati, id quodammodo concedi poteſt, modo & hoc concedatur damnum nulla culpa alterius datum, non eſſe penſandum, ſed pro fortuito, vel nullo, vel bono habendum. Si aulicæ vel prævalentis religionis aſſeclæ valedicunt civitati, illos nulla urget pietatis, conſcientiæ, & vitandi peccati obligatio, uti emigrantes. Unde diſpar ratio diſparia quoque requirit ſtatuta & officia (§. 519.). Univerſim dici poſſet, virtutis ſolidæ, pietatis inprimis actiones nullo modo in civitate eſſe onerandas ſed potius modis quibuscunque legitimis adjuvandas. Licet igitur erronea ſit opinio, qua nititur pietas, tamen errare humanum eſt, & erroris erga Deum peccantis pœna aliunde ſatis certa eſt, & vel pœnæ loco in quibusdam duci poteſt.

§. 66.

§. 66.

Religionem receptam, & toleratam ex parte, multum juvat vivum exemplum rectoris civitatis, ejusque miniſtrorum & magiſtratuum, cum in vero de Deo ſenſu, tum in recto ejus cultu promovendo.

Multum juvat religionem ſuperiorum exemplum.

Opus quidem eſt Præceptoribus in Scholis, Profeſſoribus in Gymnaſiis & Academiis, denique ſacerdotibus eccleſiæ, ad religionem civibus inculcandam (§. 33. *ſeqq.*). Sed uti horum autoritas civilis eſt a rectoribus civitatis & eccleſia, a quibus præficiuntur muneri ſuo & aluntur (§. 32.): ita quia Regis ad exemplum totus componitur orbis, vel generatim quia rectorum civitatis, eorum miniſtrorum & magiſtratuum autoritas apud populum plurimum valet, & valuit omni ævo, ratione tum credendorum tum agendorum in religione; ſapiens ſacrorum cura in civitate gerenda (§. 15.) requirit, ut rectores civitatis cum omnibus, quibus quandam partem adminiſtrationis reip. commiſerunt, excellant in pietate (§. 1006. *P. VIII. Jur. nat.*), viva ſint religionis nequaquam violandæ exempla (§. 1242. *P. I. Jur. nat.*). Quo ipſo non poterunt non religionem receptam, cui ſunt addicti, plurimum juvare, cum in vero de numine ſenſu, tum in recto ejus cultu promovendis.

A religione tolerata diſſentit quidem religio præpollens (§. 526); ſed quatenus utraque veritate nititur, eatenus non poteſt non conſentire. Cum in religione, quæ toleratur, itidem ſpectetur veritas ad minimum religionis naturalis (§. 57.); quoad veritates ipſis communes idem erit, acſi eſſent ejusdem religionis. Neque minus in religione toleranda ſpectatur probitas morum pietasque (§. 57.). Ideo & in vera probitate & pietate conſenſus faciet, ut ejusdem quaſi ſint religionis. Quo plures ergo veritates virtutesque communes habebunt religiones toleratæ cum præpollente, eo magis & toleratas religiones juvabit vivum religionis exemplum, quod rectores civitatis,

eorum miniſtri, & quibuscunque aliquam partem adminiſtrandæ reip. tradiderunt, iisdem præbent præeuntque cum in theoria tum in praxi veræ religionis.

In eorum exempla, qui magna aut prorſus ſumma pollent autoritate, dignitate & potentia, omnium ora convertuntur, ut nec facile illa latere poſſint, nec ſi laudem merentur, admiratoribus, & generatim imitatoribus carere. Omnes enim, qui placere, qui gratiam aulæ & magiſtratuum captare, qui proficere, adſpirare altius, fortunas ſuas tueri augere, ſuorumque fortunis proſpicere amant, quive his contraria avertere a ſe ſuisque ſtudent, intenti in id eſſe conſueverunt, ut ſuos mores fingant ex iis, quæ probantur ſummis illis præpotentibusque viris. Ecquantus eſt eorum numerus, qui his ſtudiis ducuntur? Accedit, quod ex integritate pietatis & religionis minime fucatæ optima naſcitur refutatio eorum, qui religionem pro mero figmento politico venditant, ut hoc quaſi pallio eam non ſine ratione negligere & aſpernari videantur. Pudere certe ipſos oportet, dum hos vident vere eſſe religioſos, quorum gratia religionem unice confictam aut putant aut fingunt.

§. 67.

Quisque eam juvat bono exemplo.

Sic omnes, qui in civitate degunt, aliquid bono exemplo conferre poſſunt debentque ad veram pietatem religionemque perficiendam amplificandamque. Obligantur enim omnes ad veram pietatem (§. 1128. *P. I. Jur. nat.*), & ad Deum omnibus actionibus ſuis colendum (§. 1124. *ibid.*). Præterea quoque ſuo exemplo aliis prodeſſe (§. 639. *ibid.*) ideoque bona exempla aliis præbere debent (§. 930. *ibid.*). Exemplis bonis cum quilibet ſe addere debeat (§. 931. *ibid.*): apertus eſt modus, quo quilibet in civitate degens bono exemplo aliquid conferre poſſit, ad pietatem religionemque veram, tum rectius docendam diſcendam & perſuadendam, tum facilius meliusque exercendam. Omnes igitur, qui in civitate degunt, poſſunt ac debent ideo

bono

bono exemplo se mutuo perficere in vera pietate & religione, eamque ita amplificare, quoad valent (§. 1242. *ibid.*). E contrario cavere & vitare debent, ne pravo exemplo veræ religioni pietatique obsint, suo aliorumque damno (§. 928. 930. *ibid.*), neve prava aliorum exempla sequantur (§. 931. *ibid.*) in publicæ salutis detrimentum.

Non solis parentibus studendum est, ut liberos ad veram religionem pietatemque, qua omnes virtutes efficiuntur intensiores sublimioresque, manuducant excitentque suo exemplo; nec solis cognatis, affinibus, amicis, popularibus; nec solis præceptoribus, professoribus, sacerdotibus, magistratibus rectoribusque civitatum; sed omnibus omnino, qui in eadem civitate degunt. Multum quippe conferre possunt, nisi partibus suis deesse malint ad veram religionem pietatemque colendam, honorandam, augendam diffundendamque. Notandum vero, hoc exemplum tum in doctrina, tum in vita præbendum esse. In doctrina, dum auditores veritatem ipsi recte imbibunt, & suos aliosque eandem docent, errantem amice rectius instruunt de Deo, ejus voluntate & legibus, de religione & rebus ad illam facientibus. Vnde apparet jus & necessitas privatim se invicem data opportunitate perficiendi in vero de Deo rebusque divinis sensu, & ab erroribus errantiumque consortio avocandi (§. 1234. & 1241. *P. I. Jur. nat.*). In vita partim in omnium virtutum studio, & vitiorum fuga, prælucendo aliis, partim in ipso cultu divino, attentione, reverentia, oratione, diligenti feriarum custodia, frequentatione ædium & sacrorum in iisdem peractione, in obedientia erga pia instituta exserenda; item in cultu privatiori tum reliqua parte diei festi a publico culto vacua, tum in diebus profestis, actionibusque privatissimis. Quo in exemplo quantum positum sit in utroque sexu, illa satis docent, quæ mere arbitraria sunt in civili hominum ritu vestitus, ornatus, apparatus rerum, suppellectilis similiumque. Quæ transferri posse ad pietatem religionemque tuendam & perficidam, nemo infitias ibit, modo tantum ardoris attentionisque

veræ felicitati ſuæ dicare mallent, quantum commentitiæ commodare ſolent ſpeciei felicitatis. Vitia fore donec homines erunt, non diffitemur, ſed oſtendenda ſunt eorum remedia, quibus hi utuntur, qui ſolidiora ſibi habent propoſita, nec inani fuco decipi volunt.

§. 68.

Opus eſt conventibus religioſis.

Vt doctrina ſimul & bona exempla fructuoſiora evadant, opus eſt aſſeclarum ſacris conventibus decentiſſime celebrandis. Curandum enim eſt in civitate, ut qui in ea degunt, ſint pii, omnibusque virtutibus exculti (§. 456. *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*), & ut Deum debite colant (§ 458. *ibid.*). Quem in finem inſtituendi ſunt doctores publici, qui de Deo ejusque legibus homines convincant, eosdem ad virtutes incitent & a vitiis avocent (§. 459. *ibid.*). Hoc uti doctrina, ita & exemplo ſuo cæterorumque omnium promovendum eſt (§. 66. *ibid.*). Quod ne ſuperfluo ſumtu, temporis diſpendio, & inſigni incommodo impediatur, opus eſt, ut quemadmodum in ſcholis & academiis congregantur auditores docendi & erudiendi, ſic quoque in eccleſia tot conveniant, quot ſimul commode ejusdem oratoris ſacri facundia amplius inſtrui, & aliorum ſubſidio exemploque in religionis doctrina & exercitatione perfici longiusque progredi debent. Omnino ergo opus eſt religioſis conventibus, decentiſſime celebrandis, in quibus iſta plurimum uſus plurimis ſimul afferre poſſint (§. 1251. *P. I. Jur. nat.*).

§. 69.

Et locis ſacris.

Quia cultus divini eo fructuoſioris cauſa opus eſt plurimorum religionis aſſeclarum conventibus decenter celebrandis (§. 68.); conventus autem fieri debent in apto quodam loco, ubi ſcilicet immunes ſint Dei cultores ab injuriis aëris, aliisque noxis & cultus divini turbationibus: *apertum eſt, eligenda & concedenda ſacris his conventibus eſſe quædam loca, in quibus conjunctim per-*

peragantur ſacra. Cujusmodi ſacris conventibus deſtinata & conſecrata loca, merito *loca ſacra* vocantur, quæ omnium uſibus patent & inſervire debent.

Olim hujus modi loca ſacra in illis regionibus, ubi clima eſt calidius, fuere ſub dio, ſub quercu inſigni, in luco ſacro, etiam in ſpecubus ſat amplis, uti tempore perſecutionum Chriſtianorum primorum. Prius docet Hiſtoria Patriarcharum Geneſ. XII, 6. *ſeqq.* XVIII, 1. XXXV, 1. 7. *ſeq.* poſterius hiſtoria eccleſiaſtica ſacrorum Chriſtianorum.

§. 70.

Loca ſacra ſi privata fuerint, ipſa quoque ſacra, quæ ibi fiunt, *privata* appellantur; ſi publica, vocantur & *publica ſacra;* vel aliis verbis, cultus Dei publicus, ille tantum privatus. Vbi ædibus opus eſt, ibi cultus publicus peragitur in ædibus publicis; privatus autem in ædibus privatis. *Seu privatis, ſeu publicis.*

Ita ab autoribus accipi exercitium religionis, ſeu cultum Dei publicum & privatum, patet ex adductis in nota ad §. 63; ſtrictiſſimo ſenſu privatum Dei cultum quoque appellari, quo unusquisque ſolus per ſe Deum colit, docet §. 509. *P. III. Ethic.*). Talem cultum quisque ſolus peragere poteſt. Tum publicus complectitur omnem cultum, quem plures familiæ conjunctim, ſeu magna hominum frequentia Deo præſtat (§. 511. *ibid.*). Sed admonetur ſimul, ad cultum publicum requiri etiam locum publicum, & cultum domeſticum a cultu publico diſcernendum eſſe, quo paterfamilias cum ſuis conjunctim Deum colit. Præſtat ergo cultum ad locum reſpicere vel ædes, ubi cultus eſt peragendus. Quæ ædes ſacræ ſi publicæ ſint, cultus in illis peragetur publicus. Si tantum privatæ ſint, cultus quoque non erit niſi privatus. Hic cultus privatus ſimpliciter dictus *quaſi publicus* erit, quando omnes aſſeclæ religionis illius in eisdem ædibus libere conveniendi jus habent, & communi ſumtu illas ædes privatas, vel iſtud conclave in illis ædibus in uſum ſacrorum conduxerunt. Strictius ergo privatus erit cultus domeſti-

cus, & ſtrictiſſime cultus unici hominis tantum. Neque opus eſt, ut is unicus homo in civitate privatam gerat perſonam. Si enim vel magiſtratu gauderet, vel rex eſſet, ejus tamen cultus foret privatus, & publicus dici non poſſet: quia non a perſona nomen habet cultus publicus, ſed a loco publico, in quo exercetur, modo in illo quoque publicus habeatur conventus. Nam ſingularis hominis cultus in ædibus publicis, non foret niſi privatus in loco publico. Duo enim ad publicum cultum requiruntur, locus publicus, & conventus populi conjunctim Deum culturi (§. 69.). Vt privati cultus diſcrimen ipſo nomine deſignetur, primum *privatum*, medium *privatiorem*, & ſingularem illum *privatiſſimum* dicere licebit. Privatiſſimus refertur ad Ethicam, domeſticus ad œconomicam; privatus vero æque ac publicus ad politicam. Attamen privatiſſimum aſſociari poteſt ſimul privatiori ſeu domeſtico, & publico, ſi in loco cætuque publico exerceatur. Nec nihil afferre ſapientia civilis poteſt, ad perficiendum domeſticum, & privatum, privatiſſimumque.

§. 71.

Et communi ſumtu.

Publicæ ædes ſacræ publico ære ſunt parandæ, reparandæ & reſtituendæ. Nempe privatarum ædium dominium eſt penes unicum hominem privatum, rarius penes plures patrimonio necdum diviſo gaudentes. Sed publicarum ædium dominium eſt penes univerſitatem quandam, uti pagum, oppidumque, cui ſunt communes (§. 23. P. VIII. Jur. nat.). Ita publicarum ædium dominium & uſus eſt penes eccleſiam illius religionis, quæ in illis exercetur (§. 69.). Hujus ergo ſumtibus publicæ ædes ſacræ ſunt exſtruendæ, ſi quo caſu læſæ ſint, reparandæ; ſi collapſæ, everſæ, vel incendio abſumtæ, reſtituendæ. Neque alia eſſe poteſt ædium publicarum eccleſiæ, ac publicorum doctorum communi ſumtu alendorum (§. 32.).

Vbi magna hominum eſt multitudo, ibi multis quoque opus eſt ædibus ſacris pro tot hominum centuriis vel millibus, quot ſufficiunt ſumtibus ferendis. Quarum ordo vel eſt ſuperior,

vel

vel inferior. Superior continet basilicas & templa cætera. Illæ principes magnificæ vel regiæ vocantur, quæ aulicæ religioni exercendæ adhibentur & destinatæ sunt. Hæc cæteræ sunt eminentiores sacræ ædes, plurimorum perfecto cultui divino, seu omnibus religionis partibus servientes. Inferiores autem vel secundariæ non sunt destinatæ omnibus religionis actibus exercendis, sed quibusdam tantum. Hujusmodi sunt sacella, quæ & pauciorum tantum cœtum capiunt; ædes hospitales, similesque. Græci & romani plurima habuere templa, delubra fanaque certis diis fictis & eorum cultui consecrata. Multiplex error his suberat, ac sacrorum quoque & sacrificulorum, flaminum, *cæt.* diversitatem pepererat. Attamen & illa rarius privatorum, plerumque autem publicis sumtibus exstruebantur.

§. 72.

Quando aliorum liberalitas imploranda sit.

Vbi publici sumtus ecclesiæ particularis non sufficiunt ad ædium sacrarum structuram aut restitutionem, ibi aliarum ecclesiarum ejusdem religionis præsertim liberalitas exoranda est. Vltra vires enim nemo obligatur (§. 209. *P. I. Phil. pract. univ.*), et quilibet homo alteri debet, quod sibi, quatenus alter id non habet in sua potestate, ipse autem citra neglectum officii erga se ipsum id alteri præstare potest (§. 608. *P. I. Jur. nat.*). Hinc & quælibet ecclesia eidem præsertim religioni addicta, alteri Ecclesiæ subvenire sua liberalitate debet, quando illa impar est ædium sacrarum structuræ. Deficientibus ergo unius Ecclesiæ sumtibus ad ædes sacras condendas restituendasve; cæterarum liberalitas imploranda est, ut in partem sumtuum communis religionis causa faciendorum veniant, donec absolvi opus possit.

Potissimum Ecclesiæ, eidem imperio civili tutandæ, obligantur, ad suorum religionis sociorum necessitati & impotentiæ subveniendum, arctioris inter se commercii causa, & quod in simili casu vicissim aliorum auxilio egere possunt. Habenda vero non hominum tantum necessitatis & indigentiæ, sed & officiorum erga Deum ratio, in promovenda pietate & religione

suæ

ſuæ religionis conſortium. Quod eo magis ſtringit, ſi non errore quodam, ſed veritate nititur religio, de cujus ædibus ſacris erigendis agitur.

§. 73.

Quomodo ſumtus publici ſint collocandi?

Curandum eſt in civitate, ut ſumtus publici, ultra neceſſitatem non augendi, quam optime collocentur, & quam diutiſſime reip. & eccleſiæ proſint. Sunt enim ſumtus hi onera civium, quæ ferre tenentur univerſi (§. 775. *P. VIII. Jur. nat.*), & curæ habendum eſt, ne onera imponantur ultra, quam ſalus publica exigit (§. 778. *ibid.*). Quare evidens eſt, neceſſum conſultumque eſſe in civitate, ut ultra neceſſitatem non augendi (§. 376. *P. II. Polit.*) ſumtus publici in uſus optimos ampliſſimosque conferantur, quo & reip. & ſacræ quam diutiſſime proſint.

In omni etiam privata vita quisquis ſapit, intelligit finem, ob quem Deus res a ſe conditas hominis poteſtati ſubjecit, ut ſcilicet iis ad vitæ ſuæ aliorumque neceſſitatem, commoditatem, jucunditatemque licitam uteretur, quas eo facere poſſe intelligit. Eadem vero obligatio cum in ſingulis detur, nec ſocietate ulla nec civitate tollitur, cum ſit ab immutabili lege naturæ, & dominos quoque rerum ſuarum ſtringat (§. 177. *P. II. Jur. nat.*). Si autem nemo re ſua aliter uti debet, quam ut ſatisfaciat obligationi naturali, & qui aliter re ſua utitur, ut repugnet is uſus obligationi cuidam naturali, re ſua abutitur (§. 168. *ibid.*): manifeſtiſſimum eſt, civitates quoque rebus ſuis in publica commoda datis, pariter non abuti, ſed recte uti debere, uti nempe officia publica exigunt. Sed exigunt officia publica æque ac privata, ut felicitati noſtræ aliorumque, quam optime & diutiſſime poſſumus, iisdem proſpiciamus. Inde apparet, ſumtus publicos ſapienter eſſe erogandos, ut iisdem quam optime diutiſſimeque ſaluti rei & publicæ & ſacræ proſpiciatur.

§. 74.

§. 74.

Aedes sacræ ita construendæ sunt, ut scopo suo quam optime respondeant, ideoque & eo ampliores sint editioresque, quo plures in illis debent congregari. Aedes enim sacræ sunt ædificia conventibus cultus divini gratia celebrandis destinata (§. 461. *P. VIII. Jur. nat.*). Quare cum omne ædificium sic sit perficiendum, ut quam aptissimum sit obtinendo, cui destinatur, scopo (§. 8. *Architect. civ.*): curandum quoque est in rep. ut ædes sacræ scopo suo, h. e. functionibus sacris, in cultu divino obeundis, quam sint convenientissimæ, ideoque quam optime respondeant (§. 465. *P. VIII. Jur. nat.*). *De ædium sacrarum amplitudine & altitudine.*

Vbi pauci tantum homines convenire debent, ut res divinas doceantur, ad virtutes excitentur, & a vitiis avocentur, ibi id fieri potest in conclavi ædis privatæ, eos capiente. Sed ubi permagna est hominum adultorum multitudo, ibi valde molestum foret ecclesiæ, si numerus doctorum alendorum ita esset multiplicandus, ut in ædibus privatis conventus sacri fieri possent. Quare cum onera publica citra & ultra necessitatem non sint imponenda (§. 778. *P. VIII. Jur. nat.*), & sumtus publici quam optime collocandi sint (§. 545.): ædificandæ sunt ædes sacræ publicæ, tantam hominum multitudinem capientes, quantæ simul docendæ unius viva vox mediocris claritatis sufficere possit (§. 376. *P. II. Polit.*), cum qui ducentos vel trecentos docet, eadem fere voce & opera bis vel ter mille homines docere possit (§. 383. *ibid.*). Cum vero hæ ædes scopo suo quam optime convenire debeant, ut modo ostendimus; quod non fieret, si vel aër in ipsis respirando & effluviis tot vaporum transspirantium, sudantium & halituum haud raro grave olentium effœtus redderetur & insalubris, præsertim in calore æstatis; vel compressio arcte nimis constitutorum sceleribus furtivis exercendis ansam dare posset, saltem multis

tis incommoda foret: elucescit clarissime, quo plures in ædibus sacris sunt congregandi, eo illas & ampliores & altiores esse debere, ut dissipari vapores calidi noxiique sursum possint, & versus fores, atque sic aër salubris conservetur.

Docuit experientia, quantum aëris consumit candelæ flamma, tantum circiter unius hominis respiratione consumi. Hinc uti flamma sensim minuitur tandemque extinguitur, quando aëris liber affluxus inhibetur, aut aër exhauritur: ita quoque homines inclusi in locum aëri non pervium primum defectionem animi & angustias, spasmosque seu convulsionem, tandem suffocationem & jacturam vitæ subeunt. Quare ne & in ædibus sacris homines aëre depravato incidant in lipothymias, saltem in varia incommoda & causas occasionesve morborum, ipsa earum structura cavendum est. Si plurium respiratio mediocris ponatur, intra secundum in homine quolibet continere duos pollices cubicos aëris, capiet illa respiratio intra horam 7200, & intra trihorium, quo circiter cultus absolvitur 21600 pollices, vel ultra $12\frac{1}{2}$ pedes aëris cubicos. Quod si bis de die cultus ita celebretur, 25 pedes cubici aëris, a quolibet inspirabuntur & exspirabuntur. Sed nisi aër ille exspiratus cum alio liberiori aëre permutetur, breviter is erit ad respirandum inutilis. Ne id fiat, ponamus decies plus aëris ibi requiri, ubi is inclusus est intra ædes; pro quolibet homine 250 pedes cubici, aut si hoc nimium videtur, centum pedes cubici aëris requirentur, ut & cæteri vapores libere dissipari possint. Quanquam lubens concesserim, ad brevius tempus, quam hic sumsi, & foribus apertis aliisque spiraculis patentibus 50 pedes sufficere posse pro quolibet, ne respiratio anxia evadat & insalubris. In nostra hypothesi pro mille hominibus præter spatium, quod corpora eorum occuparent, requirerentur 250000, saltem 100000 pedes cubici aëris. Quia aër manet inclusus in ædibus clausis, & vel ideo non ita salubris ac sub dio esse potest; retineamus pro quolibet homine ducentos pedes aëris cubicos, propter exhalationes & vapores cæteros dissipandos. Si mille homines commo-

de

de congregari & considere in æde sacra debeant, demus cuique 5 pedes pro liberiori corporis situ & motu, ac scamnorum separatione. Sic opus erit spatio pro millenis 5000 pedum cubicorum. Posita longitudine interiori 100 pedum & latitudine 50 pedum, orietur spatium requisitum. Jam 200. 1000 = 200000, qui numerus si dividatur per 5000, dabitur altitudo ædis 40 pedum. Si intra idem spatium compingi deberent 2000 hominum, altitudo foret duplicanda, ut 80 pedes æquaret. Certum est, quo liberior est aër & copiosior, eo minus valetudini metuendum esse. Si compendium sumtuum quæreretur, aëris ventosi liberæ perspirationi consulendum esset, aut ventilatore uno atque altero opus foret, aut caminorum focis rite ad aërem recentem pro interiori substituendum comparatis.

§. 75.

Durabilius vero & splendidius sapienter exstruendæ sunt ædes sacræ, quam aliæ publicæ ædes. Sunt enim publicæ ædes sacræ publico ære parandæ & reficiendæ (§. 543.). Sed curandum est, ut sumtus publici quam optime collocentur, & quam diutissime reip. vel ecclesiæ prosint (§. 73.). Inde ædes sacræ durabilius exstruendæ sunt, quam cæteræ ædes vel privatæ vel & publicæ. Accedit, quod, quo plures congregari in ædibus sacris debent, eo ampliores, altioresque & sumtuosiores esse debeant (§. 74.). Ideoque necesse sit, ut tanti sumtus faciendi sint rariores, ipsæque ædes ideo firmiores & in multa sæcula stabiliores (§. 16. *seqq. Architect. civil.*). *Quomodo struendæ sint ædes sacræ.*

Simul ædes hæ sacræ publicis sumtibus & gloria numinis iisdem illustranda dignæ esse debent (§. 1147. *et* 1183. *P. I. Jur. nat.*). Vtriusque ratio augustiorem postulat structuram, quam si privatis sumtibus privato homini vel & magistratui ædes sint parandæ (§. 1233. *ibid.*). Quare & publicorum sumtuum & gloriæ divinæ majestatisque ratio habenda jubet, ut

ſplendidiores uſibusque ſacris aptiores fiant ædes ſacræ, quam aliæ ædes publicæ tantis uſibus non dicatæ.

Quia tamen majeſtas divina mente potius veneranda eſt, quam ſolum extus teſtanda, & in rebus corporeis ponenda (§. 1163. *P. I. Jur. nat.*), quibus tantum ſacrilegorum & hoſtium aviditas in iſta diripienda exardeſceret (§. 175. *P. II. Phil. pract. univ.*): vitandus eſt ejusmodi ſplendor, qui non ſapienter adhibetur, & in exceſſu potius ſubditos emungente fortunis, quam neceſſario & decente ornatu architectonico & uſu ſacrorum conſpicuus foret (§. 525. *P. I. Jur. nat.*). Ideoque ſplendor modicus & ope architecturæ perfectæ ad neceſſarium in ſacris uſum ſapienter attemperatus eſſe debet, non vero in pompa inutili quærendus ſtatuendusque eſt.

Apparuit illud in multis templis lautiſſimis ſplendidiſſimisque paganis, & ſalomonico direptis deſtructisque.

§. 76.

Corollaria de ædibus ſacris.

Quoniam ædes ſacræ publico cultui divino in eis peragendo ſunt deſtinatæ & fuerunt deſtinandæ dicandæque (§. 461. *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*): eædem quoque 1) conventibus publicis ibi cultus divini publici gratia ſunt adhibendæ, & perpetuo ſervandæ; 2) nemini fas eſt, eas profanis uſibus invita eccleſia impendere, quod eſſet eas profanare (§. 482. *ibid.*); licet eccleſiæ liceat in caſu neceſſitatis iisdem uti ad alias ſalutis puplicæ partes conſequendas (§. 366. *ſeqq. P. VI. Jur. nat.*); 3) membra Eccleſiæ obligari debent ad frequentandas ædes ſacras, quando in illis conventus celebrantur publici cultus divini cauſa (§. 471. *P. VIII. Jur. nat.*); 4) doctores eccleſiæ obligandi ſunt, ut in his ædibus officii ſui partibus fungantur (§. 462. *ibid.*); neque 5) ferendum eſt, ut vel illi vel alii ejus eccleſiæ ſocii in privatis ædibus ſacra veluti rectius curare in contemtum ſacrorum publicorum audeant (§. 463. *ibid.*). Sibi ipſis

enim

enim non tantum sanctitatem arrogarent cum aliorum despectu temerario; sed involarent quoque in jura ecclesiæ & magistratuum, quibus illa religionis & sacrorum curam demandavit.

De profanatione ædium sacrarum videtur monendum esse, non quemvis actum, a cultu divino alienum illas profanare, sed quosdam indirecte ad cultus divini exercitium referri. Vti si stato tempore scopis verrantur, vasa sacra, uti candelabra, baptisteria &c. repurgentur & poliantur, diebus profestis, si reparentur & agantur, quæ ad subsellia, seras, monumenta sepulcralia, altaria instruenda, ornanda, ad sepeliendas hominis exuvias corporeas pertinent. At si convivia in illis instituerentur, aut comœdiæ haberentur, aut conventicula seditiosorum in illis instituerentur; utique profanatio foret aperta. Enimvero si in casu necessitatis comitia in illis salutis publicæ gratia haberentur, aut tempore incendio res incendio ereptæ illis inferrentur consensu ecclesiæ, nemo hæc profanationis loco haberet. Contigit quoque ex simili ratione, ut defensionis adversus hostes causa se in illum reciperent.

§. 77.

Quia ædium sacrarum conservatione, reparatione, mutatione interdum & ampliatione, munditie & ornatu opus est, præficiendi ipsis sunt curatores idonei, & his, & custodiæ rerum sacrarum, & rationibus administrationis rite gerendis vacantes. Etenim ædes sacræ sunt ædificia, humana ope parata, item si nondum sint, paranda reparanda, & reficienda (§. 462. P. *VIII. Jur. nat.*) Inde quidem universæ ecclesiæ incumbit sumtus suppeditare (§. 71.), hanc curam diligenter gerere, uti partem curæ sacrorum (§. 11). Sed quemadmodum præstat potius sacerdotibus committere functionem publicorum sacrorum, quam cuique permittere utcunque agendum, quod valeret, ordine ipsum tangente: ita quoque præstat certos statuere ædium sacrarum curatores, qui ipsis præ cæteris bene præesse possint, velintque, & ne

De curatoribus ædium sacrarum.

& ne ſecus agant, publice obligentur. Hos idoneos eſſe patet, ſi intelligant ea, quæ ipſis ibi ſunt curanda, cuſtodienda & ordinanda, ſi pietate inſignes ſint & viri integerrimi, ſi & opibus valeant, ut ſi quid damni culpa quadam dederint, id reſarcire eccleſiæ poſſint, cui ad rationes adminiſtrationis ſuæ reddendas ſtato tempore obligantur.

Hi curatores ædium ſacrarum (Kirchen-Vorſteher) nonnullis vitrici Eccleſiæ dicti, egent miniſterio aliorum ad negotia ſua expedienda; item ad apparendum & ſerviendum paſtoribus in ſacrorum adminiſtratione, quorum hi æditui (Glöckner) vocantur, cæteri ſunt veſpillones, ſtipium collectores, cuſtodes, janitores &c. Vbi organa muſica habentur, opus quoque eſt organœdis, cantoribus, aliisque muſicis, voce & inſtrumentis utentibus &c. Alias ſaltem hymnorum cauſa præcentore opus eſt, cum puerorum, qui habentur, choro, &c.

§. 78.

Feſta ordinaria & extraordinaria ſapienter ſunt inſtituenda.

Quia conventus ſacrorum publicorum cauſa in ædibus ſacris celebrandi ſunt (§. 68.): certo ſtatoque opus eſt tempore, quo ibi conventus agantur. Hoc tempus, vel communi conſenſu, vel eorum, quibus cura ſacrorum ab eccleſia commiſſa eſt, conſenſu & autoritate eſt ſapienter conſtituendum, ut tum quoad ſacra ordinaria & dies & horæ ſciantur ab omnibus, quibus cultui divino eſt vacandum, tum quoad ea, quæ extra ordinem inſtituenda ſunt, pariter eccleſiæ promulgentur. Quoniam dies illi, quibus cultui divino vacandum, dies feſti vel feſta appellantur (§. 466. *P. VIII. Jur. nat.*), & feſta in rep. inſtituenda ſunt (§. 467. *ibid.*): conſtat, *& feſta tempora ordinaria & extraordinaria ſapienter eſſe inſtituenda, & Dei gloriæ dicanda, ſeu Deo conſecranda.*

Sicut onera ordinaria dicuntur, quæ perpetuus uſus in adminiſtratione reip. exigit; extraordinaria vero, quæ caſus quidam emer-

emergentes exigunt (§. 779. *P. VIII. Jur. nat.*): ita quoque festa ordinaria sunt, quorum usus in ecclesia est perfrequens aut perpetuus; extraordinaria autem, quorum usum casus quidam emergens requirit. Quia dies festi destinati sunt conventibus sacrorum peragendorum causa celebrandis, liquet, dies profestos, qui festi non sunt, destinatos esse peragendis rebus profanis, quæ dum sacræ non directe non pertinent ad cultum divinum, sed ad negotia humana ac profana (Weltliche) domestica & civilia, ideoque vel nostri vel aliorum hominum causa suscipiuntur.

§. 79.

Dies festi debent simul esse dies feriati seu feriæ, quibus cessetur a negotiis profanis, citra neglectum officiorum naturalium differendis. *Dies festi simul sunt feriæ.*

Dies festi enim destinati sunt conventibus cultus divini peragendi causa celebrandis (§. 466. *P. VIII. Jur. nat.*). Cum nec conventus illi in ædibus sacris fieri, nec cultus divinus in illis peragi possit, nisi seponantur tantisper labores dierum profestorum (Werckel-Tage), qui versantur circa res profanas, quod per se patet: cessandum utique est a negotiis profanis, dum sacra sunt peragenda, cum idem simul fieri & non fieri nequeat (§. 28. *Ontol.*). Sed feriari non est, nisi omittere negotia profana, vel discedere & vacare ab operibus quotidianis. Proinde dies festi & Deo dicati simul esse debent dies feriati vel feriæ; & iisdem abstinendum est a negotiis profanis, quæ salvo officio naturali differri possunt (§ 465. *P. VIII. Jur. nat.*).

Inde promiscue usurpari solent eodem sensu dies festi & feriati. Non ignoro, interdum distingui inter dies feriatos & festos, ita quidem, ut illis a litibus fori cessetur, & justitium sit, his vero cultus divinus peragatur. Sed inhæremus illis, quæ *Cicero L. II. de Legg.* nos docet: feriarum festorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium & jurgiorum, in servis operum & laborum, quia compositio anni conferre debet & ad perfectionem operum rusticorum, & ad remissionem

animo-

animorum . . . & ut ſacrificiorum libamenta ſerventur *Macrobius ſaturnalior. 1. c. 16.* pollui ferias docet, quoties iis indictis opus fiebat, de quo erat denuntiatum, ne quid tale ageretur, & præcepti negligentem mulctari & piaculum debere. *Varro* autem recte negat, eum pollui, qui opus vel ad Deos pertinens feciſſet ſacrorum cauſa, vel aliquid ad urgentem vitæ utilitatem. Inde *Scævola* conſultus, quid feriis agi liceret, id reſponſum, quod prætermiſſum noceret. Vti ſi quis trabem tecti fractam fulciendo ab imminente vindicavit ruina; ſi bovem in ſpecum delapſum adhibitis operis liberavit (ab interitu). Nobis ſufficit hic ferias notare ceſſationem & quietem a laboribus domeſticis, & vacationem ab operibus profanis, quæ ſalva lege naturali, ſalvoque officio noſtro differri poſſunt. Quæ officia differri nequeunt, illa feſtis diebus non ſunt negligenda. Ita non ſunt negligenda officia erga nos, ut corpus noſtrum veſtiamus, lavemus, ornemus decenter, illiusque vitæ & ſanitati conſulamus, adhibendo neceſſaria alimenta & medicamenta. Nec negligenda ſunt officia ſimilia erga noſtros aliosque homines, ut ſuccurramus in vitæ ſanitatisque periculis & conſervatione, erogando eleemoſynas &c. Nequidem negligenda ſunt diebus feſtis officia erga pecudes & res noſtras, ut illæ alantur, potentur, ſeu paſcantur, cuſtodiantur, & eripiantur e vitæ aliisque jacturæ & læſionum periculis; hæ pariter cuſtodiantur, & eripiantur ex incendio, inundatione, &c. item ut hoſtes arceantur & eorum vis vi repellatur, incendia extinguantur, aliaque damna evitabilia avertantur, & meſſis, quæ diebus profeſtis ob pluviam non potuit colligi, ſicco die feſto eripiatur noxæ & perditioni, &c.

§. 80.

Feſti dies integri ſunt feriandi, nec profanandi.

Feſti dies integri ſunt feriandi omnibus ejusdem religionis aſſeclis, nec ferendum, ut a quoquam profanentur, multo minus vitiis exercendis impune inſumantur. Sunt enim feſti dies ſimul feriati, quibus quieſcendum eſt a laboribus profanis (§. 79.) & vacandum eſt cultui divino (§. 466. *P. VIII. Jur. nat.*). Sed hi dies eo ipſo glo-

gloriæ divinæ sunt dicandi impendendique (§. 78.), & maje-stas divina utique meretur, ut illi plus tribuamus, quam ulli majestati humanæ, cujus honori & cultui sæpe integri dies di-cantur. Quid? quod servi dominis suis integros dies conti-nenter servire solent, quibus tantum non debent, quantum nos omnes Deo. Fasne ideo multo magis est, ut omnes qui-dem dies vitæ nostræ, omnesque actiones nostras divino cul-tui & obsequio consecremus, alios quidem indirecte fungendo officiis erga nos & alios homines nobis ab ipso injunctis; di-recte vero frequentes dies integros feriatos propemodum uni-ce officiis erga Deum publice solemniterque præstandis impen-damus? Propemodum dico, ut innuam, quantum salvis offi-ciis reliquis non negligendis fieri potest (§. 79). Quod cum publice fieri debeat, consociatas eorum actiones requirit, qui eandem religionem profitentur (§. 34. *seqq.* P. I. *Polit.*): festi dies integri ab omnibus ejusdem religionis sociis, quoad per cætera officia licet (§. 79.) feriandi sunt. Quod uti urget ra-tio naturæ legi consentanea, ita in societate ecclesiastica pacto & legibus est firmandum, æque ac officia erga alios civilia in civitate, boni communis causa (§. 396. P. VIII. *Jur. nat.*), ad-jectis quibus opus est obligandi præsidiis (§. 471. *ibid.*). Sed eligendus est hujusmodi dies, qui post labores ordinarios, per aliquot dies continuatos, convenit relaxationi humanæ.

Quia per evicta festi dies integri sunt feriandi, ideoque conventus publici diebus festis non sunt negligendi (§. 470. P. VIII. *Jur. nat.*), illi, qui temere obstinateque eos negligunt, pœ-nis coërcendi, & vi adigendi erunt, ut illis debite intersint (§. 471. *ibid.*). Sed procul dubio negligunt eos, quotquot eos usibus & operibus profanis temere impendunt (§. 482. *ibid.*), multoque magis, quotquot eos pravis sceleratisque actioni-bus pessimo exemplo tribuunt, & profanantes fovent. Quod

cum fini ecclesiæ, pacto & legibus ecclesiasticis repugnet evidenter, & negligentes in officiis pactisque præstandis vi adigendi sint in civitate, ut minimum actus externos ad legem naturæ componant (§. 395. *ibid.*), nec leges & pacta violent: manifestum est, ferendum non esse, ut festi dies a quoquam ejusdem religionis assecla profanentur.

Denique quia ostendimus ferendum non esse, ut asseclæ religionis festos dies profestis laboribus impendendo profanent, & in rep. pariter ac in ecclesia ad legem naturæ servandam proni juvandi sunt, nec permittendum est, ut ab aliis impediantur; ad vitia autem proclives ab illis absterrendi, & si sponte obedire nolint recta docentibus & præcipientibus, vi adigendi sunt, ut minimum actus externos officiis conforment (§. 395. *ibid.*): luculenter patet, nequaquam impune violandam esse feriarum sanctitatem, & pessimo exemplo plane vitiis contaminandam. Vitiis ergo exercendis impendentes festos dies pro meritis puniendos esse, evictum habetur.

Diserte loquimur de ejusdem religionis sociis: quia nullum imperium in conscientiam alterius religionis hominum datur, nec Judæis a quoquam vitio vertitur, si quamdiu Judæi manent festo christianorum die laboribus suis profestis operam dent. At si ejusdem religionis socius profanare festos suæ ecclesiæ dies audet, & vel plane nullis vel aliis diebus feriari vellet a laboribus profestis, is eo ipso immorigerum ageret, & refractarium, nisi pœna se corrigi patitur, ab ecclesia excludendum.

§. 81.

Dies festi lubenter & læte sunt celebrandi.

Dies festi non metu pœnæ sed summa animi lubentia & lætitia sunt obeundi & Deo sacrandi. Ferendum quidem non est, ut quisquam ecclesiæ assecla petulanter & præfracte diem festum profanet, potius eo adigendus est, ut actus saltem externos cultus divini edat (§. 80.). Enimvero ejusmodi actus externi

invi-

inviti aut fere extorti non ſunt actus pietatis, nec talis cultus, qui Deo placere poſſit, qui omni opum vi eſt colendus (§. 1162. *P. I. Jur. nat.*). Eccleſiæ autem, rectori civitatis, & cuique in ea degenti opera eſt navanda, ut pius ſit, & Deus recte colatur (§. 457. *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*), ideoque doctores publici docere & convincere auditores ſuos debent, Deum animo lubenti lætoque eſſe colendum (§. 459. *ibid.*) & (§. 1139. & 1145. *P. I. Jur. nat.*). Non igitur metu pœnæ, ſed ſumma animi lubentia & lætitia dies feſti ſunt obeundi, Deoque ſacrandi & celebrandi.

Non præteriit hoc veteres, qui inde feſtos lætosque dies conjungunt, ut per poſterius prius explicatius dicunt, ſed & docent, feſtis diebus ſolemnem lætitiam fuiſſe proditam ſacrificiis, epulis, ludisque in honorem deorum peractis. Et quod mireris, feſtus, feſtior, feſtiſſimus dies ipſis eſt lætus, lætior, lætiſſimus. Habet quoque mens humana, quod feſtis diebus gaudeat, ſi recte penſitat, cur a profeſtis laboribus quieſcat. Videlicet non tantum gloriæ divinæ illuſtrandæ, ſed & ſuæ felicitatis augendæ cauſa, quod corpori conſulitur quiete & otio a laboribus ærumnoſis, vires ejus reparando (§. 80.), paſcendoque mentem dapibus multo præſtantioribus, & augendo ejus vires profectusque in omni genere virtutum, felicitatis ſuæ genitricum nutricumque. Quid his jucundius, quid lætius contingere ipſi poteſt, ſi non cœcutit in iis, in quibus clariſſima luce opus eſt, ſi unquam & usquam? Qui aliter obeunt feſtos dies, male feriantur & parum aut nihil meliores ſunt ferias negligentibus & prave impendentibus; cum, ſi non ſemper humanam, certe divinam vindictam non poſſint non incurrere, ſe reddere infelices, ac ſe probare ineptos ſtolidosque, quos dicunt male feriatos.

§. 82.

Quolibet quidem die quoddam tempus cultui divino recte deſtinatur, totus tamen dies ſeptimus quisque ordinariis feſtis ſapienter eſt reſeruatus. Scilicet eſt Deus cuique quotidie & in omnibus actionibus

Ordinaria feſta ſapienter ſeptimo

quoque die habentur. nibus ſuis colendus (§. 1124. *P. I. Jur. nat.*), & quisquis eum in omnibus actionibus ſuis colit, is eſt pius (§. 1127. *ibid.*). Cum quilibet homo pius eſſe debeat (§. 1128. *ibid.*), cum rectori civitatis opera ſit navanda, ut cives ſinguli ſint pii (§ 457. *P. VIII. Jur. nat.*) & Deum quoque publice colant (§. 458. *ibid.*): docendi quidem per doctores publicos obligandique ſunt cives, ut quotidie certum tempus v. c. matutinum primum, veſpertinum ultimum, & intermedium laboribus quotidianis interjectum idoneis momentis cultui divino inſumant (§. 459. *ibid.*). Inde & in ſcholis & in templis urbium, ubi multi ali poſſunt doctores, aliquid quidem tempus quotidie impendendum eſt inſtitutioni & exercitio pietatis cultusque divini minus ſolemni eorum, qui his per alia officia intereſſe poſſunt, aut & debent, ut profectus in virtutum quarumque ſtudio, & vitiorum fuga excolantur promoveanturque. Enimvero nec ſine neglectu multorum officiorum erga ſe aliosque, nec ſatis digne divina majeſtate fieri poteſt, ut cultus publicus & ſolemnis, quotidie ab omnibus obeatur, quam optime fieri poteſt, teſte experientia, locuplete & harum rerum hujus vitæ magiſtra. Quare ſolemnior ille cultus publicus, integros dies requirens Deo ſacrandos (§. 80.), certos poſtulat dies & ordinarios & extraordinarios, ſapienter in republica ordinandos (§. 78.) & profeſtis interſerendos. Ordinarium autem feſtorum & frequentia fuit ſectanda & ordo facilis, perpetuus ac naturæ conſentiens, qualis melior non occurrit, quam ſi labores per ſex dies continuarentur, & ſeptimus fieret feſtus ordinarius.

Potiſſimum enim occurrendum fuit errori in feſtorum ordinariorum computo, & efficiendum, ut ad certum revocari is poſſet criterium & ex eo in faſtis prædici, ac retrorſum exputari. Hujusmodi criterium habebatur in revolutione lunæ cir-

circa terram ſynodica, quæ quatuor habet notabilia momenta: novilunium, plenilunium & duos quadrantes. In conjunctionibus ſeu noviluniis quoque Ecclipſes contingunt in terra, ope lunæ ſuis etiam fixis periodis gaudentes. Luna vero quotidie gradus 13°, 10′ & 35″ in cœlo emetitur, ut ſi quis error unquam contingeret, is facile corrigi ope lunæ poſſet. Jam in quovis menſe ſynodico 4 & in anno ſolari quovis 52 hebdomades circiter habentur minutiis per diem intercalarem ſublatis. Inde ſeptimus quisque dies quadrantem faciens menſis ſolaris ſapienter ordinarius dies feſtus fuit conſtitutus. Neque videtur a ratione alienum, ſeptimum quemque diem & hominum & jumentorum, hominis laboribus adhibendorum, recreationi per quietem a labore defatigante, melius convenire, quam alium ullum, cum & medici diem ſeptimum in morbis ſæpe criticum experiantur, & opera dei omnia in ſe ſapientisſime conſentiant maxima cum minimis, mediocribusque. Labor diurnus durare nequit niſi $3\frac{1}{2}$ horarum parte vacetur; duplum hujus vacationis diebus reſpondet continuatis.

Scrutati hic ſumus rationes ordinariorum feſtorum naturales, quæ ita ſimul comparatæ, ut ubivis terrarum pleræque locum habeant, quod in primis de menſibus eorumque 4 partibus compertiſſimum habetur. Neque hæc recedunt ab iis, quæ in revelatione divina docemur. Condidiſſe enim Deus legitur ſidera ad diſcrimen ponendum inter diem & noctem, & ut ſint ſigna feſtorum (ſtatorum temporum) dierum & annorum *Geneſ.* I, 14. Inprimis de Luna dicitur *Pſalm.* CIV, 19. eam ad condicendum tempora, ad ſtata & feſta tempora ſignanda factam eſſe. Norunt enim, qui hebræam linguam callent, מועד ſæpe de condicto & feſto tempore uſurpari. Deinceps ſtatim Deus legitur ſeptimum diem, quo ceſſavit ab opera creationis, ſanctificaſſe & ad cultum ſuum deſtinaſſe, ut primus ſtatim dies vitæ humanæ eſſet Dei cultui & gratiis pro creatione, omniumque bonorum,

quibus gaudet, largitione persolvendis consecratus. Hinc Sabbathum homines bono institutum dicitur *Marc.* II, 27; alii quoque beneficium mannæ ejus causis addunt.

§. 83.

Quando festa extraordinaria instituenda?

Festa extraordinaria instituuntur vel ob exorandam numinis benignitatem in conferendis Ecclesiæ bonis & avertendis malis insolitis, vel ob gratias pro insignibus beneficiis Deo habendas. Extra ordinem enim festi dies constituuntur ob casus rarius emergentes (§. 78.). Enimvero illiusmodi casus vel boni sunt quoad nos, vel mali seu nobis adversi. Priores nobis prosunt, suntque Dei beneficia; posteriores nobis nocent, saltem molesti sunt, ideoque vel pœnæ sunt vel adversitates, a Deo immissæ, dum, qui casus dicitur vel fortuna ratione hominum, apud Deum talis non est (§. 342. *P. I. Theol. nat.*). Cum omnes casus subsint providentiæ divinæ (§. 932. *ibid.*), quibus utitur ad gloriam suam manifestandam (§. 653. *ibid.*): utique propter casus toti civitati aut Ecclesiæ funestos avertendos omnium precibus & supplicationibus in publicis conventibus est implorandus. Propter eos vero, quibus insignia beneficia in nos sunt collata, publicæ ipsi gratiarum actiones sunt decernendæ persolvendæque. Quo majora igitur & graviora sunt mala a civitate & ecclesia propulsa vel avertenda; quo insigniora & extantiora ac rariora sunt benefacta seu jam exhibita, seu exhibenda universæ civitati & ecclesiæ: eo solemnior esse debet publica supplicatio, deprecatio & actio gratiarum, eoque magis par est, ut eum in finem extraordinaria festa sapienter instituantur (§. 78).

Quemadmodum quotidiana, frequentiora & solita Dei munera, quibus singulos universosque afficit, cumulat & beat, hujusque modi mala, quæ propulsat, avertitque, ne nos feriant, aut quibus universos liberat, festis ordinariis sunt recolenda pia mente aut expetenda vel deprecanda: ita quæ extra ordinem insolito eximioque modo in nos conferuntur bona, & a nobis vel aver-

avertuntur vel auferuntur mala, quando singulis universisque obveniunt, merentur festorum extraordinariorum celebrationem. Extra ordinem ut celebrari intelligantur, variis modis effici potest. Partim huc facit dies ab ordinario diversus; partim plures, quam unus dies, partim solennitates & ritus ab ordinariis recedentes illud commonstrant. Ita v. g. Judæorum novilunia *Numeror.* X, 10. XXIIX, 11. & dies expiationis *Levit.* XXIII, 24. 27. die notabantur a sabbatis diverso; item festum novi anni civilis antiquum *Levit.* XXIII, 24. & festum novi anni sacri *Exod.* XII, 2. Majora festa erant tria pascha, pentecoste, & festum tabernaculorum, quorum primo ac ultimo septem dies dicabantur, quorum primus & octavus cæteris solemnior *Levit.* XXIII. Quibus dein accessere festum Purim *Ephes.* XII, 18. *seqq.* & festum encæniorum *Johann.* X, 22. Denique huc quoque pertinet annus sabbaticus seu Jubilæus, per integrum annum festivus. Apud Romanos calendæ Junoni erant sacræ; idus Jovi; cerealia & ambarvalia petendæ messis lætioris causa; vulcanalia pro avertendo urbis incendio; saturnalia pro libertate, vel seruis pileo ad tempus donatis; lemuria pro depellendis spectris nocturnisque terriculis; natalis invicti pro felicibus anni auspiciis; palilia pro salubri pecudum pastu, felici partu, & tabe lupisque prohibendis. Taceo festa sæcularia, triumphos, ludos & similia, quæ dabunt autores, qui de festis romanis commentati sunt. Quinquatribus, Minervæ dicatis quinque sacri erant dies; saturnalibus & compitalibus triduum; sigillariis septem dies. Generatim supplicationes & ludi vel placandæ numinis divini iræ vel saluti populi &c. destinabantur.

§. 84.

Quænam in singulis festis docenda sint & agenda?

Festis tam ordinariis quam extraordinariis alia atque alia tractanda sunt dogmata, scopo ipsorum respondentia, æque ac præsenti rerum personarumque conditioni, ut præcipua quotannis, & quoties opus est, inculcentur. Festa enim sunt dies cultui publico Dei destinati (§. 466. *P. VIII. Jur. nat.*), & ordinaria quidem usus sunt per-

perpetui & frequentis; extraordinaria autem uſus infrequentioris ob caſus rariores eximios rerum ſeu proſperarum ſeu adverſarum (§. 78.). Sed in ſe feſta potiſſimum differunt pro diverſitate dogmatum, quæ in iis publice proponuntur (§. 469. *P. VIII. Jur. nat.*). Quamobrem ordinariis feſtis diebus tractanda ſunt dogmata & exercitia eorum, quæ perpetui ſunt uſus in cultu divino; eaque cum directa, quæ Dei naturam & voluntatem, noſtraque erga ipſum officia ſolemnia, tum indirecta, quæ de officiis erga nos aliosque, & generatim de virtutum quarumque ſtudio & vitiorum quorumque fuga animos convincunt, & in eorum præceptorum officiorumque exercitio perficiunt. Hinc doctores publici, in civitate inſtituendi, ſunt obligandi, ut feſtis ordinariis cœtus ſuos de Deo ejusque voluntate, de virtutibus & vitiis quibuscunque, & de cultu in his Deo præſtando rite inſtituant, ad virtutem incitent, revocent a vitiis, & in hoc uſu officiorum eos quam optime regant perficiantque (§. 459. *ibid.*). Diſtribuenda igitur ſunt dogmata quotannis eum in modum, ut ſingulis feſtis alia atque alia dogmata ordinaria eo ordine proponant, quo præcipua quotannis abſolvere, & præ cæteris ea toties, quoties opus eſt, inculcare poſſint, quorum inculcatio frequentior, pro rerum præſentium & perſonarum conditione intelligitur requiri.

Cum feſtis extraordinariis inſolita Dei beneficia ſint celebranda aut expetenda, & inſolita, quæ univerſos ſeu premunt ſeu terrent, pericula & cruciamina amovenda & propulſanda (§. 83.): illorum quoque diſcrimen internum pendebit a docendis, inculcandis, exercendisque illis officiis, quæ ipſorum ſcopus peculiaris, rerumque ac perſonarum præſens ratio potiſſimum requirit (§. 469. *P. VIII. Jur. nat.*).

Sic extraordinaria Judæorum feſta anni verſaria recolebant miraculoſam ex Ægypto liberationem feſto paſchatis & azymorum.

rum. Quo feſto uti primitiæ meſſis ſimul offerebantur, ita feſto pentecoſtes memoria latæ legis in deſerto, & meſſis peractæ triticeæ grata lætaque mente recolebatur. Feſto tabernaculorum libabatur aqua & refricabatur memoria tentoriorum in deſerto, & poſtea introductionis in Palæſtinam. Quibus diebus cantabantur pſalmi eo deſtinati, legebantur & explicabantur oracula divina, de his promulgata. Sabbathis vero conſuetis legebantur & explicabantur ſacri codicis loca recitata ex ordine præſcripto. Neque minus conſtat, Chriſtianorum ſacra & ordinaria & extraordinaria ante & poſt meridiem ſuis gaudere locis ſcripturæ ſacræ, aptis ad dogmata & officia ordinaria & extraordinaria dilucidanda & inculcanda.

§. 85.

Quænam in feſtis conjunctim agenda ſint?

Quidquid diebus feſtis conjunctim in exercitio religionis fieri, & ad communes uſus conferri poteſt, illud ut quam optime fiat, curandum. Feſta enim ſapienter inſtituenda & gloriæ Dei dicanda ſunt (§. 78.), ut in illis conventus ſacrorum publicorum cauſa celebrentur (§. 68.). Sacra autem publica conſiſtunt in exercitio cultus divini publici (§. 481. & 945. *P. VIII. Jur. nat.*) & (§. 69.), ad quem celebrandum omnes obligantur (§. 1251. *P. I. Jur. nat.*). Cum religio ſit modus Deum colendi (§. 512. *P. II. Theol. nat.*), non privatim tantum ſed & publice; liquet, exercitium cultus divini publici ſimul eſſe exercitium religionis. Cum omnes in civitate degentes bono ſaltem exemplo aliquid ad veram pietatem religionemque perficiendam & amplificandam conferre poſſint & debeant (§. 67.); cum rectores civitatis obligentur, ad curandum, ut id fiat (§. 456. *ſeqq. P. VIII. Jur. nat.*), & ut præferatur quod melius eſt (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*): dubitari nequit, quin curandum ſit in civitate, ut quidquid conjunctim in exercitio religionis fieri & ad communes uſus conferri poteſt, id ipſum quam optime fiat.

Tenenda est hæc regula communis: quidquid in exercitio religionis conjunctim, (uno scilicet eodemque animo, ardore, studio & concordi actu) fieri potest, & quidquid ad communes usus conferri a singulis potest, illud, ut quam optime fiat, curandum & singulis & universis. Cuique enim sua actio sive erga se, sive erga alios perficienda est, quantum valet: multo igitur magis actiones & officia erga Deum quam optime peragi, & quam fieri in ista imbecillitate nostra potest perfectissime edi debent. Cum & ad perficiendos alios obligemur, & ope aliorum virtutis & exempli nostras actiones perficere debeamus, simul liquet, probe attendendum esse, ut in cultu Dei publico actiones nostræ majestati divinæ conformentur quam dignissime & decentissime fieri potest, ideoque ut conjunctis viribus, & studiis, actionibusque ad commune bonum conferatur, quidquid virium nostrarum modulum non excedit.

§. 86.

Specialia in cultu interno & externo.

Ex limpido perennique §i 85. fonte plurima evidenter derivari possunt officia, quæ tam ad perficiendum publicum Dei cultum internum, quam externum pertinent, ideoque haud perfunctorie procuranda sunt ab iis, quorum muneri hæc sunt demandata, & quorum nonnullæ in explendis illis partes continentur. Ne longi simus, præcipua tantum quædam subministrare veluti per lancem saturam libet. Opera danda est cuique, ut Deum colat in omnibus suis actionibus publicis & privatis (§. 1124. *P. I. Jur. nat.*), easque propterea decernat & peragat per rationes ab attributis operibusque divinis petitas (§. 1125. *ibid.*); ut magis subinde magisque proficiat in viva Dei agnitione (§. 1129. & 1159. *ibid.*) saltem eandem idemtidem repetat ejusque memoriam instauret; ideoque Deum agnoscat ex se ipso & ex omnibus, quæ a Deo unquam accepit, & accipit continenter (§. 1135. *ibid.*), ex aliis quoque hominibus, & rebus, quæ sunt in hoc universo (§. 1131. *ibid.*), propterea quoque exactius contemplando (§.

1132.

1132. *ibid.*); ut aptus evadat ad perfectionem Dei summam pro suo quoque modulo manifestandam veluti vivo ejusdem speculo (§. 1134. *ibid.*) usu debito observationum experimentorumque ad ampliandam firmandamque agnitionis majestatis divinæ, in finibus & usibus rerum naturalium innumeris conspiciendæ (§. 1136. *seqq. ibid.*); ut & alios, quantum potest, ad idem illud aptos reddere nitatur, viva illos imbuendo tantæ majestatis cognitione (§. 1141. *ibid.*), tollendo ejus impedimenta & errores quoscunque (§. 1142. *ibid.*).

Opera danda, ut suam aliorumque voluntatem in cultu divino perficiat, conciliando ipsi habitu, non agendi, nisi quod Deus vult, nec omittendi, nisi quod Deus fieri non vult (§. 1145. *ibid.*), abnegandi se ipsum propriamque voluntatem (§. 1146. *ibid.*); ut verbis factisque testetur convictum se esse de majestate divina (§. 1147. *ibid.*); ut gloriam Dei omni contentione animi promoveat, ejusque observationem impediat fugiatque (§. 1148. & 1154-1160. *ibid.*); ut in colendo Deo omnem præstet facultatum suarum usum, consensumque plenissimum (§. 1162. *ibid.*); ut omnem detestetur hypocrisin (§. 1163. *ibid.*); ut Deo plus quam cuiquam alii obediat ipse & alios obedire jubeat curetque (§. 1165. *seqq. ibid.*); ut summam ex Deo voluptatem capiendo, eum super omnia amet ipse & amari ab aliis curet (§. 1172. *seqq. ibid.*); ut maxima solicitudine cavendo, ne quid ab ipso aliisque fiat quod ipsi displiceat, eum summopere timeat (§. 1179. *ibid.*); ut maximi faciendo Deum actibus internis & externis eum super omnia revereatur (§. 1181-1183. *ibid.*) & aliis itidem reverendum esse persuadeat verbis factisque; ut se totum, suos, resque suas omnes providentiæ divinæ committendo, Deo ex asse confidat (§. 1187. *ibid.*) eandemque fiduciam & in aliis accendat augeatque (§. 609. *ibid.*), fugiat vero vitium illud, quod ex errore fluit (§. 1194.

N 2 *ibid.*)

ibid.) vel in se aliosque confert, quod non nisi Deo debetur (§. 1196 *ibid.*), vel Deo diffidit & in adversitate meliora despe-rat (§. 1188. *seqq. ibid.*); ut dubios eventus providentiæ divinæ committat ipse, & committendos esse alios doceat (§. 1192. *ibid.*); nec se angat propter futura (§. 1197. *ibid.*), sed potius sua sorte contentus, in providentia divina adquiescat (§. 1198. *ibid.*), & pro certissimo habeat, quidquid a Deo fit, saltem permittitur in hoc universo, id fieri quam rectissime (§. 1200. *ibid.*), nec offendatur, si bonis mala, malis bona evenire vide-antur (§. 1202. *ibid.*), suaque & suorum mala idcirco animo ferat æquissimo (§. 1203 *ibid.*) & rite applicet ad suam suorum-que felicitatem provehendam.

Opera danda, ut numen divinum celebret publice, quam optime potest, per se aliosque & cum aliis conjunctim (§. 1205. *seqq. ibid.*); ut quidquid bonorum sibi aliisque collatum videt, id omne Deo acceptum referat datori conservatorique (§. 1208. *ibid.*); ut Deo gratias agat summas tum ob bona sibi aliisque collata, tum ob mala, quæ imminebant, aversa, & quæ ade-rant, depulsa (§. 1212. *seqq. ibid.*); ut ea, quibus ipse & alii in-digent in posterum, bona expetenda & mala avertenda, decen-tissime expetendo, Deum ardenter invocet & exorare studeat (§. 1220. & 1223. *seqq. ibid.*); ut Deo totus semperque vivat (§. 1228. *ibid.*), gloriæ ipsius per omnes actiones suas internas & externas illustrandæ intentus (§. 1233. & 1236. *ibid.*), & in aliis quoque idem docendis, & ad idem excitandis assiduus (§. 1241. *seq. ibid.*); ut librorum de Deo ejusque cultu agentium lectioni publicæ, & viva voce talia docentium auditioni vacet (§. 1243. *ibid.*); ut cantibus sacris hymnisque componendis, si potest, saltem utendis & canendis, ceremoniisque idoneis attendendis studeat (§. 1245 - 1250. *ibid.*); ne temere negligat conventus cultus divini gratia celebrandos (§. 1251. *ibid.*); ut

ab-

abhorreat ipse & avocet alios ab omni superstitione (§. 1256. *ibid.*), idololatria (§. 1262. *ibid.*), blasphemia (§. 1158. *seq. ibid.*), impietate (§. 1152. *ibid.*) atheismo, Deismo (§. 1142. *ibid.*) & generatim omni eo, quod enumeratis aliisque pietatis & genuini cultus divini partibus repugnat.

His, quæ ratio docet, adjungenda a christianis sunt ea perfectiora, quæ revelatio divina subministrat, ut defectus religionis naturalis tollantur & ad altiora cultus Dei publicus adscendat. Quæ quoniam hujus loci non sunt, merito relinquuntur illis, quorum est ea pandere, & quam optime instituere, administrare & exercere; licet ab eorum numero nos non esse excludendos gaudeamus.

§. 87.

Quoniam conventus publici certis tantum horis celebrantur, nec per totum diem continuari, nec ab omnibus semper frequentari ob legitima impedimenta possunt, experientia teste: ne quid integri diei feriationi temere detrahatur (§. 80.), libri partim divini, partim humani, de rebus divinis consignari & in sat magna copia præstare debent, quos domi legere possint debeantque, ulterius animum suum & suorum in pietate exculturi. Qui enim per se talia meditari & ordine proferre ac docere nequeunt, illi per alios ea in re sunt juvandi, qui vel conscribant ab ipsis legenda, vel legant sui aliorumque causa ab aliis conscripta (§. 608. *P. I. Jur. nat.*). *Curandum igitur est in civitate, ut exiguo pretio vendi & comparari possint a patre vel matrefamilias libri divini* pro omnium usibus diligenter impressi; curandum, *ut conscribantur a viris doctis alii libri, pietatem virtutem ac religionem solide & jucunde inculcantes;* curandum, *ut dudum vel & nuper alibi conscripti & jam impressi invehantur habeanturque æquo pretio venales: nec permittendum, ut publice aut privatim disseminentur ore aut scriptis, quanquam impressis, opiniones religioni & bonis*

Cultus divini continuatio domestica.

bonis moribus adversæ (§. 457. *seqq. P. VIII. Jur. nat.*). Sicubi id permittitur, ibi remedia his malis opponenda sunt quam validissima. Neque id tantum valet de diebus festis, sed etiam de profestis, quatenus & eorum pars cultui Dei privato in legendis precibus, interpellationibus, gratiarum actionibus, concionibus, aliisque piis meditationibus, & cantandis hymnis est tribuenda (§. 82).

Nec tantum homines rudes libris ad pietatem excitandam & promovendam compositis juvandi sunt in omni statuum & eventuum varietate; sed ipsi quoque docentes gregarii in scholis & ecclesia iisdem sunt instruendi, ne facile aberrare possint in docendis magni momenti veritatibus, præstantiorum doctorum exempla intuendo imitandoque. Ex iisdem quoque eximii doctores publici ansam captare possunt, ea, quæ forte proprium ingenium non suppeditasset, rectius, copiosius & utilius pertractandi. Ne quid dicam de libris divinis & symbolicis, aliisque publica autoritate vel eruditissimis pro norma cultus divini præscriptis, adhibendisque.

§. 88.

In quo consistat contemtus religionis?

Sicut neglectus publici cultus divini temerarius non nisi ejusdem religionis asseclis imputari potest (§. 80.): ita quoque *contemtus ejusdem non in nudo neglectu est ponendus præsertim eorum, qui alterius sunt religionis in civitate toleratæ; sed in actibus externis, meritum honorem ipsi aperte denegantibus.* Si ejusdem religionis socius nude negligit cultum Dei publicum, etiamsi id temere & illegitime facit, is omittit illum, cum præstare deberet, sed nondum propterea eum contemnit (§. 787. *P. I. Jur. nat.*), verum potest aliquid humani passus esse quadam seu oblivione, seu erronea opinione, aliave levi culpa. Sic & si omittit religionis suæ deprædicationem laudemque, non ideo eam contemnit (§. 792. *ibid.*). Sed requiruntur ad contemtum verba aliæve actiones externæ, quibus manifesto derogatur illi honor,

nor, quem meretur, nec tantum tribuitur laudis, quantum meretur. Vtroque casu verum ipsi pretium, quod erat tribuendum, aperte denegatur (§. 790. *ibid.*). Quod si fiat ex ignorantia vel errore vincibili, culpam continet; si serio contra veram animi sententiam, malitiæ debetur. Errori & culpæ esse ignoscendum medendumque, malitiam vero puniendam, ex moralibus liquet.

Si diversæ religionis, quae, quia salvam relinquit salutem publicam certe externam secundariamque (§. 56.), toleratur in civitate, assecla alteri religioni denegat pretium, quod ipsi debetur, is quidem contemnit illam sed ex errore. Qui error quoniam toleratur in rep. per hanc hypothesin; & contemtus ille est tolerandus, dum per religionem, quam fovet, aliter judicare nequit. Quid quod ne quidem necesse est, ut eam contemnat, sed vel in medio suoque pretio relinquere eam, vel suam sibi meliorem esse, secum reputare potest. Quemadmodum suum vitæ genus sectans, alia vitæ genera propterea non spernit, sed suo æstimat pretio, etsi suum sibi melius convenire statuit. Quare de religione diversa eadem æquitas injungenda est (§. 1084. *seq. P. VIII. Jur. nat.*), ut citra contemtum relinquatur cuique quod suum est, & satis habeant asseclæ, quod sua placita & sacra fovere, exercere, explicare suis, confirmare & libere profiteri, iisque adhærere possint cum suis, quamdiu lubet. Quatenus ab aliis dissentiunt, eadem utendum est modestia & æquitate, qua ipsimet ab aliis judicari velint, neque si alii secus agant, par pari est referendum (§. 810. *P. I. Jur. nat.*). Quæ ut rectius observentur, ipso pacto caveri & restringi ita dissensus debet, ut injuriæ expers civili concordiæ attemperetur (§. 958. *P. VIII. Jur. nat.*). Quod contra pactum fit, meretur pœnam consuetam (§. 41.).

Quia

Quia contemtus eſt denegatio honoris meriti, meritæque laudis (§. 791. *not. P. I. Jur. nat.*), & is, qui denegat alteri quidpiam honoris laudisve, quod non meretur, eum non contemnit: manifeſtum eſt, religionis contemtum dici non poſſe denegationem ejus, quod ipſi nec ineſt nec debetur. Ponamus falſa ineſſe religioni, quæ evicta ſunt & demonſtrata, qui falſis denegat veritatem, judicat recte meritoque, nec aliter judicare poteſt. Vt ſi chriſtianus de hodiernorum Judæorum principio, quo contendunt, Meſſiam nondum veniſſe, ſtatuat, quod res eſt, illud ſcilicet verum non eſſe, is proprie non contemnit illud, ſed rejicit ut falſum, nec ſalva veritate aliter ſtatuere poteſt. Tribuit illi, quidquid meretur, quod v. g. ante nativitatem noſtri ſervatoris, id recte dici potuerit; poſt eam falſo dicatur & credatur; tantum abeſt, ut illi quidquam, quod meretur, detrahat. Lubens concedit, hodiernos Judæos id credere, ea in re a chriſtianis diſſentire, multaque alia inde derivare.

§. 89.

Veræ religionis contemtus non eſt tolerandus.

Veræ autem religionis contemtus utique prohibendus, nec ferendus eſt, non tantum in aſſeclis ejusdem religionis, ſed & in diſſidentibus, quatenus is adverſatur vel ſecundariæ civitatis ſaluti. Vera enim religio non eſt, niſi modus Deum colendi naturæ divinæ conformis, isque partim naturalis, ex indubiis rationis ſibi relictæ principiis demonſtrandus; partim revelatus, tantum ex ſupernaturali operatione petendus (§. 484 *not. P. VIII. Jur. nat.*). Quia civitati in primis ſtudendum eſt, ut cives ſint pii, & Deum recte colant (§. 457. *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*), quod ſine vera religione fieri nequit: in civitate veræ ſtudendum eſt religioni, eique ideo quod meretur pretium eſt ſtatuendum. Quod cum fieri nequeat, ſi contemnatur, oppido liquet, contemtum veræ religionis in civitate non eſſe admittendum (§. 472 *ibid.*), ſed prohibendum, pœnisque compeſcendum, quas meretur (§. 88.).

Quod uti expeditæ veritatis eſt, quando agitur de aſſeclis ejusdem religionis (§. 80.): ita & aſſeclæ religionis diver-

sæ, quæ toleratur, tum secedunt vel a pacto, vel ab officio civis, cum eorum contemtus veræ religionis adversatur quoque secundariæ civitatis saluti (§. 55. *seq.*). Primariæ civitatis saluti eum repugnare, constat ex §. 39-41. *P. I. Polit.*). Sed dum ne secundaria quidem salus per illum contemtum salva manet, læditur vel affluentia rerum necessaria, vel tranquillitas securitasque (§. 46. *ibid.*): contemtus ille tolerandus non est, utpote bono publico admodum adversus (§. 88). Dum tolerandus non est, nec impunitas illi concedenda, nec disseminatio, sed utrique potius pœnis convenientibus occurrendum.

Paucis tantum enucleandum videtur, quomodo contemtus veræ religionis officere possit saluti civitatis externæ sive secundariæ. Scilicet affluentiæ repugnat fanaticum dogma, non esse laborandum ne quidem nutrimentorum & vestitus causa, sed unice vacandum esse cœlestibus curis, cætera sua sponte a Deo adjici, & vel dormientibus datum iri. Quod si omnes, vel plurimi statuerent & vacunæ litarent, qui fieri posset, ut civitas omnium rerum affluentia gauderet? Tranquillitati repugnaret dogma de communione rerum omnium, uxorum quoque, damnans proprietatem dominiumque. Eidem & securitati simul repugnaret dogma, bellum vel defensivum aut in se aut die festo esse illicitum; hæreticos & paganos esse exstirpandos; licere bellum omnium in omnes; jura metienda esse ex potentia &c. Summum gradum contemtus religionis sistit atheismus & Deismus, omnem tollens obligationem divinam & religionem (§. 411. & 529. *P. II. Theol. nat.*), idcirco neutiquam tolerandus, nisi clam foveatur & inter paucos, nec disseminetur in vulgus (§. 473. *P. VIII. Jur. nat.*). Dum tolerandus non est hujusmodi contemtus religionis, coërcendus erit, pœnis promeritis, & reliquis nihil proficientibus, exilio tandem, quo ejiciatur ex civitate.

§. 90.

Datur quoque imperium & dominium ecclesiasticum. Ecclesia enim *Datur imperium & do-*

(*Wolfii Politicæ P. III. S. I. C. I.*) O

minium ecclesiasticum. enim est societas hominum eidem religioni addictorum (§. 484. *P. VII. Jur. nat.*) & (§. 30). Jus autem, quod universis in singulos convenit in societate, imperium est (§. 212. *P. VII. Jur. nat.*), vel si hoc mavis, imperium est jus dirigendi actiones liberas singulorum sociorum ad societatis salutem (§. 194. *ibid.*). Quapropter & ecclesiæ jus est dirigendi actiones singulorum religionis asseclarum ad ecclesiæ salutem, quod jus recte vocatur imperium ecclesiasticum. Datur ergo imperium ecclesiasticum.

Quia ecclesiæ sunt res sacræ, cultui divino dicatæ, & ecclesiasticæ, aliis ecclesiæ usibus destinatæ (§. 481-485. & 507. *ibid.*). Sive illæ communi sumtu sint comparatæ, sive liberalitate opulentorum donatæ, ecclesia ejus loci merito illas suas vocat (§. 675. *P. II. Jur. nat.*): gaudet ecclesia jure de illarum rerum substantia, usu & fructu id statuendi, quod saluti ejus respondet. Sed jus statuendi de re ipsa ejusque usu & fructu est dominium (§. 959. *P. I. Theol. nat.*). Gaudet igitur ecclesia suo dominio rerum, uti imperio personarum, eoque itidem ecclesiastico. Vtrumque complectitur *jus sacrorum* (§. 945. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 91.

Et jus ferendi leges ecclesiasticas. *Ab imperio ecclesiastico pleno pendet jus sapienter ferendi leges ecclesiasticas.* Cujus enim est imperium, ejus quoque est potestas legislatoria (§. 813. *P. VIII. Jur. nat.*). Quamobrem cujus est imperium ecclesiasticum, ejus quoque est potestas ferendi leges ecclesiasticas. Si jus imperandi est penes universos, erit illud imperium ecclesiasticum populare; si illud est penes optimates, erit aristocraticum; si est penes unum, erit monarchicum (§. 953. *ibid.*). Quolibet igitur casu ab imperio ecclesiastico pleno dependebit potestas vel jus ferendi sapienter leges ecclesiasticas cujuscunque generis, easque muniendi

sanctionibus pœnalibus, & præmiis, denique uti par est, easdem exsequendi, & mutandi pro re nata.

Legibus ecclesiasticis describuntur jura & officia personarum ecclesiasticarum; cultus Dei exterioris rationes, series & ritus; rerum sacrarum & ecclesiasticarum destinationes & usus genuini. Cum privilegia sint leges & prærogativæ aliis non concessæ (§. 853. *seq. P. VIII. Jur. nat.*): ab imperio ecclesiastico dependent quoque privilegia ecclesiastica qualiacunque. Omitto cætera hinc facile derivanda, ipsumque imperium eminens ecclesiasticum, quod in casu necessitatis de persona ecclesiastica statuit, quod salus ecclesiæ requirit. v. g. si ipsi potestas ecclesiastica sit adimenda, si abducenda sit, veluti in Patmum, securitatis causa &c.

§. 92.

Restringitur autem *imperium ecclesiasticum ad cultum Dei externum duntaxat:* quia cives inter se convenire nequeunt, ut de cultu Dei interno, & quæ propter internum aliter se habere nequeunt in externo, pro vero habeatur id, quod visum fuerit parti majori (§. 947. *P. VIII. Jur. nat.*). Quare *extendi hoc imperium nequit ad cultum Dei internum*, sive in rebus cognoscendis, sive agendis occupetur; *neque ad ea in cultu divino externo, quæ cum interno ita connectuntur, ut salvo illo aliter habere nequeant* (§. 24). Si qua tamen de his controversia oboriatur, neutri quidem parti imperari potest, ut ideo alterius partis sententiam amplectatur, quia plerique eidem assentiuntur, aut quia id jubet superior (§. 39.). Vbi vero odia, dissidentiumque factiones, & turbationes publicæ salutis inde metuendæ sunt, ibi *salva libertate sentiendi sopienda est controversia boni publici ergo.* Frustra nimirum tentata convictione animorum per solidas rationes, pro re nata liberum relinqui potest cuilibet parti, ut suam sententiam proponere & rationibus communire ac tueri possit, citra ullam contumeliam & insectationem parti adversæ

Limites imperii ecclesiastici.

molestam; vel ut de controversia recens mota in cultu publico, concionibus & scriptis taceatur seu utrinque, seu ab ea parte, quæ novare quidpiam præter rem, litemque inutilem serere censetur.

Provisionalem vocare solent hanc litis motæ compositionem (§. 947. *seqq. P. VIII. Jur. nat.*), quando illa e re ecclesiæ & civitatis esse intelligitur: quia non tollit illam e medio, sed tantum cavet, ut manentes in suo dissidio nihil saluti publicæ adversum implicent, nec odiis, & affectibus quidquam dent exemplo nocituro, & in turbas abituro. Quam tum demum gravior excipere solet sententia, v. c. suspensionis, & remotionis a sparta, aut & exilii, prout rationes flagitare mitiora aut graviora deprehenduntur.

§. 93.

Limites dominii ecclesiastici.

Dominium item ecclesiasticum restringitur ad usum rerum sacrarum & ecclesiasticarum genuinum. Sunt enim hæ res ecclesiæ sui loci, manentque ejus etiamsi nemo eorum supersit, qui eas vel compararunt, vel donatas acceperunt (§. 508. *P. VIII. Jur. nat.*). Neque ecclesiæ aliud jus est iis utendi, quam ut adhibeantur ad eum usum, cui sunt sapienter destinatæ (§. 509. *ibid.*). Qui usus cum sit legitimus & genuinus, patet, dominium ecclesiasticum restringi ad usum rerum sacrarum & ecclesiasticarum genuinum. Quapropter & res illas pro lubitu alienare, item ad usus deteriores transferre non licet (§. 510. *ibid.*). Neque ab his, qui nunc vivunt, in præjudicium ecclesiæ futuræ de illis quidquam est decernendum, cui pariter ac præsenti inservire debent (§. 511. *ibid.*). Nisi res illæ jam inutiles aut superfluæ per alias factæ sint, & aliarum penuria postulet, ut vendantur, quanti possunt, aliæque necessariæ earum loco comparentur (§. 512. *seq. ibid.*). Occurrit & in hisce dominium eminens, per quod in casu necessitatis eas alienare & in alius eccle-

ecclesiæ aut civitatis necessitates impendere licet (§. 514. *seqq. ibid.*).

§. 94.

Mutata religione erronea, vel ceremonia quadam, dicandæ sunt res sacræ & ecclesiasticæ hujusmodi usibus rectioribus, quibus eas destinaturi fuisse videntur haud immerito earum autores, si ista præscivissent. *Mutata religione vel ceremonia.*

Inservire enim illæ res constanter debent saluti ejus ecclesiæ, cujus sunt, vi primæ institutionis destinationisque (§. 481. & 485. *P. VIII. Jur. nat.*), nec sunt profanandæ (§. 482. & 509. *ibid.*). Vti populus manet, licet in alia migret loca, vel formam reip. mutet (§. 504. *seq. ibid.*): ita quoque ecclesia manet, quamlibet sede religione & ceremonia mutata, retinetque res suas (§. 493. *seqq* & 508. *ibid.*). Jam erroneam commutare religionem cum vera, in officio est (§. 396. *seqq. P. I. Polit.*) & (§. 89). Ceremoniam, & quidquid in cultu Dei externo pluribus modis fieri potest, sapienter pro re nata aut omnium aut plurimorum consensu mutare licet (§. 950 *seq. P. VIII. Jur. nat.*). Quocirca cum dominium ecclesiasticum tantum restringatur ad usum rerum genuinum, quo indiget ecclesia (§. 93.): obscurum censeri nequit hoc scitum, mutata religione erronea, vel ceremonia quadam, dicandas esse res eidem antea consecratæ, hujusmodi usibus, quibus ceu genuinis & rectioribus jam indiget ecclesia. Cumque humanius sit, consecratori illarum rerum potius tribuere studium veritatis, quo erroribus suis agnitis illico nuntium potius mitteret, quam in agnito errore perseveraret; rectius creditur, si hæc præscivisset, quæ nunc aperta sunt, illum utique in meliores potius quam deteriores usus res consecraturum fuisse, aut si nunc interesset rebus humanis, id jam facturum esse. Qua propter iis præsertim usibus res illas dicandas esse, liquet, quibus consecrator ipse eas jam esset dedicaturus.

§. 95.

Quid sit jus reformandi.

Jus reformandi est jus religionem emendandi, quatenus indiget emendationis. Si quacunque de causa corrupta est vel tota religio, vel ex parte, corruptio illa tollenda est ope emendationis, meliora in locum depravatorum substituentis. Si corrupta est religio in dogmatibus sive theoreticis, sive practicis, reformanda sunt dogmata corrupta, h. e erronea, obscura, ambigua, periculosa. Si corrupta est in vita & moribus, reformandi sunt mores asseclarum, cujuscunque sint sexus, ætatis, status & conditionis. Si corruptæ sunt ceremoniæ, earum opus erit reformatione. Hinc in aprico est, quid sit reformatio universalis & particularis; quid reformatio theoretica & practica, quid reformatio morum & ceremoniarum seu rituum.

Esse hanc reformationem sacram seu ecclesiasticam, ipsa res docet, & ab eadem differre reformationem civilem, literariam & artium quarumcunque. De civili capienda sunt verba *Plinii in Panegyrico Trajani c. 53.* Vt ostendam, quam longa consuetudine mores principatus parens noster reformet & corrigat.

§. 96.

Vbi locum habeat jus reformandi?

Nequit exerceri jus reformandi, nisi evicta religionis falsitate & corruptela. Neque enim hic est jus reformandi nisi jus emendandi religionem, quatenus ea eget emendationis (§. 95.). Sed in iis, quæ vera sunt in dogmatibus, & recta in moribus, vita & ritibus, nihil est, quod egeret emendatione. Inde eorum mutatio fieret in pejus, essetque depravatio & corruptio, deformatioque, neutiquam vero reformatio dicenda. Neque sufficit, aliquid in religione falsum & corruptum videri aut dici, sed oportet, ut falsitas, error, corruptio pravitasque demonstretur, antequam de reformatione cogitetur. Dispalescit ergo, jus reformandi exerceri non posse, nisi evicta religionis falsi-

falsitate, hallucinatione & corruptela, saltem quatenus est emendanda.

Pulcrum reformationis nomen facile imponit ingeniis quoque minime obtusis, ut nodum in scirpo vel quærant, vel videre sibi videantur, suosque errores aliis affingant, dum aliorum mentem & verba non satis perspexere. Nusquam id frequentius contingit, quam ubi animus est in juvenili fervore, aut ambitiosus, nec satis in veritatum abstrusiorum latifundio & solidiori nexu & analogia subactus; vel ubi laborat ignorantia, confusione, erroribus & præjudiciis. Quo plura sunt, quæ ignorat, quæ confundit, in quibus errat, præconceptisque indulget opinionibus, eo vituperabit, damnabit & melius se perspicere, sibi aliisque persuadere nitetur. Neque eo secius in apparente reformatione, vera autem depravatione, multum sibi videbitur præstitisse ac meruisse.

§. 97.

Reformatio non debet in contrarium mutare nisi certo falsa & mala. Debet enim esse emendatio eorum quæ indigent emendationis (§. 95). Sed in theoria non indigent emendatione, nisi quæ falsa sunt & erronea opinione pro veris habentur; in praxi vero non nisi corrupta & depravata, ideoque mala. Vtrobique autem non tantum specie tenus falsa & corrupta corrigenda sunt, sed quorum falsitas & corruptela est indubia & evicta (§. 96.). Patescit ergo reformatione non esse in contrarium mutanda, nisi certo falsa & prava seu corrupta.

Quid per reformationem sit mutandum?

Est quidem reformatio quædam mutatio, sed non qualiscunque, verum meliora surrogans deterioribus. Omnis enim mutatio rem aliter determinat, ac ante erat comparata. Sed si vergat in deterius, ea mutatio non est nisi corruptio. Si autem pristinis seu mutatis meliora substituit, emendatio est, qualis ad reformationem est adhibenda (§. 95.). Si opineris falsa mutari posse in magis falsa, & mala in deteriora, animadvertes, non fieri ibi mutationem nisi in homogeneum, hic autem in reformatio-

matione fieri debet in heterogeneum h. e. in contrarium errorum falſorum & pravorum. Vnde conſulto adhibui mutationem in contrarium. Eſt ubi fit mutatio boni in id, quod eſt melius; ſed ea non eſt reformatio, verum nuda emendatio ſeu perfectio ulterior conſummatioque.

§. 98.

Quomodo tollendi ſint abuſus?

Sunt quoque abolendi abuſus quantocyus, argumentis evincendo eorum pravitatem, & quando his non obtemperatur, infligendo autoribus eorum pœnas illis deteſtandis pares. Abuſus enim vertit rem in malum, quæ erat vertenda in bonum, præſtat aliquid mali loco boni, quod poterat præſtari, nocetque cum potuiſſet prodeſſe (§ 646. *P. I. Theol. nat.*). Vſus præſtat boni quidquam & perficit res alias, cum abuſus eas depravat deterioresque reddit, ac alias fuiſſent. Abuſus ergo corrumpit rei uſum, aut prorſus eum tollit. Eſt igitur abuſus non niſi uſus corruptus & revera depravatus, ideoque malus. Sed certo mala ſunt reformanda (§. 96.), ideoque mutanda in contrarium, & ſic abolenda, ut quantocyus ceſſent eſſe, ſit vero eorum contrarium (§. 97.). Conſtat igitur jure reformationis quoque abuſus religionis vel in religione obortos eſſe tollendos quam primum.

Enimvero, ut abuſus aboleantur, convincendi ſunt animi argumentis idoneis de pravitate abuſus, quæ intelligatur mereri omnium deteſtationem. Quare ut lubenter fugiant homines abuſum, inſtruendi convincendique ſunt de illius turpitudine, noxa & pernicie, quam afferre ſuis autoribus aliisque valet, niſi omittatur, eique ſufficiatur verus uſus, ad perficiendum autorem aliosque tendens (§. 646. *P. II. Theol. nat.*).

Si qui vero ſunt hebetiores, quum ut iſta capiant, vel ſi ſunt ineſcati apparentibus abuſus deliciis, & pravæ conſuetudinis dulcedine; ſi ſunt immorigeri obſtinatique in ſectando abuſu,

abusu, & negligendo eo, quo possent resipiscere: nil restat nisi ut pœnis promeritis, & quæ sufficere possint ad avocandos eorum animos ab abusu, coërceantur, ut saltem externos abusus actus fugiant (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 99.

Præstat autem prævertere abusum, quam abolere, cavendo ne irrepat & invalescat. Sunt quidem abusus, dum adsunt vel invaluere, quantocunque fieri potest studio abolendi (§. 98.). Sed si id agatur, ne irrepere & invalescere possint, nulla opus est abolitione, qua tollantur: uti non opus est sanatione morborum, si præcaveantur, ne ingruant, nec opus est debellatione hostis, si caves, ne quis tibi hostis exsistat, fiatque. Præstat ergo cavere, ne abusus oriatur, h. e. prævertere abusum, quam abolere. *Quomodo prævertendi?*

Sed prævertere abusum atque ita eum avertere, ne vel oriatur, nemo valet, nisi qui solicite cavet, ne unquam irrepat, & postquam irrepsit sensim invalescat apud se aliosque, teste experientia. Non obrepet autem abusus his, qui de ejus vitiositate sunt in antecessum dudumque convicti, qui & norunt & fugiunt ansas & lubrica in abusum prolabendi, ideoque a pravo consortio abhorrent, & ab affectuum suorum præcipitio.

Quando lolium non debet oriri, semina ejus sunt arcenda, nec in agrum recipienda vel serenda, aut si propullulet, in prima herba suffocandum. Ita quoque abusus non orietur, si nulla ejus semina & causæ admittantur, quæ sunt in ignoratione, confusione, errore, vel malitia & aliorum seductione. Quibus procul esse jussis, nec nascetur, nec succrescet abusus, sed genuinus usus observabitur arridebitque. Sicubi tamen quidpiam seminis ejus irrepserit, si germinare inceperit, & folia protrudere, in prima herba erit conculcanda, aut eradicanda & evellenda antequam adolescere, se late diffundere & plura alia pro-

creare possit. Si quis nihilominus invaluit, is demum tollendus erit, quando præcaveri non potuit. Est hoc eo magis curandum, quo facilius est, ut vel optima quæque in abusum trahantur, genuino usu neglecto.

§. 100.

Religio est defendenda modis dignis. *Est & defensio religionis sapienter curanda.* Tanta est vis depravationis humanæ, ut plurimi indulgere suo genio malint, quam religionis legibus subjecti esse, nisi obloqui experientiæ velimus. Inde varii nascuntur hostes religionis, cujusmodi sunt non tantum omnem rejicientes religionem; verum etiam falsam & erroneam foventes, cujus zelo inducti alios mirum quantum persequi non verentur; & impii ac scelerati quicunque. Hi debellant & impugnant veram religionem ejusque asseclas, quantum possunt, modis innumeris. Opus igitur est defensione sapienti, ne supplantetur vera religio, sed ut potius vincat triumphetque (§. 973. *seqq. P. I. Jur. nat.*).

Quatenus ergo religio vera oppugnatur erroribus & calumniis, contra ipsam clam vel palam divulgatis; eatenus defensio absolvetur errorum solida refutatione (*Logic. P. II. Sect. IV. c. 2.*), & apologiis calumnias denudantibus (§. 1039. *seqq. P. I. Jur. nat.*), veritatum autem, innocentiæ & virtutum dilucidatione & comprobatione evidenti & immota (*Log. P. II. Sect. IV. c. 3.*).

Quatenus malitia sceleratorum contra illam grassatur, magistratus & Dei imploranda est justitia, æque ac contra persecutores in lucem protrahendos (§. 1051. *Logic.*), quibus & nulla nocendi occasio suppeditanda, adhibitis, quibus licet, eos placandi modis (§. 49.). Quæ vero mutari nequeunt, ea patienter sunt ferenda, tanquam calamitas a Deo permissa, & ipsius providentiæ commendanda (§. 1077. *seq. Logic.*).

Quatenus denique vi aperta urgetur religio, cedendum est vi majori, cui resisti nequit, emigratione expetita (§. 61. 64. *seq.)*; cui resisti potest, adversus illam utendum est subsidiis solitis vim avertendi, cogente autem necessitate vis vi repellenda est (§ 1101. *P. I. Jur. nat.*), cum nemo vi compellendus sit ad amplectendam religionem alterius (§. 259. *Jur. Gent.*), & libertas conscientiæ non subsit imperio civili (§. 21. *seqq.*).

§. 101.

Si bello injusto impetitur religio, opus est defensione armata, seu bello defensivo, si id nullo modo averti potest, & consultum deprehenditur. Quisquis enim bello impetitur præsertim injusto, ei uti licet bello defensivo (§. 615. & 629. *Jur. Gent.*), quando avertere mitioribus modis bellum offensivum non potuit (§. 982. *seqq. P. I. Jur. nat.*). Si nulla restat ratio avertendi belli ingruentis, quo non quæritur nisi oppressio religionis, nec spes hostibus resistendi vana est (§. 503. *P. I. Polit.*), consultum erit, forti bello defendere religionem & conscientiæ libertatem, qua hominibus nihil solet esse carius acceptiusque. **Bello interdum defensivo.**

Quæ religionis causa geruntur bella, ea vocari solent *bella religionis*; quorum pertinaciam, summamque in ipsis virium contentionem olim observarunt multi & proverbio adhibuerunt. Ita *Cicero L. III. de Natura Deor. c. 40.* Lucilium inducit dicentem: vehementius tu, Cotta, quidem invectus es in eam Stoicorum rationem, quæ de providentia Deorum ab illis constituta est. Sed quoniam advesperascit, dabis nobis diem, ut contra ista dicamus. Est enim mihi tecum pro aris & focis certamen, & pro deorum templis atque delubris, proque urbis muris, quos sanctos dicitis, diligentiusque urbem religione, quam mœnibus cingitis. Quæ deseri a me, dum quidem spirare potero, nefas judico. Et in *Philipp. VIII. c. 3.* Quæ est, inquit, in medio belli causa posita? Nos deorum immortalium templa, nos muros, nos domicilia sedesque populi romani, penates,

aras, focos, sepulcra majorum, nos leges, judicia, libertatem, conjuges, liberos, patriam defendimus. Catilina quoque apud *Sallustium c. 59.* suos ad fortitudinem accendens, rogat, meminerint se pro patria, pro liberis, pro aris atque focis suis cernere.

SECTIO I.

CAPUT II.

DE

Cura sapienter perficiendi imperium sui ipsius.

§. 102.

Virtutes erga se conjunctim sunt perficiendæ.

V*irtutes erga se ipsum in civitate sapienter sunt provehendæ.* Rectori enim civitatis curæ esse debet, ut subditi sint virtute præditi, & ne a virtutis tramite ad vitia deflectant, qui autem deflectunt, a vitiis revocentur & in viam rectam reducantur (§. 456. *P. VIII. Jur. nat.*). Inde cuilibet civitati sapienter opera est navanda, ut, quicunque in ea degunt, virtutibus cunctis adquirendis, exercendis perficiendisque continenter incumbant, a vitiis vero quibuscunque arceantur absterreanturque (§. 2.) Cum virtutes erga se ipsum secundæ sint a virtutibus erga Deum (§. 1145. *seq. P. I. Jur. nat.*), & normæ virtutum erga alios homines (§. 608. *seq. ibid.*): utique & earum cura in civitate qualibet est pernecessaria, itaque opera danda, ut quantum conjunctis viribus fieri potest, sapienter provehantur perficianturque; vitia autem ipsis opposita, h. e. vitia erga sese, præcaveantur, arceantur emendenturque.

Si cui mirum videatur, hic agi de virtutibus erga nos ipsos, cum in Politica non agendum sit nisi de virtutibus civilibus, quæ sunt virtutes erga alios, inprimis erga civitatem (§. 10. *P. I. Polit.*):

Polit.): is velim secum perpendat, virtutem politicam esse eam, qua indigemus ad salutem publicam (omnium & singulorum) consequendam (*ibid.*). Cum ad salutem publicam primariam obtinendam tuendamque omnibus opus sit virtutibus (§. 401. *ibid.*): virtutes erga se exulare ex philosophia civili nequeunt, sed tractari inter præsidia communis omnium felicitatis merentur. Præterea illæ virtutes hic non considerantur, quatenus vel in statu naturali & in solitudine quisque eas sectari & colere debet suæ felicitatis causa; sed quatenus aliorum, omnium scilicet in civitate degentium, opera viribusque conjunctis sunt adjuvandæ in adquisitione, exercitio, conservatione & amplificatione; & quatenus ad salutem publicam sapienter sunt excolendæ, dirigendæ subindeque perficiendæ. His vires privatæ singulorum impares, publicæ autem omnium vires pares deprehenduntur, ideoque huc sunt conferendæ.

§. 103.

Redeunt virtutes erga se ipsum omnes ad imperium vel *regimen sui ipsius.* Etenim virtutes erga se ipsum sunt habitus quam optime præstandi officia erga se ipsum (§. 226. & 321. *P. I. Phil. pract. univ.*). Officia autem erga se ipsum sunt actiones ad quas homo ideo obligatur, ut se statumque suum perficiat, vel ut actiones suas determinet per easdem rationes finales, per quas determinantur naturales (§. 167. *ibid.*) item ad fugienda his contraria (§. 168. *ibid.*). Quoniam ergo in iisdem actiones suas conformare debet legi divinæ (§. 321. *ibid.*): regere se ipsum, suasque actiones dirigere obligatur secundum leges divinas; vel si hoc mavis, componere easdem ad Dei voluntatem. Id vero est, quod salutamus regimen vel imperium sui ipsius. Vnde patescit, omnes virtutes erga se ipsum redire ad habitum vel artem regendi se ipsum, vel suas liberas actiones secundum Dei voluntatem, quem brevius nuncupamus imperium sui ipsius.

Ideoque imperium sui ipsius.

Equidem certum eſt, imperium ſimpliciter dictum notare jus determinandi pro lubitu alterius actiones (§. 194. *P. VII. Jur. nat.*), ſed tum ſermo eſt de imperio aliorum, non ſui ipſius. De quo dudum *Cicero Tuſcul. II. c. 20.* reliquum eſt, inquit, ut tute tibi imperes; quanquam hoc neſcio, quomodo dicatur, quaſi duo ſimus, ut alter imperet, alter pareat. Non inſcite tamen dicitur. Eſt enim animus in partes tributus duas, quarum altera rationis eſt particeps, altera expers. Cum igitur præcipitur, ut nobismet ipſis imperemus, hoc præcipitur, ut ratio coërceat temeritatem. Eſt in animis omnium fere natura molle quiddam, demiſſum, humile enervatum quodam modo & languidum, ſenile. Si nihil aliud, nihil eſſet homine deformius. Sed præſto eſt domina omnium & regina, ratio, quæ connixa per ſe & progreſſa longius fit perfecta virtus. Hæc ut imperet illi parti animi, quæ obedire debet, id videndum eſt viro. Quonam modo inquies? Velut dominus ſervo, veluti imperator militi, velut parens filio. Si turpiſſime ſe illa pars animi geret, quam dixi eſſe mollem, ſi te lamentis muliebriter lacrymisque dedet, vinciatur & conſtringatur amicorum propinquorumque cuſtodiis: ſæpe enim videmus fractos pudore, qui ratione nulla vincerentur. Ergo hos quidem, ut famulos, vinclis prope ac cuſtodiis arceamus. Qui autem erunt firmiores, nec tamen robuſtiſſimi, hos admonitu oportebit, ut bonos milites, revocatos, dignitatem tueri. (Addit multa de dolore domando a viris ope pudoris). In quo viro perfecta erit ſapientia, is ſic illi parti inferiori imperabit, ut juſtus parens probis filiis. Nutu quod volet conficiet, nullo labore, nulla moleſtia. Eriget ipſe ſe, ſuſcitabitur, inſtruet, armabit, ut tanquam hoſti, ſic obſiſtat dolori, &c. *Horatius* ſimiliter animum rege, jubet, qui niſi paret imperat *Epiſt. L. I. 2.* Rurſus *Cicero L. IV. Epiſt. ad famil. 14.* agitur præclare, ſi nosmet ipſos regere poſſumus, ut ea, quæ partim jam adſunt, partim impendent, moderate feramus. Alio nomine vocatur hæc virtus *temperantia* latius accepta (§. 352. *Oecon.*), aut *charitas ſui ipſius.*

§. 104.

Strictius hic notat imperium sui virtutes erga se morales, vel erga animum suum. Antea jam egimus de virtutibus intellectus in civitate perficiendis. Hic non agitur nisi de virtutibus voluntatis, vel de cura voluntatem civium virtutibus perficiendi (§. 1. *seq.*). Quæ virtutes quia appellantur morales, imperio sui, vel arte regendi se ipsum hic innuimus virtutes erga se morales, sive virtutes erga animum suum h. e. suam voluntatem & *recte gerendi personam sibi a Deo impositam* (§. 426 *P. III. Ethic.*). Includimus tamen simul virtutes erga voluntatem aliorum immo omnium civium, quatenus illa virtutibus erga sese est perficienda, viribus consociatis (§. 220. *seqq. P. I. Phil. pract. univ.*). *Strictius suorum affectuum.*

Potissimum enim notare solet imperium rationis in affectus suos, in cupiditates pravas. Ratio enim præesse debet sensui, & voluntas appetitioni aversationique sensuali, in primis moderari debet affectuum impetum, ne in prava degeneret, in quæ pronissimus esse solet. Quod luculentum est ex Scholio §. 103. Recte *Ciceroni de Iuvent. l. c. 2.* cupiditas cœca ac temeraria dominatrix animi vocatur. Atque de *amicitia c. 22.* stabilitas amicitiæ confirmari potest, cum homines benevolentia conjuncti primum cupiditatibus iis, quibus cæteri serviunt, imperabunt.

§. 105.

Antea omnia notitia sui distincta quam optime in civitate est perficienda. Perficiendæ enim sapienter sunt virtutes erga se ipsum (§. 102.) & ars imperandi sibimet (§. 103.) suisque cupiditatibus affectibusque (§. 104.). Prima autem virtus erga se ipsum est notitia sui, eaque distincta, ut habitus spectata (§. 1. *seqq. P. IV. Ethic.*); eaque cæterarum virtutum erga se moralium scaturigo (§. 22. *seq. ibid.*), indeque & artis recte gerendi personam sibi impositam (§. 17. *seq. ibid.*), quæ sine imperio *Perficienda est notitia sui distincta.*

sui

ſui obtineri atque exerceri nequit (§. 104.). Cogitur hinc, ante omnia notitiam ſui diſtinctam in civitate conjunctis viribus eſſe perficiendam.

Enucleat *caput primum P. IV. Ethicæ*, quæ ad notitiam ſui diſtinctam, quoniam confuſa parum prodeſt, & errorum genitrix ſæpicule evadit, comparandam & excolendam proprio marte valent. Hic de illis agendum erit, quæ civitatis ea in re ſunt partes. Harum aliæ privata præſtari poſſunt opera; aliæ publica egent autoritate. Quilibet civis uti naturaliter obligatur (§. 614. *P. I. Jur. nat.*) ad perficiendam notitiam ſui aliorum nonnihil conferre poteſt, partim ſuo exemplo prælucente, quid accurata notitia ſui involvat & præſtet; partim privata inſtitutione, amica admonitione, exhortatione, perſuaſione, commendatione & laude aliorum, qui ſe probe norunt, &c. partim vituperio aliorum, qui ſe ipſos ignorare deprehenduntur, & reprehenſione eorum, quæ idem vitium produnt in eo, cum quo res eſt. Solent enim ignoti facile perſtringere inſolentes & notitia ſui deſtitutos, ſolent eos aliis deridendos propinare, ut vel tecte doceant meliora ſibi ignotos, ideoque erga alios ſæpe peccantes, ſibi autem ſuffenos. Eſt hoc non poſtremum inter commoda peregrinationis & conſuetudinis cum aliis politioribus moratioribusque. Sed hæc paucis inſinuaſſe ſatis habemus in politicis, ubi potiſſimum de iis laborandum, quæ publica fieri debent autoritate.

§. 106.

Quid parentibus ideo præcipiendum ſit?

Injungendum & civili autoritate eſt parentibus, ut imbuant quam optime liberos diſtincta ſui & ſe regendi notitia, dum ſunt in ſua poteſtate. Etenim notitia ſui diſtincta publica autoritate eſt quam optime perficienda (§. 105.). Subeſſe autem poteſtati publicæ inter cæteros cives omnes quoque parentes, eosque ad officia ſua recte præſtanda itidem eſſe obligandos, dubio caret. Obligantur publica autoritate ad officia ſua, quando legibus civilibus naturalis obligatio fortior evadit, ipſisque promulgatur

gatur & inculcatur (§. 980. *P. VIII. Jur. nat.*). Sed in parentum officio est ut scrutentur facultates mentis & corporis suorum liberorum (§. 332. *Oecon.*) & ut liberos doceant & adsuefaciant ad noscendos distincte & regendos se ipsos (§. 347. & 352. *ibid.*). Liquet igitur, parentibus civili quoque autoritate imperandum legibusque civilibus fortius inculcandum esse, ut liberos suos quam optime imbuant notitia sui & se regendi distincta, dum eos habent in sua potestate (§. 104.).

Possunt debentque parentes eo magis operam dare notitiæ sui liberis impertiendæ, quo magis felicitatis liberorum suorum studiosi esse debent, & quo plus voluptatis ex liberorum felicitate capere gestiunt. Quotidie gaudent opportunitate eosdem docendi, quid insit ipsorum viribus, quid desit, convincendi eos errorum & vitiorum, reprehendendi, objurgandi & puniendi immorigeros castigatione paterna. Nec ullius, quam parentum, obligatio naturalis major est, ad hoc studium liberis præstandum.

§. 107.

Quæ obligatio civilis ut eo efficacior sit, munienda est spe præmiorum & sanctione pœnali suffectura ad immorigeros coërcendos. *Qua adhibita obligatione?* Civilis enim obligatio non constat nisi in præmiis & pœnis (§. 301. *P. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem & parentes aliter obligari nequeunt, uti ad hoc, ita & ad cætera erga liberos suos officia, quam spe præmiorum, & metu pœnarum, quarum illa legibus præcipientibus, hæ prohibentibus adjici merentur. Quid ergo apertius est, quam obligationem publicam parentum ad liberos notitia sui distincta imbuendos, muniendam esse spe præmiorum & metu pœnarum, quæ sufficere queant ad immorigeros compescendos.

Dantur varia commoda in civitate, quibus affici & donari possunt morigeri, exsortes judicari & privari immorigeri. Cæteris momentis nihil proficientibus, adimi potest perversis paren-

tibus educatio liberorum, & imponi ipſis neceſſitas ſumtuum ſeu dandorum ſeu adquirendorum labore publico, quibus eorum liberi ab aliis rectius educentur. Ita enim fieri poteſt, ut & ipſi reſipiſcant, & eorum exemplo alii intelligant officii ſui momentum.

§. 108.

Et ſcholarum ope.

Inſcitiæ vero parentum non ſpernendis ſcholis publicis eſt medendum. Nemo enim obligari poteſt ad præſtandum id, quod vires ſuas excedit (§. 209. *P. I. Phil. pract. univ*). Quare rudes quoque parentes obligari per ſe nequeunt ad ea liberis tradenda, v. c. de cognitione ſui ipſius, & modo perſonam ſuam recte gerendi, quæ ipſimet ignorant. Medendum ergo eſt illorum ignorantiæ inſcitiæque ope ſcholarum publicarum, in quibus parvo ſumtu privato id diſcere liberi poſſunt, quæ ipſi eos docere nequeunt. Quare publico ſumtu alendi ſunt præceptores ſcholarum, qui vel gratis vel exiguo didactro liberos aliorum doceant, quæ ipſis ſunt diſcenda (§. 729. *P. VIII. Jur. nat.*). Quas ſcholas ne aſpernentur vanoque obtentu contemnant parentes, liberos ſuos illis non tradentes, vel ab ipſis perperam avocantes, æque obligandi ſunt (§. 107.), ac ſcholarum magiſtri ad ſuas partes recte obeundas (§. 436. *ſeq. ibid.*).

Si locupletes dantur parentes rudes, illis æque ac eruditis, ſed per alia officia & negotia impeditis, concedi poteſt, ut privatos alant liberorum præceptores, quando hoc ipſis magis arridet; modo caveatur, ne quid irrepat ſaluti publicæ adverſum, quæ ſuprema civitatis lex eſſe debet & ſingulis & univerſis civibus ejusdem (§. 86. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 109.

Egeni gratis & inſtituendi ſunt & alendi.

Si tam egeni ſunt parentes, ut nec modicis ſcholarum publicarum didactris, aut ne alimentis quidem liberorum ſufficiant; eorum liberi gratis h. e. publico ære, erudiendi erunt & alendi. Si enim parentes habeant

beant quidem, unde liberis suis de alimentis prospicere possunt, at sumtus facere nequeunt, ut instituantur in illis, quorum notitia ipsis est necessaria; in rep. curandum est, ut absque parentum sumtu instituantur (§. 743. *P. VIII. Jur. nat.*), ideoque scholæ pauperum sunt instituendæ, quibus sine ullo parentum sumtu erudiantur (§. 744. *ibid.*). Ne vero irritum sit illud institutum, & parentes & liberi obligandi sunt, ad scholas istas debite frequentandas.

Quoniam rectori civitatis curæ esse debet, ne egenis desint illa, quibus ad vitæ necessitatem indigent (§. 735. *ibid.*), & ut probe educentur liberi, quorum parentes ipsis sumtus necessarios suppeditare nequeunt (§. 729. *ibid.*): oppido patet, liberos egenos insuper quoque esse alendos publico ære (§. 742. *ibid.*).

Variæ dari possunt causæ, propter quas inopes parentes ne alendis quidem liberis suis sufficiant, ideoque vel fame illis esset pereundum, deficientibus consanguineis, affinibus, amicis, qui eos alere possent, nisi publico alerentur sumtu durante præsertim infantia. Omissis causis vitiosis, ponamus parentes esse morbis ita afflictos, ut laborem, quo solo se sustentare possunt, subire nequeant; aut captivos detineri ab hoste; aut mente captos, aliisve legitimis impedimentis impares officio suo factos esse. Si vero liberi pueritiam jam sint ingressi, & a parentibus ad mendicandum pro se & parentibus adhibeantur, itaque in ruditate fere obbrutescant, & ad furandum seducantur: non potest non civitati id valde esse incommodum perniciosumque. Qua propter præstat, ut tales egeni sumtu publico erudiantur alanturque, & qui a disciplina necessaria abhorrent, castigatione promerita aut ergastulo ad rectiora adsuefiant (§. 737. *ibid.*).

§. 110.

Quomodo pupillis consulendum.

Mortuis parentibus, pupillis vel dandi, vel confirmandi, obligandique sunt tutores, ut parentum loco educationi & patrimonii admini-

ſtrationi recte præſint, egenos vero, ſi melius eos alere & erudire nequeant, in orphanotrophiis educari curent. Mortuos parentes impares eſſe officio liberis ſuis præſtando, nemini poteſt eſſe obſcurum. Quapropter parentum officium demandandum eſt tutoribus, vel ab ipſis parentibus aut conſanguineis, vel a magiſtratu, a quo & privata autoritate dati ſunt confirmandi & valide obligandi ad officii ſui partes recte peragendas (§. 758. & 759. *P. VIII. Jur. nat.*). Si qua pupillis ſunt bona a parentibus relicta, curandum eſt publica autoritate, ut illa diligenter fideliterque adminiſtrentur, & in educationem debita impendantur, quæ ad eam requiruntur (§. 759. *ibid.*). Quæ cura magiſtratui tutelari committenda, cui omnes illius loci tutores ſubſint & rationes reddant, antequam a tutela abſolvantur; a quo etiam puniantur vel removeantur tutores officio ſuo contravenientes (§. 760. *ibid.*).

Si autem pupilli ſunt egeni, tutores vel poterunt citra ſumtus publicos ipſorum educationi & inſtitutioni proſpicere, vel nequeunt. Priori caſu permittendum ipſis erit, ut oneribus publicis levamen afferant, melius pupillis conſulendo. Poſteriori autem obligandi erunt, ut orphanotrophiis ſcholisve pauperum eos committant (§. 742. & 744. *ibid.*), non neglecta tamen ſua quoque inſpectione ſubinde addenda.

§. 111.

Quomodo tironibus? Parentibus ſive vivis ſive mortuis, eorum liberi ad electum vitæ genus præparandi formandique ſunt, vel ab ipſismet parentibus, vel ab aliis, qui id callent, ut in eo perſonam ſibi impoſitam recte gerere, ac bene regere ſe ipſos poſſint (§. 333. *ſeqq. Oecon.*). Poſteriori caſu ipſi quidem parentes aut tutores circumſpicere & præficere liberis idoneos magiſtros, ac pacto obligare debent, ad eos tum recte imbuendos notitia & habitu, ea quam optime præſtandi, quæ ipſorum vitæ

vitæ genus requirit; tum avocandos ab omni morum corruptione & seductione; tum perficiendos in habitu regendi se ipsos & bene gerendi impositam sibi personam. Neque magistris deesse debent, omni autoritate sua eam in rem incitandis. *Quatenus* tamen *vel parentes, eorumque vicarii tutores, vel magistri illi desunt aut impares sunt officio suo; eatenus publica autoritate adigendi sunt ad partes suas observandas, sive parentes aut tutores, sive magistri tironum, sive tirones ipsimet* (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*).

Committi hujusmodi curæ solent illis, qui præfecti sunt illis vitæ generibus & tribubus artificum opificumque ad salutem publicam dirigendis, decidendisque, quæ contra illarum privilegia & pacta oriuntur litibus & querelis. Neque enim minus indigent tirones institutione in suo vitæ genere, quam morum emendatione, ut se ipsos bene regere discant.

§. 112.

Ope parentum, amicorum &c. Quia in rep. vires & privatæ & publicæ ad commune bonum sunt conferendæ (§ 18. & 20. *P. VIII. Jur. nat.*), ut quam optime conspirent ad illud promovendum; & ad liberorum tironumque imperium sui ipsius perficiendum multa conferre possunt parentes, eorum familiæ, affines, & amici, partibus suis rite fungentes, locupletis experientiæ testimonio: *manifestum est, jungendam esse curæ magistratus & magistrorum cujusque vitæ generis, omnem opem, quam afferre ad imperium sui perficiendum potest, autoritas & potestas parentum, consanguineorum, affinium, amicorum, civiumque cæterorum* (§. 106.).

§. 113.

Quando hæc cura in adultis continuanda? *Neque tantum hæc ita curanda sunt in impuberibus tironibusque, verum quoque in adultis, quacumque de causa personam suam haud recte gerentibus.* Impuberum enim tironumque ruditas manifesta est causa hujus officii ab aliis ipsis præstandi, ut se nempe aliorum

ope bene regere discant (§. 608. *P. I. Jur. nat.*), & quamdiu id nondum valent, regimini aliorum subsint.

Enimvero si qui jam ex ephebis excessere, si juvenilem & tironum ætatem supergressi sunt, fieri tamen variis de causis potest, ut regundis se ipsis, uti debent, vel nequeant vel nolint vacare, testibus multorum exemplis. Quo casu cum idem sit, acsi etiam nunc essent impuberes, regere se ipsos nescii: opus est, ut alii ipsorum impotentiæ subveniant curatores, ipsosque regant, dum ipsi se regere nequeunt (§. 436. *seqq. Oecon.*). Si regere se quidem possunt, sed nolunt & degenerant, eadem ratio, quæ parentes obligat ad curatores ipsis præficiendos (§. 412. *ibid.*), obligat quoque consanguineos, affines, amicos, ipsumque magistratum ad morum corruptionem impediendam curatela & publica autoritate cavendam turpem patrimonii dilapidationem & vitiorum grassationem sibi & reip. damnosam. Quamobrem vel prodigis tantum administratio bonorum suorum adimenda, & curatoribus, qui ipsos debite regant, demandanda est (§. 752. *P. VIII. Jur. nat.*).

Quotquot animadvertunt sibi in casibus difficilioribus aquam hærere, ut ancipiti animo fluctuent & ambigant, quid sibi agendum fugiendumque sit: illi sponte sua recurrere solent ad parentes connatos & amicos, quos sibi consulere posse autumant. Quibus si destituuntur, alios adeunt viros, ejusmodi rerum peritos, quos sibi adsciscant consultores adjutoresque, aut quibus utuntur causarum suarum patronis, gestoribus negotiorum, mandatariis. Ita apud romanos clientes se commendabant patronis Patriciis, qui ipsis præsidio essent & faverent, uti vicissim patroni clientum copia valebant & stipabantur. Sexui sequiori ob imperitiam senatusconsulto Vellejano & curatoribus cavebatur non in foro tantum & litibus, sed & in aliis difficilioribus causis, in quibus se ipsas regere, sibique recte consulere nequibant.

§. 114.

§. 114.

Licet externa hæc subsidia nonnihil conferant ad perficiendum regimen sui ipsius, plenior tamen ejus perfectio petenda est a solida animi convictione de officiis suam emendandi excolendique voluntatem, quatenus illa in civitate recte procuratur. Quæ non nisi præmiis pœnisque humanis nituntur, ea non solent diutius attendi, quam harum evitatio non videtur esse in potestate, aut majoris momenti censetur ac factum prohibitum; & quam illorum consecutio vel possessio non censetur postponenda esse illi, quod contrarius actus promittit. Sic nempe complurium vitam se habere experimur, qui omnia sibi licere statuunt, quæ libent, modo sibi nihil inde sit ab hominibus metuendum, vel hoc eludi astute possit (§. 342 *Oecon.*). *Quomodo imperium sui plenius perficiatur.*

Enimvero ut animus virtutes voluntatem suam perficientes propter se & Deum (§. 338. *seqq. P. I. Phil. pract. univ.*), lubenter, lætabundus, constanterque amet, colat præferatque omnibus vitiis, quæ vel sensui & affectibus arrident, vel aliorum exemplum commendant, non præstabit nisi solida convictio, id, quod in virtutibus habetur, longe anteferendum esse omnibus illis, quæ vitiorum illecebras constituunt (§. 344. *seqq.* & §. 352 *Oecon.*). Pariter ut vitia imperio sui contraria, h. e. vitia ex affectuum imperio orta illudque foventia & arguentia propter se, & propter Deum, seu conscientiæ religionem, odio habeantur sponte, constanter & perpetuo, etiamsi nullus humanus arbiter verendus est, id itidem non nisi solidæ convictioni in acceptis erit ferendum. Qua propter dilucescit, pleniorem imperii sui æque ac omnis virtutis (§. 321. *P. I. Phil. pract. univ.*) perfectionem præstolandam non esse, nisi a solida animi convictione de officiis felicitatem suam salutemque publicam consummandi ope emendatæ excultæque voluntatis publica cura quam optime promotæ (§. 328. *ibid.*).

Si

Si parumper attendamus ad ea, quæ homines amant & constanter sequuntur, deprehendemus, illa non esse alia, quam de quibus aut sunt convicti, aut esse saltem sibi videntur, in iis positam esse suam felicitatem, nec ea salva se aliter agere posse. Cum vero illa tandem evanescant, agnito errore, de quibus tantum videbantur sibi esse convicti, cumque tum in eorum locum succedat id, a quo maxime abhorrebant, contrarium felicitatis, vera scilicet & æterna infelicitas, ne opus quidem fuit, ut illius ulla ratio haberetur, in imperio sui perficiendo. Revera enim falleret apparens illa suas actiones regendi habitudo, nec augeret & firmaret nisi affectuum tyrannidem, rationis vero miserrimam servitutem.

§. 115.

Quomodo civitas convictionem illam promoveat?

Ad solidam hanc convictionem obtinendam perpetuandamque comparandæ & exigendæ sunt doctrinæ scholarum, Gymnasiorum, Academiarum, ecclesiarumque omnium. Genuina nimirum convictio assensum pariens quantus haberi potest, vel procedit a priori vel a posteriori (§. 982. *Logic.*). A posteriori petitur ex illis, quæ vel nos ipsi indubie experti sumus, vel alii minime suspecti (§. 985-989. *ibid.*). A priori non obtinetur nisi legitima & quam optima probatione, ideoque vel demonstratione veritatis aut falsitatis, vel evictione probabilitatis, quanta haberi potest (§. 983. *seq.* & 990. *seqq. ibid.*). Publica igitur autoritate dictæ doctrinarum officinæ instituendæ & exigendæ sunt, ut, qui in illis docent, ipsi distincta cognitione virtutum erga se cæterarumque gaudeant, eademque auditores suos imbuant & convincant pro eorum captu, eximantque illis dubia, quæcunque convictionem labefactare, & in vitia præcipitare possent. Quod cum simili modo in illis curari possit, quo virtutum intellectus cultura perfici solet, juxta *Polit. P. II. Sect. III. Caput I.* supervacaneum videtur, ut de his plura hic commentemur.

Longum enim foret, quæ ibi dicta sunt, mutandis mutatis huc transferre & accommodare. Paucis tantum innuo, hujus finis consequendi causa inspiciendam esse vitam ante actam eorum, quibus doctrina illa moralis est committenda. Qui enim virtutum laude semper floruere, illi bonam de se spem præbent in hujusmodi sparta obeunda, unde & plurimum fructus sperandum habent, si pergant bene regere se suosque auditores; & plurimum dedecoris & damni metuendum habent, si a pristina vitæ norma desciscant, dum ignominiose a sparta sua amoverentur. Qui vero vitiis potius quam virtutibus conspicui plerumque fuere, de illis si vel nunc simulent emendationem promittuntque, parum sperari potest, cum difficile sit exuere pravos habitus, qui altas egere radices, nec exspectare videntur nisi novam materiam, novaque fomenta occultatæ aliquamdiu pravitatis. Qui mediæ quasi fuerunt naturæ, & modo vitiis, modo virtutibus operam dedere, horum emendationis veritas erit exploranda ex documentis fide dignis, & spectandum id, quod humana natura capere solet, quæ ita jam est comparata, ut vitiis nemo careat, optimus sit, qui minimis laborat, melior cæteris qui paucioribus levioribusque, quam alii, contaminatur.

§. 116.

Quorum exempla huc faciant?

Ad perficiendum imperium sui civium plurimum faciunt bona exempla imperantium docentium, parentum & amicorum; mala vero exempla præsertim eatenus, quatenus tristia fata vitiorum pœnam dilucide ostendunt. Est enim in rebus agendis magna vis exemplorum in utramque partem, bonam nempe & malam (§. 279. *P. II. Phil. pract. univ.*). Quare nec bonis exemplis sua vis erit deneganda in imperio sui perficiendo. Valent quippe ad convictionem veritatum moralium de recte gerenda persona nobis a Deo imposita (§. 269. *ibid.*), dum a posteriori ea confirmant atque intuenda in singularibus exhibent, quæ ratio generatim demonstrat (§. 270 *ibid.*); dum non rem tantum & actionem virtutis, item modum ordinemque agendi docent rite attendentes (§. 173. seq.

seq. ibid.), vivamque cognitionem excitant in imitaturis ac eadem in se experturis (§. 273. *seq. ibid.*); sed & compendio unoque obtutu multa exhibent comprehendenda, quæ multis regulis forent præcipienda, longisque demonstrationibus evincenda (§ 297. *ibid.*); ipsamque sensionem & imaginationem ad consensum cum intellectu reducunt (§. 300. *seq. ibid.*).

Quo vero perfectiora sunt exempla & præclariora, eo plus docent, & eo majorem stimulum addunt his, qui gloria ducuntur, ad præclara imitanda, & si fieri possit superanda (§. 286. *ibid.*). Hinc nulla exempla sunt efficaciora his, quæ præbentur a summis imperantibus & magistratibus, quibus placere & probari plurimi cupiunt, ut eorum favore fruantur, & quorum autoritas potestasque in civitate plurimum valet. Tum magna quoque autoritas esse solet docentium, utpote quibus nonnulla pars publicæ autoritatis potestatisque in concreditos ipsis tributa est (§. 459. *P. VIII. Jur. nat.*), quam & ipsi tueri ac augere debent (§. 401. *P. II. Polit.*). Cum parentes quoque patria gaudeant potestate, & amici gratia amicitiæ valeant, horum quoque autoritas exemplis eorum pondus addit, ut recte censentibus majoris fiat, quam aliorum, magisque inflammet ad ejus imitationem æmulationemque.

Mala vero exempla, uti sunt depravatis gratiora, ita quoque facilius imitatores corrumpunt & seducunt, nisi animus jam sit rectiora edoctus & de illis convictus. Tum ei vel pessima exempla confirmant veritatem tristi illo exitu, quem tandem sortiuntur, aut indubie jam experta sunt. Ea vero exempla, quæ vel non sunt alteri manifesta, vel quorum exitus seu dubius est, seu lætus videtur, rectius prætereuntur infirmiorum causa, licet facilis quoque responsio sit ad dubia inde mota.

Nempe ubi sunt manifesta tristia illa fata, ubi dubium non est meruisse illa vitam ejus, qui illa est expertus, ibi omnia sunt plana.

plana. Et non nisi hujusmodi exemplis convictio rudium potest obtineri augerique. Si autem læta videntur esse fata, saltem dubia improbiorum: non tam facile perspicitur, ea quoque confirmare regulam. Quod tamen acutioribus innotescit, qui ea, quæ læta esse videbantur, intelligunt, vel non esse nisi res medias, quæ neminem faciunt beatum; vel plane falsas, si verbis quidem jactantur, sed quibus nihil rei respondet; vel veras quidem sed terrestres tantum, loco præmii leviorum virtutum concessas. Comparari ista possunt cum regis justitia, qui ministrum antea bene meritum non tantum patitur frui illis bonis, quæ tunc in ipsum contulit, sed majoris cumuli causa acceptis antea præmiis alia superaddit. V. c. Epulum lautissimum Hamani apparatum, qui paullo post ob gravia delicta ultimo supplicio est subjiciendus.

§. 117.

Vt eo rectius perfici possit imperium sui, explorandi sunt ejus defectus, quibus sublatis magis enitescat. Quidquid in homine perficiendum est, illud ob finitam ejus indolem progressionibus indiget, quibus a paucioribus ad plura, a facilioribus ad difficiliora, a minoribus ad majora subinde pergatur atque perveniatur (§. 798. & 832. *Ontol.*). Quamdiu ulterius perfici potest, tamdiu semper aliquid deerit, quod ipsi inesse potest, semper igitur tamdiu quodam laborabit defectu, qui abesse & tolli potest, licet alio tempore sit apparens tantum, alio verus (§. 512. *ibid.*), eo posthac in ejus locum substituto, quod præviis addi & inesse ita potest, ut res jam incremento gaudeat antea deficiente. Hoc in imperio sui, pariter ulterioris incrementi indigo & habili, haud aliter comparatum est. Quare ut subinde magis perfici possit, scrutandum est, quid illi adhuc desit, vel quibus laboret defectibus, ut illis liberetur, & particeps fiat novarum accessionum, quibus tanquam finita virtus augeri potest.

Subsidium primum perficiendi imperium sui.

Quod ut luculentius evadat, cogitemus facultatem intelligendi, ea indiget primum ideis & notionibus distinctis, tum judiciis rite formandis, denique & variis argumentationibus, ad quas progredi recte nequit nisi præviis & adquisitis jam illis, sine quibus alterum distincte concipi & intelligi nequit. V. c. dilemma intelligi nequit nisi perspectis jam regulis syllogismi conditionalis & connexionis cujus altera certe pars est disjunctiva. Similiter in voluntate perficienda, & in arte regendi se ipsum alia præcedere, alia sequi, h. e. alia ante fieri & ad habitum perduci debent, quam alia fieri & adolescere in habitum possint. Sic scrutinium affectuum insitorum & prævalentium præcedere debet, antequam de remediis & ordine illos rationi subjiciendi cogitari, & illorum perdomatio absolvi ita possit, ut quoties oboritur affectus, toties ratio illi habenas injicere, ut ipsa imperare, affectus famulari & obsequi intelligatur.

§. 118.

Subsidium secundum. *Attendendum porro diligenter est ad ea, quorum nos aliosve postea pœnituit, & quæ vel nobis in aliis, vel aliis in nobis sunt detestationi.* Ea nempe, quorum nos, quorumque alios ex distincta cognitione pœnituit, h. e. quæ post factum perperam esse facta, & fieri non debuisse innotuit, merito ponuntur inter veros defectus, qui evitari potuissent ac debuissent (§. 512. *Ontol.*). Eadem a conscientia consequente recte damnantur (§. 515. *P. I. Phil. pract. univ.*). Ita ergo nobis certo innotescit defectus in imperio sui admissus, isque verus; ita simul innotescit malum, quod inde est ortum, & bonum, quo propter illum caremus. Hæc vero sunt argumenta seu resipiscendi ex nostro facto & damno, seu sapiendi feliciter ex casu alieno, eumque eo diligentius evitandi. Itaque facient explorati hi defectus in imperio sui, & convictionem nobis afferentes, ut certum habeamus nisi illis evitatis perfici accurate imperium sui non posse (§. 117.).

Si

Si porro attendamus ad ea, quæ nos merito in aliorum ratione agendi reprehendimus & damnamus, vel quæ alii in nobis minime probant, seu detestantur, neque idonea ita statuendi ratione carent: illa quoque vitiosa esse, & veros in regimine sui defectus arguere planum erit, qui evitari omnino possint, & vi officii nostri debeant (§. 117). Vnde prono fluet alveo, illos ab omnibus, ideoque & a nobis solicite diligenterque evitandos esse, si imperium sui rite sit perficiendum.

§. 119.

Vnde imperium sui præcipue æstimandum sit?

Neque tantum de actionibus nostris & aliorum rectis aut pravis, sed præsertim de habitu has vel illas præferendi aliis, disquirendum est perficiendi imperii sui ipsius causa. Habent actiones nostræ, quarum nos pœnitet, momentum ad eas in posterum fugiendas, æque ac aliorum actiones pravæ in eventu tristi, quem sunt sortitæ (§. 116. & 118.). Habent & rectæ actiones nostræ & aliorum in læto eventu, & in tranquillitate conscientiæ, saltem excusatione ejusdem, si quid inde præter votum accidit, quod nos confirmare in judicio de harum bonitate, nostraque obligatione illas præstandi potest. Quorum utrumque quo majori nititur ejusmodi casuum consensu, eo certius est, eoque plus valet ad imperium sui perficiendum.

Enimvero quia non de solis actionibus hic agitur, quæ imperii sui ipsius vel usum vel neglectum arguunt, sed potissimum de virtutibus, quas continere debet hoc genus virtutum erga sese (§ 103. *seq*): in perficiendo hocce imperio præsertim scrutandæ sunt virtutes illæ erga se, quæ eidem vel jam insunt, vel nondum insunt, itaque desunt, nec non quo gradu gaudeant, quæ insunt, quo careant (§. 117.). Virtutibus enim, quæ insunt, utendum est, ad eas conservandas exercendasque, quoties occasio iisdem utendi occurrit; & si intendi gradus earum possit, ad eas ulterius excolendas ac ad sublimio-

res gradus evehendas (§. 117.). Virtutes autem, quæ desunt, inter defectus veros sunt reputandæ, ideoque necesse est, ut illi defectus ut primum tollantur, virtutesque deficientes suppleantur & adquirantur.

Aestimari autem habitus tum recti, h. e. virtutes, tum pravi, h. e. vitia, in nobis aliisque debent ex frequentia actionum inde pendentium, uti actionum bonarum ex virtutibus, pravarum ex vitiis oriundarum. Certum enim est, habitum esse promtitudinem studiumque agendi (§. 428. *Psychol. empir.*), & promtitudinem illam facilius sæpiusque se exserere in agendo, quam illius defectum. Non fierent autem illæ actiones frequentius, quam earum contrariæ, nisi animus esset pronior ad illas contrariis præferendas, quas itidem perpetrare posset. Quamobrem ex habitu nostro aliorumve has vel illas actiones contrariis præferendi judicari debet virtus aut vitium animi; illa scilicet si actiones frequentiores rectæ sint & bonæ; hoc autem si actiones frequentiores sunt pravæ & illicitæ. Item quo major est harum vel illarum actionum frequentia, & quo major contrariarum raritas, eo seu virtus seu vitium majoris gradus erit censendum.

Quoniam habitus studium agendi infert, & animi prolubium, facilitatem, ac voluptatis ex illa actione sensationem saltem opinionem: æstimari etiam virtus & vitium in nobis & aliis potest, ex lubentia, facilitateque agendi, & ex voluptate ex illis actionibus percepta. Malunt enim omnes id agere, quod ipsis facile, & jucundum videtur, & quod allubescit, quam difficile ipsis & molestum apparens, ac displicens & tædiosum. Quare & quo majori lubentia facilitate & jucunditate aliquid peragitur, eo major intensiorque illius habitus est censendus, sive sit legitimus sive illegitimus, sive virtutibus sive vitiis accensendus.

Dum

Dum civitati perficiendum est civium imperium sui, potissimum quidem agitur de virtutibus illis adquirendis excolendisque, quæ illud absolvunt. Quoniam tamen virtutes locum habere & perfici nequeunt, si illarum loco insint & imperent vitia & qui virtutem colere vult, fugere simul & odisse debet vitia illi contraria: & virtutum & vitiorum insignia pandenda sunt, ne quis facile in æstimio & judicio suo aberret ab eo, quod res est. In quo judicio cum actionum & bonarum & malarum præcipua ratio habenda sit, per ea, quæ exposita sunt hoc §. manifestum est, sine theoria actionum bonarum malarumque, quam tradit Philosophia practica universalis, & sine Jure naturæ, quod specialem actionum liberarum moralitatem ob oculos ponit, præsertim sine scientia officiorum erga nos ipsos parum in hac discussione præstari posse. Quo quis autem in his est peritior expeditiorque, eo quoque plus valebit in hac æstimatione.

§. 120.

Quid comparatio cum perfectioribus hic valeat?

Juvabit quoque studium perficiendi imperium sui comparatio cum aliis provectioribus perfectioribusque in eodem, sive viventibus, sive vita defunctis. Qui enim provectiores perfectioresque sunt in imperio sui, illi in eodem longius sunt progressi, & plura majora aut sublimiora præstitere, quam alii. Quo præclariora sunt ea, quæ ejus dedere documenta, eo apertius docent, ad quantum fastigium adscendere virtus humana possit, & quomodo id sit tentandum efficiendumque (§. 116.). Ipsa gloria, quam adquisivere, qui in his excelluere, invitat alios ad premenda ipsorum vestigia, qui facile vident, & ipsos fuisse homines, nec eo fuisse adspiraturos, nisi in excolendis virtutibus majorem solito operam posuissent. Ipsa eorum gloria, felicitasque successus, & præstantia virtutis, si vel a gloria, pedissequa tantum, recedamus, addit stimulos ad æmulandam tantam virtutem, eamque si fieri possit suam faciendam (§. 286. *P. II. Phil. pract. univ.*).

Quo

Quo vero plura, quo majora, quo excelſiora in hujusmodi ſpeculis civibus ob oculos ponuntur per eos, qui informare virtutes in civium animis publica autoritate jubentur: eo efficaciora erunt calcaria, quæ civibus, per ſe ad felicitatem ſuam propenſis currentibusque, ſubjicientur (§. 116.). Conquirenda igitur ſunt illuſtria & illuſtriſſima quæque exempla & ſpecimina iſtius ſublimitatis naturalis undecunque haberi posſunt, ſive inter vivos, ſive inter mortuos, ſive inter noſtræ, ſive inter alterius civitatis lumina primi honoris omnis ævi. Comparandi cum illis ſunt vulgares, in quibus plerique adquieſcere ſolent, progreſſus, & oſtendendum quanto plus majus & ſublimius citra miraculum obtineri poſſit debeatque ab omnibus, quibus pares ſunt vires & occaſiones, pariaque incumbunt officia.

Ne circa comparationem hæſitetur, quæ in antecedentibus explicata nondum eſt, eam dico relationem plurium ad ſe invicem, qua notas convenientes; vel collationem ſaltem duorum quoad determinationes internas, utrum paritas vel imparitas inter illas detur. Paritas convenientiam inſitorum, ideoque æqualitatem & ſimilitudinem potiſſimum ſpectat. Ob poſteriorem aſſimilatio audit.

§. 121.

Attenta ſimul ingeniorum & temporum diverſitate.

Nec tamen prætermittenda eſt, in iſta comparatione, ingeniorum & temporum diverſitas. Non unius tantum generis eſt comparatio, ſed alia æqualium, alia inæqualium, alia ſimilium, alia diſſimilium (§. 195. 211. 464. & 349. *Ontol.*). Quia hic de virtutibus ſermo eſt, primario attendenda eſt in comparatione ſimilitudo, & ſecundario graduum æqualitas (§. 120.). Ingeniorum cultura hic potiſſimum ſpectanda eſt, qua ſimilitudinem aut diſſimilitudinem in eadem obviam, quatenus ab ea pendent virtutes adquiſitæ. Temporum autem diverſitas hic non ſpectatur in ſe, ſed

sed ratione status rerum, in primis culturæ mentis, in isto tempore. Jam in comparatione æqualium eadem esse debet ratio quantitatis, vel eadem quantitas. In comparatione similium eadem requiritur ratio qualitatis, vel eadem qualitas, ut ab uno ad alterum recte argumentemur. Sed in comparatione inæqualium alterum est majus, alterum vero minus; unde in ajentibus recte argumentamur a majori ad minus, in negantibus a minori ad majus; in comparatione dissimilium, qualitates unius plus continent, alterius minus, sive gradus qualitatum alterius est major, alterius minor. Vnde & major gradus complectitur minorem, ideoque in ajentibus argumentari licet a majori ad minus; ubi vero minor gradus deficit, ibi multo magis deficiet major, itaque in negantibus argumentatio a minori procedit ad majus.

Quapropter quidquid fieri potuit in cultura ingeniorum imperfectiori impeditiorique, id multo magis, facilius & melius fieri posse ac debere in cultura longe perfectiori expeditiorique, concludendum est. Quæ in sæculo multo rudiori & corruptiori fieri potuerunt, ea multo magis fieri possunt, vel ea pudeat non fieri in sæculo longe cultiori emendatiorique. Quæ in simili casu olim facta esse constat, ea iterum fieri eundemque eventum sortiri posse, cæteris paribus non est ambigendum. Quæ fieri nequeunt in multo clariori luce & fulgore veritatum, eadem olim in spissis tenebris ignorantiæ & errorum facta esse vix credibile videtur, aut si facta sunt, summam ostenderent ingenii aciem excellentiamque.

Dum a quolibet facultatum naturalium & moralium atque externarum usus requiritur quam amplissimus, cavendum est, ne ea in re hallucinemur, existimantes, per nostras divinitus nobis concessas facultates hæc vel illa fieri non posse, quæ tamen fieri queunt ac debent. Hoc vero non rectius perspici potest, (*Wolfii Politicæ P. III. S. I. C. II.*)

quam si indagemus, quænam sint nobis a Deo concessæ facultates; & dein exploremus nostræ sortis eorum facultates, qui omnium ore & scriptis celebrantur propter eximia, quæ præstitere, & quibus excelluere suo loco & ævo, si antequam eas in tales usus transferrent, illos veros spectemus, & quomodo eas excoluerint, observemus, quid nobis incumbat, ut eos imitemur ac æmulemur, manifestum evadet. Videntur enim facile viribus majora esse, quæ non sunt, modo illis uti discamus & audeamus, uti par est, & uti aliorum exemplo ad id erigimur.

§. 121.

Comparatio illa aliorum ope perficienda.

Ad perspiciendum rectius, quantum sit in potestate, aliorum docere debet scrutinium ingeniorum, & comparatio eorum exactior, cum pristinis & recentioribus aliorum exemplis, ad convictionem de officio componenda. Quia conferendæ sunt inter se nostræ aliorumque facultates, ut quorsum enitendum nobis sit exploratum habeamus (§. 120.); & alii acutiores esse solent & argi in aliorum defectibus perspiciendis, quam in suismet: duplici modo in usus nostros convertenda est curatior illa alienorum nævorum animadversio & reprehensio, quam propriorum. Primo scilicet quæ advertimus ab aliis melius fieri potuisse seu ad suam aliorumque felicitatem adipiscendam, stabiliendam, augendam, seu ad infelicitatem avertendam; ea nobis præcipue proponamus curæ cordique habenda. Præstat enim ex alieno casu sapere, quam sero ex proprio damno discere, quid rectius fieri potuisset debuissetque. Secundo in nostris quoque defectibus alii solent esse oculatiores nobismet ipsis, etiam hi, quibus facilius est usitatiusque reprehendere, quam meliora patrare. Quare & hi nostræ emendationi augendæque virtuti inservient, si cum Appelle post tabulam latentes illorum vituperia nobis reddamus perspecta, ut quæ serio examine vera deprehendimus, ea corrigamus, illa tantum negligentes, quæ falsa esse non

non minus patet, acſi ſutor ultra crepidam. Quo ſubſidio eo diligentibus utendum, ſi peritorum ſolidorumque virorum ſcrutinio ingeniorum ſagaciori intelligamus, quantum ſit in noſtra poteſtate, ſi nobiſmet deeſſe nolimus, atque illi nos doceant exactiorem comparationem noſtrarum alienarumque priſtinarum aut recentiorum vel etiam nunc ſumma cum laude excultarum & florentium facultatum, & exemplis indubiis nos de ea, & de reſultante hinc officio noſtro, omnem ampliſſimumque earum uſum faciendi convincant.

Quo faciliora ſunt adjumenta nos perficiendi, quæ ab aliis peti poſſunt, eo plus illa cuique prodeſſe poſſunt, & eo ſolicitius ſunt illa conquirenda & in noſtros vertenda uſus. Jam nihil eſt, ad quod homines ſint plerumque procliviores, quam ad carpendos alios. Inde olim *Cicero L. I. de officiis c. 41.* Quo in genere non eſt incommodum, quale quidque ſit, ex aliis judicare, ut ſi quid dedeceat, vitemus id ipſi. Fit enim neſcio quomodo, ut magis in aliis cernamus, quam in nobis ipſis, ſi quid delinquitur. Itaque facillime corriguntur in diſcendo, quorum vitia imitantur emendandi cauſa Magiſtri. Sic *Terentius in Adelphis III. 3.* ego meos inſpicere, tanquam in ſpeculum, in vitas omnium jubeo, atque ex aliis ſumere exemplum ſibi. Viva exempla aliorum in his efficaciora ſunt cæteris, quorum veritas non æque patet. Attamen & hiſtoriæ hic eſt uſus non poſtremus, quod *Livius in præfatione* præcipue ſalubre ac frugiferum vocat, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri, inde tibi tuæque reip. quod imitere capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites. Felix quem faciunt aliena pericula cautum, & qui aliorum cenſura utitur ad ſui emendationem.

§. 122.

Imperio & notitiæ ſui adquirendis perficiendisque inſerviunt etiam libri morales & conciones ſacræ ſi attente legantur. Etenim ad emen- *Opus quoque eſt libris legendis impe-*

rium sui inculcantibus. dandam voluntatem, itaque & ad imperium sui consequendum, opus est solida convictione (§. 114.). Quæ adquirenda est partim in scholis superioribus, partim in concionibus sacris, vel aliis institutionibus doctorum Ecclesiæ (§. 115.). Sed illa præcepta moralia, quæ in scholis & ecclesiis viva voce docentur, possunt etiam in libris consignari & vel manu scribi, vel typis imprimi, ut legi possint, æque ac libri religionem & pietatem inculcantes (§. 87.). Quare cum uti omnium veritatum ita & virtutum discendarum & perficiendarum eadem sit ratio, cum non sufficiat ut actus externus vel edatur vel omittatur, sed oporteat, ut ex convictione animi homo actiones omittat, quia malæ sunt, & bonas committere ideo velit, quia certum habet, eas esse bonas & committendas (§. 227. *P. II. Ethic.*): etiam virtutum, ad voluntatis emendationem facientium, causa edendi erunt & attente legendi libri morales, sive sacras complectantur conciones ad notitiam & imperium sui comparatas, sive alio quocunque modo præcepta moralia & exempla tradant, quibus felicitas eorum, qui recte sibi imperarunt, infelicitasque eorum, qui se regere aut nesciverunt, aut noluerunt, ad vivum ante oculos veluti ponitur. Quo modo historiarum quoque lectionem frugiferam fieri posse, patuit ex (§. 121.) adnotatis.

Viva quidem exempla plus afficiunt sensus, & evidentiam sensibus obviam important, quæ multum valent ad convictionem rudium. Sed quando autor censetur fide dignus, qui narrat exempla suo ævo nota & viva, hæc sustinent vicem exemplorum propriæ experientiæ obviorum, in quibus quod animum convincit quoque non est, nisi quod ex iis, quæ in sensum incurrunt, certum & evidens animo occurrit. Enimvero si non sola exempla narrantur, ut fit in historiis, sed dogmata moralia simul dilucidantur, comprobantur, illustranturque exemplis, convictio animorum multum juvatur, ope distinctæ cognitionis,

qua intellectus simul collustratur, & confusio illa tollitur, quæ superesse solet in iis, quæ nudo sensu tantum percipiuntur. Quod in primis commodum est legentibus, quando eorum acumen juvatur ostendendo & eruendo id, quod in exemplis maximam attentionem meretur, & non per se in sensus incurrit, nisi occultæ rationes agentis recludantur quasi & ob oculos ponantur, ex iis, quæ aliunde nota esse debent, ut vis exempli recte intelligatur & animum convincat. Neque etiam omittenda sunt cætera argumenta, quæ exornare rem pro meritis, commendare, & animos flectere in virtutis amorem & vitiorum fugam solent.

§. 123.

Comparari quoque ad imperium sui perficiendum possunt comœdiæ & tragœdiæ recte institutæ. Comœdiæ enim & tragœdiæ eundem, quem exempla propriæ experientiæ, usum præbent, efficacitate subinde majori (§. 530. *P. VIII. Jur. nat.*). Vnde si tales sint, quales esse debent, multum adjumenti afferunt, ad promovenda officia hominis, hoc est ad perficiendum regimen sui ipsius secundum veræ felicitatis normam, ideoque in rep. non tolerandæ tantum, sed & accurandæ sunt ad hunc usum, quem degentibus in civitate præbere possunt (§. 531. *ibid.*). Si actores personam, quam induerunt, recte agunt, multa in illis observari possunt, quæ verbis describi nequeunt in historia, & intra tam breve tempus ne in vera quidem rerum gestarum serie, ita colligata in sensus incurrere possunt. Taceo quod multa elimatius & melius ab ipsis dici & fieri possunt, quam in veris historiis fieri solent: quia autor comœdiarum & tragœdiarum in veris, quas sequitur, historiis illa mutare & emendare potest, meditata, quæ subito ita deliberari non potuere, ut perfectius imperium sui eluceat ex actoribus, quam ex illis emicuit, quarum agunt personas. Apparet igitur recte institutas comœdias tragœdiasque comparari utique posse

Ad imperium sui perficiendum comparandæ sunt Comediæ ac tragœdiæ.

ad id, ut ſpectatores viva imperii ſui ipſius exempla intueri poſſint, cum emolumentis inde oriundis, & ut nocumenta defectus ejusdem in caſibus, ubi facilis eſſe ſolet illius neglectus, itidem oculis ſuis cernant, & ea vitare ſtudioſius diſcant.

Non negaverim, comœdias atque tragœdias adhiberi quoque poſſe, & adhibitas olim eſſe ad providentiam divinam ejusque gubernationem humanarum rerum ob oculos ponendam, ubi ad ſolvendum nodum perplexum Deus ex machina prodire in ſcenam jubebatur. Quo pacto hæc in theatra in quasdam veluti ſcholas pietatis paganæ adhibebantur. Sed erant illa fovendæ ſuperſtitioni & idololatriæ propiora, quam veræ religioni, quæ ita ex machinis advocari poterant. Licet ergo hæc quanto fieri poteſt ſtudio emendarentur, ut veræ religioni propiora evaderent ſaltem naturali; ſatius tamen duco, iſtiusmodi numinis ex machina progreſſionis ſimulachra omitti, & quod divinum ibi ſe exſerit, verbis potius & argumentis, quam machina ludicra & homine, Deum effingente, exhiberi. Rectius iſta, quæ ad pietatem & religionem pertinent, ſuis reſervantur locis. Sed ad hominum actiones erga ſe & alios inſtruendas ad honeſtatem & decus, itaque ſimul ad imperium ſui inculcandum, comœdias ac tragœdias comparari & ſapienter adhiberi poſſe & debere præſertim in illis, quæ ſacræ concionis gravitati non reſpondent, controverſia caret. Quare ſi recte inſtituantur, huc eas eſſe comparandas, ne ſumtus in illas faciendi pendantur, non eget ulteriori explanatione aut comprobatione.

§. 124.

Quamdiu publice procuranda ſit præparatio ad emendandam voluntatem.

Quia homo ad voluntatis emendationem præparatur, imitatione bene agentium, dependentia ab autoritate proborum in agendo, cœca obedientia erga eosdem, conſuetudine cum bonis, & quovis actu alio, quo tantum efficitur, ne ipſi virtutis ſtudium evadat moleſtum (§. 224 *P. II. Ethic.*): ob neceſſitatem præparationis ad emendationem voluntatis (§. 247. & 249. *Oeconom.*), *quamdiu homines recto intellectus uſu nondum vera bona*

bona & mala discernere valent, dictis modis ad emendationem voluntatis & regimen sui ab aliis præparandi erunt. Quia recto intellectus usu nondum gaudent impuberes & minores, horum voluntas jubente, obligante & adjuvante magistratu, adjuvantibus cæteris civibus, quantum possunt, ad emendationem erit præparanda ab iis, quibus id officium seu naturaliter incumbit, seu in civitate est injunctum. At quando præter hos ætatis causa impares ad se ipsos regendos, tales quoque occurrunt, qui propter alios defectus se ipsos regere nesciunt, utpote furiosi, mente capti, imbecillitate judicii laborantes, prodigi, surdi, muti morboque gravi perpetuo affecti (§. 842. *P. VII. Jur. nat.*), his quoque a civitate curatores sunt constituendi, qui non raro per omnem vitam ipsorum præsint ipsorum actionibus regendis & bonis administrandis (§. 895. *seqq. ibid.*), quibus curatoribus ipse magistratus, ut curator honorarius, imperat (§ 899. *ibid.*). Patet ergo, *illorum, qui quacunque de causa se ipsos regere nesciunt, vel per omnem vitam, præparationem ad emendationem voluntatis supra dictam non absolvi posse, donec impotes manent.*

In civitate omnium, qui in illa degunt, ratio est habenda, ut eorum prosperitati consulatur, quantum fieri potest. Sed occurrunt inter multos homines non pauci, qui se ipsos regere nesciunt, alii propter ætatis immaturitatem, alii propter impotentiam vel potius impedimentum animi functionum in virili & ulteriori ætate. Hos igitur regere alii debent, donec se ipsos regere possint, vel quamdiu imperio sui impares manent. Quod ut fiat quam optime, naturalis lex obligat parentes, cognatos, affines, amicos, cives, civitas naturalem obligationem corroborare suisque præsidiis augere debet. Hinc publica autoritate firmanda est parentela, tutela & curatura, & adjuvanda quoque a reliquis, ne in officio suo turbetur, neu impediatur. Hæc ergo præsidia & adjumenta statui civili sunt in acceptis referenda.

§. 125.

§. 125.

Imperium sui requirit regimen affectuum.

Imperium sui involvit regimen affectuum suorum. Imperium sui ipsius enim continet exercitium virtutum erga se ipsum (§. 23.) & strictius virtutum erga animum & voluntatem suam (§. 124.). Ideoque infert habitum regendi suas actiones erga se secundum leges naturales, & ad suam aliorumque felicitatem (*ibid.*). Enim vero affectus malum appetunt ob speciem boni, & bonum aversantur ob speciem mali, confuse opinati (§. 896. *Psychol. empir.*) & idcirco actionibus ad leges divinas conformandis reluctantur. Regimen vero affectuum continet illas intellectus operationes, quibus cavetur, ne affectus falsa opinione concitentur, aut si ea concitati fuerint ea eximatur (§. 528. *P. II. Ethic.*). Quod cum fiat per curam regendi suas actiones cupiditatesque secundum leges divinas: manifestum est, imperium sui ipsius continere & requirere regimen affectuum suorum. Cum vero regimen affectuum complectatur directionem eorum ad verum bonum obtinendum, & depellendum verum malum, atque studium domandi affectus, ne eorum impetu abrepti ruamus in mala, & jacturam faciamus bonorum, quæ vel habemus, vel consequi valemus (§. 528. *ibid.*): *imperium sui præesse debet vero affectuum usui, & cavere solicite eorundem abusum.*

Licet regimen affectuum actus intellectus requirat, ad illos compescendum & virtuti submittendum necessarios, hoc tamen non obstat, quo minus & habitus regendi affectus detur, eodemque nomine insigniatur. Sic quoque imperium sui, pro habitu acceptum, complectetur simul regimen affectuum, itidem ad habitum evectum. Duplex secundum *Ciceronem offic. l. c. 29.* est vis animorum; una pari in appetitu posita est, quæ hominem huc & illuc rapit; altera in ratione, quæ docet & explanat, quid faciendum fugiendumque sit. Ita fit, ut ratio præsit, appetitus vero obtemperet. Efficiendum autem est, ut appetitus ratio-

rationi obediant, eamque neque præcurrant, nec propter pigritiam aut ignoviam deserant, sintque tranquilli. . . Ex quo elucebit omnis constantia, omnisque moderatio animi. Nam qui appetitus longius evagantur, & tanquam exsultantes sive cupiendo sive fugiendo, non satis a ratione retinentur, hi sine dubio finem & modum transeunt . . . Nec parent rationi, cui sunt subjecti lege naturæ . . . Appetitus ergo sunt contrahendi sedandique, excitanda autem animadversio & diligentia, ne quid temere negligenterque agamus.

§. 126.

Quatenus imperium sui notat actiones secundum leges divinas institutas instituendasque, eatenus est officium erga nosmet ipsos; quatenus vero habitum sibi imperandi designat, in virtutum numero est ponendum. Vtrumque cadit quoque in regimen affectuum Quatenus nimirum imperium sui continet actiones legi divinæ confirmandas, eatenus ad illas obligamur (§. 276. *seq. P. I. Phil. pract. univ.*); sed actiones ad quas juxta legem determinandas obligamur, vel actiones debitæ per leges, sunt officia (§. 324 *ibid.*). Est igitur imperium sui eatenus officium. Sed cum nobis debeamus has actiones, quibus regimus nos ipsos, & officia, quæ homo sibi ipsi debet, appellentur officia erga se ipsum (§. 226. *ibid.*): imperare sibimet ipsi est officium erga se ipsum.

Imperium sui & regimen affectuum modo officium notat modo virtutem.

Quatenus vero imperium sui innuit & infert simul habitum sibi imperium, & habitus actiones suas dirigendi secundum leges divinas virtus est (§. 321. *ibid.*), eatenus imperium sui virtutem esse, & quidem erga nos metipsos, in aprico est. Sic cum usus affectuum non tendat nisi ad verum bonum obtinendum, depellendumque verum malum (§. 517. *P. II. Ethic.*); abusus vero ad actiones malas committendas, & bonas omittendas vel impediendas (§. 520. *ibid.*); cum naturaliter obligemur ad faciendum affectuum usum, & vitandum eorum ab-

uſum (§. 523. *ſeq. ibid.*): apparet, ad regimen affectuum nos obligari, ideoque illud eſſe in officio noſtro. Quatenus vero regimen illud magis magisque perficitur, itaque jam altius adſpiravit & in habitum affectus regendi adolevit, cum is habitus ſit legi divinæ conformis (§. 530. *ibid.*): ſtatui aliter nequit, quam eatenus regimen affectuum, quod ſubeſt imperio ſui ipſius (§. 125.), eſſe virtutem erga nosmet ipſos.

Mirum videri non debet, his virtutibus nomen proprium non eſſe tributum: idem enim in multis aliis uſu venit, ut memoriæ conſulentes antiqui unum idemque nomen ad varias res adhibuerint, inter ſe ita connexas, ut facile cogitationes ex una in alteram flectantur. Neque omnia ſatis diſcreverunt, præſertim in virtutum genere, ideoque paucis nominibus multa dici poſſe, in laude poſuere. Obſervatur talis defectus ſi usquam in virtutibus erga ſe ipſum, quas forte cuique per ſe notas & caras exiſtimarunt ideoque parum attigerunt excuſſeruntve. Noſtrates vocant imperium ſui ſimili ambiguitate die Gebietung über ſich ſelbſt; & regimen affectuum die Zähmung ſeiner Lüſte und Begierde. Neque græci verborum copia abundantes hac in re feliciores fuere. ἑαυτοντιμωρουμενον Terentius commentus eſt, ſed ἑαυτουκρατορια non reperitur, neque ſimile aliud, cum uti αυτοδιδακτος dicitur, ita & autocrator & αυτοκρατορια ſimili ſenſu dici potuiſſet, vel αυτεξουσια. Quæ cuncta ut & αυτοκυριος alio ſenſu dicuntur.

§. 127.

Regimen affectuum ope aliorum perficiendum.

Quoniam imperium ſui involvit regimen affectuum (§. 125.), affectus autem & concitari poſſunt & domari vel ſedari ex parte per ſenſus & maginationem, aliosve affectus conſentaneos aut repugnantes (v. *Ethic. P. II. cap. 3.*): pateſcit imperium ſui coërcere affectus quadamtenus poſſe ſapienti uſu confuſæ cognitionis ſenſuum & imaginationis, itemque affectuum, ſecundum regulas *l. c.* traditas. Qua propter cum & alii aliorum

rum affectus excitare, & sedare atque reprimere rationibus possint, uti *ibidem* ostenditur: obscurum esse nequit, *magistratum pariter ac alios v. c. oratores, concionatores, aliosque cives non parum conferre posse ad affectus aliorum regendos, atque ad illud regimen obtinendum perficiendumque* (§. 121).

Referri huc multa possunt ex citato capite tertio Ethicæ, quatenus præcepta vel jam in se includunt aliorum opem & operam, vel transferri facile ad illam possunt, eo quod homines plerique sunt empirici & aliorum sequi solent persuasiones & exemplum. Cum improbis versantes sensim contrahunt ipsorum institutionibus, admonitionibus, precibus, adhortationibus, instigationibus, illecebris, persuasionibus, solicitationibus, blanditiis & comminationibus, opprobriis, conviitis cæterisque similibus modis ad ipsorum mores traducuntur. Quare etiam ad bonos mores aliorum jussu, vetito, hortatu, dehortatu, exhortatu, oratu, allicitu, solicitatu, instigatu, consuetudine, spe præmiorum & bonorum quorumque, honorum, dignitatum, metu pœnarum & malorumque quorumcunque multum conferri potest, saltem ad actiones externas corrigendas, unde postea ad internas itidem emendandas aditus patet. Huc enim exempla aliorum, præcepta, studium convincendi animos de bonis veris & apparentibus, ope criteriorum indubiorum discernendis, ne vana specie, qua affectus capiuntur, decipiantur.

§. 128.

Quia affectus in se spectati boni sunt, & demum per abusum mali evadunt (§. 527. *P. II. Ethic.*), & ad usum eorum naturaliter obligamur (§. 523. *ibid.*) æque ac ad abusum eorum vitandum (§. 524. *ibid.*); sed usus eorum requirit, ut vera bona & mala ab apparentibus accurate discernamus, eosque concitemus, quando circa verum bonum aut malum occupamur, tum vero sedemus, quando in bonum vel malum apparens feruntur (§. 518. *ibid.*); requirit etiam, ut in illis concitandis vel

Quomodo imperium sui sublimius evadat.

vel ſedandis geneſin eorum, & quomodo unus ab altero vel dependeat vel inhibeatur & extinguatur (§. 535. *ſeq. ibid*): *opus eſt, ut ad bonas actiones promtius fortiusque appetendas, malas itidem averſandas intellectu ſolide exculto cum noſtro tum aliorum, quorum poſſumus, duce utamur*, atque ſic ex regimine affectuum ingens ad culturam virtutum & vitiorum fugam adjumentum nanciſcamur (§. 525. *ſeq. ibid.*). Quare cum vera bona & mala non ſolum diſtincte ſed & confuſe ope ſenſuum & experientiæ cognoſci poſſint, & connubium rationis & experientiæ perutile ſit (§. 1232. *Logic.*), præſertim in moralibus, ubi domeſtica experientia & exempla aliorum multum faciunt ad cognitionem vivam promtiorem fortioremque præſtandam (§. 263-273. *P. II. Phil. pract. univ.*): *intellectus regimine affectuum præſtantiores æmulando, imperium ſui ad ſublimiorem gradum perducere, & conſenſum ſenſitivi ac rationalis appetitus conſtantem comparare debet.*

Regimen affectuum obtinere nequit, niſi ubi diriguntur in vera bona appetenda, & vera mala deteſtanda (§. 531. *P. II. Ethic.*). Jam vera bona ſunt diſtincte cognoſcenda, æque ac vera mala, & ea cognitio ope demonſtrationum omni dubio major efficienda. Hæc ſi ſit principium determinandi liberas actiones, accedere dein ad illam poſſunt, & debent quoque cætera argumenta, quæ experientia & imaginatio noſtra & aliorum ſubminiſtrat, quæ eo fortius animum ſtringunt, & eo majori ardore accendunt. Quia hæc cognitio experientiæ confuſa eſt, illa affectum parit, quod & quadamtenus in diſtinctam referri poteſt, quatenus illa memoriæ & imaginationi non amplius ſatis diſtincte obverſatur. Priorum enim demonſtrationum recordatio præſertim in celeritate cogitationum parum diſtinctionis habere ſolet.

§. 129.

Imperium ſui includit do- *Imperium ſui requirit dominium in facultates animi inferiores, h. e. ſenſus, imaginationem & appetitiones averſationesque ſenſitivas.*

Nem-

Nempe imperium ſui requirit regimen affectuum ſuorum (§. *minium in*
125.). Sed affectus oriuntur ex ſuggeſtionibus ſenſuum & *facultates*
imaginationis, nec ſunt niſi vehementiores appetitionum aver- *inferiores.*
ſationumque ſenſitivarum impetus (§. 603. & 605. *Pſychol. empir.*). Quare cum hos regere non ſit, niſi ope intellectus cavere, ne falſa boni malique opinione aberrent a legibus divinis (§. 528. *P. II. Ethic.*): manifeſtum eſt, imperium ſui impedire & cavere debere, ne ſenſuum & phantaſiæ ludibriis h. e. falſis notionibus opinionibusque obortus appetendi & averſandi impetus a legibus divinis recedat, & rationis dictamini adverſetur. Sed dominium in ſenſus, imaginationem & impetus ſenſitivos affectusque, non eſt niſi jus pro arbitrio ſtatuendi de his facultatibus, earumque uſu & fructu (§. 959. *P. I. Theol. nat.*), ideoque infert vim reſiſtendi ſenſui, imaginationi, & affectibus, ne prævaleant adverſus rationem (§. 554. *P. II. Phil. pract. univ.*). Includit ergo imperium ſui dominium in ſenſus, imaginationem appetionesque & averſationes ex illis oriundas, ſeu generatim in facultates animi inferiores.

Idem & inde pateſcit, quia intellectus regendo affectus conſenſum appetitus ſenſitivi & rationalis conſtantem efficere debet (§. 128), ſeu appetitum ſenſitivum perficere ac perducere debet ad conſenſum cum rationali ſeu voluntate (§. 529. & 532. *ſeq. P. II. Ethic.*). Sed is conſenſus haberi nequit, niſi reſiſtatur pravitati errorique inferiorum animi facultatum, in confuſione ſua facile aberrantium, hoc eſt, niſi dominium in facultates inferiores adquiratur & exerceatur indefeſſe. Includit ergo imperium ſui, liberas actiones & virtutes erga ſe legibus divinis conformans (§ 104.) dominium ſui modo dictum.

Facultates inferiores animi humani ſunt ipſi cum animantibus rationis expertibus communes, & per ſe diſtinctam cognitionem præſtare nequeunt, quæ humanæ menti, vel animi facultatibus

ſuperioribus debetur. Inde quia imperium eſt jus determinandi liberas alterius actiones pro lubitu (§. 194. *P. VII. Jur. nat.*), ubi nullæ ſunt liberæ actiones, ibi etiam nullum dari poteſt imperium. Sed in beſtiis nullæ dantur actiones liberæ (§. 763. *Pſychol. rat.*): ideo beſtiis non imperamus, ſed dominamur. Pariter inferiores animi noſtri facultates non ſunt liberæ in agendo, ſed ad ſummum ſponte agunt, in illas dominium menti non abs re tribuitur. Quare cum imperium ſui mentis ſit peculium in virtutibus erga ſe conſpicuum, illud utique includit & dominium in facultates animæ noſtræ inferiores, ſeu dominium ſui die Herrſchaft über ſich ſelbſt & regimen affectuum, quia regere anima & corpus ſuum dicitur, quod ut corpus ne quidem ſponte agit quidquam.

§. 130.

Sibi imperans eſt dominus ſui ipſius.

Quia dominus ſui ipſius eſt, qui ſenſibus, imaginationi & affectibus reſiſtere valet, ne prævaleant adverſus rationem, eorumque uſum rationi convenienter determinat (§. 555. *P. II. Phil. pract. univ.*): dominus ſui ipſius ſolicite cavet ne in determinandis actionibus ſuis a lege naturali recedat (§ 556. *ibid.*). Jam imperium ſui includit dominium in facultates animi inferiores (§. 129). Proinde *quisquis ſibi imperare didicit, is ſimul eſt dominus ſui ipſius, & ſolicite cavet, ne in liberis actionibus ſuis vel per facultates animi inferiores, vel per alios, in civitate ſecum degentes, a legibus divinis abducatur & recedat, eaque in re cum aliis de principatu contendit* (§. 128.).

§. 131.

Imperans ſibi vere liber eſt in civitate.

Dum uſus libertatis continetur in determinatione voluntatis ad actiones legi naturæ conformes, abuſus vero illi contrarias ſequitur (§. 557. *P. II. Phil. pract. univ.*) & vere liber eſt, quisquis libertate ſua recte utitur, ab abuſu vero illius abhorret (§. 558. *ibid.*): patet, *ſibi imperantem ſua libertate uti, non vero abuti, ideoque a licentia vivendi abhorrere* (§. 560. *ibid.*) *vere liberum*

eſſe

esse, sive aliis imperet, sive subjectus sit, uti & dominus sui ipsius vere liber est, servus autem inferiorum animi facultatum, & mancipium affectuum suorum, alienorumve, liber esse nequit (§. 559. *ibid.*).

§. 132.

Sibi imperans vincit se, sua dubia & aliorum corruptionem.

Qui imperare sibi didicit, is vincit in dissensu facultatum inferiorum suggestiones, vincit quoque dubia non sine veri bonique specie virtuti adversantia, vincit & alios virtutum osores cum earum amicis se consociando. In dissensu enim facultatum inferiorum & superiorum pugnant inferiores contra superiores, & hæ adversus illas. In pugna autem qui prævalet adversus alterum, is eum vincit (§. 562. *P. II. Phil. pract. univ.*). Sed imperium sui includit simul dominium in facultates animi inferiores (§. 129.). Ergo quisquis sibi imperare didicit, is simul dominatur facultatibus suis inferioribus, ideoque non potest non in dissensu earum illarum suggestiones instinctusque rationi adversos vincere. Quia suas vincens inferiores facultates ope superiorum vincere se ipsum dicitur, vinci autem perhibetur, cujus facultates inferiores vincunt superiores (§ 562. *P. II. Phil. pract. univ.*): patet sibi imperantem vincere se ipsum, neque pati se vinci, æque ac dominus sui ipsius se ipsum vincit, & contra (§ 563. *ibid.*), eoque ipso comprobat dominium in sensus, imaginationem & affectus (§ 564. *ibid.*), & impediri nequit, quo minus data agendi occasione propositi sui memor, legis naturæ simul recordetur, ad quam exigenda actio, eandemque ad actionem rite applicet (§. 566. *ibid.*).

Sed uti inferiores animi facultates confusis perceptionibus reluctantur distinctis cogitatis: ita quoque inter distinctas cogitationes dantur, aliquid confusi admixtum habentes, quæ difficultates facessunt, & dubia movent, speciem veri ac boni mentientia ac omnino e medio tollenda, ne animus vel errando vel

vel dubitando ab officio suo & lege divina recedat (§. 446. *seqq. P. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem qui imperare sibi didicit, solidiori veritatis excussione indiget, ad tollenda dubia speciosa (§. 459. *seq. ibid.*), ut convictio de veritate prævaleat. Vincit ergo quoque in dissensu difficultates absterrentes, & dubia, non sine specie bona virtuti repugnantia, quæ undecunque incidunt in mentem.

Quoniam in magna hominum multitudine haud pauci dantur, qui vitiis dediti & virtutum sunt osores, quorum ea solet esse indoles, ut omnes alios vellent esse sui simillimos, ideoque secum non facientes variis illecebris, fraudibus quoque & injuriis corrumpere nituntur aut infestare: adversus hos quidem pugnandum strenue sibi imperaturo, ne ab illis vincatur, sed ut potius eos constanter vincat. Qua in re & exemplo victorum illiusmodi adversariorum, & auxilio proborum & superiorum, quibus præsidia virtutum & impedimenta atque flagella vitiorum publica & injuriarum supplicia sunt demandata, utendum & in hos quoque usus, ut par est, colligatio civilis vertenda erit (§. 186. *P. I. Polit.*).

Vbi pugnandum est, ibi victoria solet esse id, cujus gratia certatur. Quotquot sano gaudent sincipite, rationis agnoscunt præcellentiam præ facultate sensitiva; solidæ veritatis præstantiam præ vagis opinionibus & dubitationum fluctibus; & virtutis amicorum præ vitiorum mancipiis tubisque. Studendum ergo cuique, studendum & civitati esset, uti in vanis hominum placitis fieri assolet, ut victoria rationis in cœcos & perversos animales impetus, soliditatis in perplexum dubiorum chaos, & virtutum ardor in summo pretio apud omnes haberetur, contrariisque studiis longissime anteponeretur, nec quidquam turpius duceretur, quam ab iisdem vinci & in servitutem abduci.

§. 133.

§. 133.

Modus imperium sui consequendi non differt a modo adipiscendi dominium sui ipsius & seipsum vincendi. Adepturus enim dominium sui ipsius, indiget in se excitando stabiliendoque ardore legem naturæ servandi, eamque non transgrediendi; non vulgari mentis acie perspiciendi in dato quolibet casu actionis cujuscunque nexum cum fine supremo; distincta actionis, cujus patrandæ occasio offertur, notione; promte adhibenda, & conservanda mentis attentione inter vehementiores quoque sensuum agitationes, quamdiu opus est; habitu actionem patrandam ad rigorosum examen revocandi, nec decernendi eam, antequam ejus cum lege naturali convenientia habeatur explorata (§. 568. *P. II. Phil. pract. univ.*). Sibi vero imperaturus, in oborto dissensu vincit se ipsum, vincit dubia sibi subnata, vincit & alios virtutum osores cum earum amicis se consociando (§. 132). Dum imperium sui est habitus conformandi actiones erga se ipsum, in primis erga voluntatem, legibus divinis (§. 103. *seq.*); dum requirit notitiam sui exactiorem (§. 105.), & convictionem de modo felicitatem non nisi virtutibus obtinendi (§. 106.); dum involvit regimen affectuum (§. 125.) & dominium sui ipsius (§. 129. *seq.*): apparet luculenter, modum consequendi imperii sui ipsius convenire cum modo adipiscendi dominium in facultates animi inferiores, & vincendi se ipsum, suaque dubia & aliorum sufflamina & irritamenta & generatim obstacula actionum rectarum.

Modus imperium sui obtinendi qualis sit?

§. 134.

Quemadmodum dominium sui ipsius gradibus a se invicem differt, nec perfectum est, nisi fuerit plenum & universale (§. 571. *P. II. Phil. pract. univ.*): ita quoque imperium sui ipsius præstantiores in eo æmulando ad sublimiorem gradum evehitur (§. 128.), & universale est, quando ad quodvis actio-

Imperium sui quodnam perfectum & imperfectum.

num liberarum, internarum & externarum, genus porrigitur (§. 569. *P. II. Phil pract. univ.*); plenum eſt, quando in qualibet actione convenientiam cum lege omni ex parte, aut quanta in hominem cadit, procurat (§. 570. *ibid.*). Quare & *imperium ſui perfectum* non erit, niſi qua materiam omnes regat liberas actiones, & qua formam omnem cuique conciliet gradum convenientiæ cum lege divina, qui vires humanas non excedit. Ex adverſo *imperfectum erit imperium ſui*, quando vel ratione materiæ quibusdam tantum actionum liberarum generibus, vel ratione formæ tantum nonnullo convenientiæ actionis cum lege divina gradui ſtudet; ideoque imperfectum vel minus plenum erit, vel particulare tantum, vel utrumque. In ſingulis hiſce perfectionis & defectuum illius generibus varietates graduum dabuntur copioſæ. Idem quoque diverſitate graduum regiminis affectuum, & in iisdem hominibus diverſo tempore, & eodem tempore in diverſis perſonis illuſtrari poteſt, ſi illud & in ſe, uti in *Ethicæ P. II.* & in civitate, ſecundum ea, quæ ibi naſci ipſi poſſunt, adjumenta & impedimenta, conſideretur.

§. 135.

Criteria perfecti imperii ſui ipſius.

Ubi perfectum habetur imperium ſui, ibi & perfectum eſt dominium ſui ipſius, & regimen affectuum perfectum; ibi non amplius reluctatur inferior ſuperiori ſed eidem ex aſſe paret; ibi conſenſus datur perfectus inter facultates appetitionesque & averſationes inferiores & ſuperiores (ſeu animales & humanas). Etenim id imperium ſui eſt univerſale & plenum (§. 134.) ideoque ad quodvis actionum genus extenditur, & in qualibet actione, omnem, quæ haberi poteſt, cum lege convenientiam infert (*ibid.*). Sed imperium ſui includit dominium ſui ipſius (§ 129): id circo perfectum imperium ſui includat oportet perfectum ſui ipſius dominium. Sic quia imperium ſui involvit ſimul regimen affectuum ſuorum (§ 125.), perfecto ſui imperio ſubeſſe quoque & ineſſe debet affectuum regimen perfectum.

Vbi ratio imperium sui exercet, ibi vincit facultatum inferiorum sensu, visa & conamina, immo dubia quæque intellectus, etiamsi non sine veri & boni specie virtuti vel legibus divinis adversentur ((§. 132.). Oportet ergo, utilla actionum rectarum obstacula cedant, facultatesque inferiores superioribus serviant pareantque, dum modus imperium sui consequendi non differt a modo nanciscendi dominium sui ipsius, & se ipsum vincendi (§. 133) Quare perfecto sui ipsius imperio protinus ex asse obsequatur oportet, quidquid obstaculum rectarum actionum dici meretur, ideoque inferiores mentis facultates non amplius rationi reluctentur sed sponte cedant pareantque ex asse, itaque perfecta adsit victoria sui ipsius.

Si non amplius refragantur appetitus sensitivi rationali, si sponte rationi & voluntati rectæ cedunt, perinde se res habebit, ac si tum nulla adesset aut adfuisset lucta dissensioque. *Si nulla* restat dissensio, consensus adsit necesse est inter omnes mentis facultates. Qui consensus cum perfectionis sit argumentum (§. 503. *Ontol.*): manifestum est, perfectum imperium sui continere quoque perfectum consensum inter facultates actionesque mentis quascunque.

Quando hostis est victus, & perfecta ab ipso reportata est victoria, tum resistere amplius nec poterit, nec audebit, sed victori se ita submittit, ut omnibus ejus imperatis obsequatur. Pari ratione animus quoque inferioribus facultatibus dissentiens a superioribus non nisi recta & vera probantibus, illis penitus victis utetur ut sponte parentibus servis, ad nutum rationis intentis promtisque. Vnde nec audebunt amplius reluctari, sed ad imperata facienda adsuefient, habitum obtemperandi induentes. Opus est his criteriis, quando dijudicandum est, quis perfecto sui imperio gaudeat, & quis eidem propior sit, vel ab illo remotius absit.

§. 136.

Criteria imperfecti in se ipsum imperii.

Vbi perfectum imperium sui non est, ibi illud erit duntaxat imperfectum; quare & dominium sui & regimen affectuum non erit nisi imperfectum; ibi inferiores facultates reluctabuntur superioribus & prævalebunt haud raro, aut impedient alterius actiones; saltem *frequens aderit dissensus & pugna appetitionum & aversationum animalium rationaliumque.* Patent hæc luculenter ex eo, quia fieri nequit, ut idem simul sit & non sit (§. 28. *Ontol.*), & quia contrariorum contraria est natura, dum simul inesse nequeunt (§. 272. *ibid.*). Inde quoque criteria perfecti imperii in se ipsum (§. 135). nequeunt esse notæ imperfecti tantum imperii, sed hæc illis debent e diametro adversari.

§. 137.

Quid sit animi tranquillitas?

Tranquillitas animi plerumque vocatur vacuitas a molestis curis cogitationibusque, seu ab internis veris tædiis eorumque metu: uti tranquillitas civitatis est vacuitas a metu injuriarum (§ 11. *P. VIII. Jur. nat.*). Tædia interna dicuntur, quæ animus creat sibimet ipsi. Si tædia illa tantum apparentia sunt, hæc obstare animo non poterunt, quo minus sua gaudeat tranquillitate. Vti voluptas vera non oritur nisi ex vera perfectione & constans est (§ 514. *seq. Psychol. emp.*): ita quoque tædium verum non oritur nisi ex vero defectu, estque itidem constans (§ 520 *ibid.*). Posset ideo quoque animi tranquillitas dici immunitas a tædiis constantibus. Præter quam immunitatem ab angentibus molestiis ægritudinibusque infert etiam tranquillitas animi statum voluptatis constantis seu possessionem fruitionemque veræ voluptatis. Solet ea quoque appellari quies animi (die Gemüths-Ruhe), item animus quietus vel tranquillus.

Dudum

Dudum *Cicero L. I. de Offic. c. 20.* vacandum, inquit, est omni animi perturbatione . . . ut tranquillitas & securitas adsit, quæ affert cum constantiam tum dignitatem. *cæt.* *Capite sequenti:* capessentibus remp. nihilominus, quam philosophis, haud scio an magis etiam, magnificentia & despicientia adhibenda est rerum humanarum, quam sæpe dico, & tranquillitas animi atque securitas, si quidem nec anxii futuri sunt & cum gravitate constantiaque victuri . . . Quo magis remp. gerentibus & magnitudo animi est adhibenda & vacuitas ab angoribus. Sic & *Tusc. Quæst. L. III. c. 5.* ex Pythagoræ & Platonis descriptione animo duas tribuit partes, alteram rationis participem, alteram expertem, & in rationis participe ponit tranquillitatem, id est placidam quietamque constantiam, in altera motus turbidos tum iræ, tum cupiditatis, contrarios inimicosque rationis. Addam tantum pauca ex libro *Senecæ de tranquillitate animi*, e quo plura haurire cuique licet. Is *capite 1.* ametur, inquit, expers publicæ privatæque curæ tranquillitas. *Cap. 2.* pergit, quod desideras magnum summumque est deoque vicinum non concuti. Hanc stabilem animi sedem Græci εὐθυμίαν vocant, de qua *Democriti* volumen egregium est. Ego tranquillitatem voco. Ergo quærimus, quomodo animus semper æqualis secundoque cursu eat, propitiusque sibi sit, & sua letus adspiciat, & hoc gaudium non interrumpat sed placido statu maneat, nec attollens se unquam, nec deprimens. Id tranquillitas erit. His subjungo, non male comparari statum mentis quietum cum serenitate cœli & sedito pacatoque maris vel reip. statu. Conf. *Sarrasæ ars semper gaudendi*, item **Hoffmann** aliique **von der Zufriedenheit.**

§. 138.

Ab imperio sui proficisci ur tranquillitas animi. Imperium sui enim notat habitum dirigendi actiones erga se ipsum secundum leges divinas (§. 103.), & strictius complectitur virtutes morales erga animum suum (§. 576.), idque simul involvit regimen cupiditatum suarum (§. 125.), & dominium sui ipsius (§. 129.). ***Imperium sui parit tranquillitatem animi.***

(§. 129.). Enimvero ſic ſibi imperans liber eſt a metu veri tædii & verſatur in ſtatu fruitioneque voluptatis veræ, ideoque gaudet animi tranquillitate (§. 137.). Itaque ab imperio ſui dependere & oriri animi tranquillitatem planum eſt.

Sic ſentit *Seneca de Tranquill. an. c. 2.* denegans illam his, qui ſibi imperare non didicerunt: Tum illos & pœnitentia cœpti tenet, & incipiendi timor, ſubrepitque illa jactatio animi, non invenientis exitum, quia nec cupiditatibus ſuis imperare, nec obſequi poſſunt; & cunctatio vitæ, parum ſe explicantis, & inter deſtituta vota torpentis animi ſitus. Quæ omnia graviora evadunt, ubi odio infelicitatis operoſæ ad otia profugerunt . . . quæ pati non poteſt animus . . . natura inquietus, parum ſcilicet in ſe ſolatiorum habens, ideoque detractis oblectationibus, quas ipſæ occupationes diſcurrentibus præbent, domum, ſolitudinem, parietes non fert, invitus adſpicit ſe ſibi relictus. Hinc illud tædium & diſplicentia ſui, & nusquam reſidentis animi volutatio, & otii ſui triſtis atque ægra patientia. Vtique ubi cauſas fateri pudet, tormenta introrſus egit verecundia; in anguſto concluſæ cupiditates ſine exitu, ſe ipſæ ſtrangulant. Inde mœror marcorque & mille fluctus mentis incertæ, quam in chorda habent ſuſpenſam, deplorata triſtem. Inde ille affectus otium ſuum deteſtantium, querentiumque, nihil ipſos habere quod agant, & alienis incrementis inimiciſſima invidia. Alit enim livorem infelix inertia, & omnes deſtrui cupiunt, quia ſe non potuerunt provehere. Ex hac deinde averſatione alienorum proceſſuum & ſuorum deſperatione obiraſcens fortunæ animus & de ſæculo querens, & in angulos ſe retrahens, & pœnæ incubans ſuæ, dum tædet ſui pigetque.„ En tibi plura tranquillitatis animi adquiſitæ aut deficientis, itaque ſimul & imperii in ſe ipſum comparati aut neglecti ſpretique documenta!

§. 139.

Quid ſit ſecuritas animi? *Securitas animi* dici poteſt vacuitas a metu tædiorum externorum, noſtratibus die Gemüths-Sicherheit, uti ſecuritas civi-

civitatis (die Staats-Sicherheit) appellatur vacuitas vis præsertim externæ (§. 12. *P. VIII. Jur. nat.*). Vti tædia interna sunt, quæ animus sibimet ipsi creat (§. 136.); ita externa hic vocantur tædia, quæ alii aliis creare nituntur, vel quæ alii nobis creare conantur. Infert hæc securitas simul perfruitionem tutam contrarii tædiorum externorum, videlicet voluptatis constantis in ipsis quoque moliminibus aliorum nobis tædia multa creandi, item in ipsis adversitatibus externis, si vel ab hostibus in bello creentur.

Absit, ut hic quisquam cogitet vitiosam animi securitatem, qua sunt qui sibi in sceleribus placent, nec ullam verentur commutationem rerum, antequam eam experiuntur, nimis sero & inepte nunc se expedituri, instar avis jam illaqueatæ. In verbis *Ciceronis* ad §. 609. allatis, conjunctam vidimus bis cum tranquillitate animi securitatem, quæ quid differat a tranquillitate, nunc intelligi potest; etiamsi Cicero fortassis eo non respexit, sed fere immunitatem a curis inanibus & male sedulis innuere voluit. Habent sane tædia interna & externa suum discrimen, ad quod notandum vocabula diversa non invito eorum usu adhiberi possunt. Quia vacuitas a curis molestis tum in tranquillitate (§. 137.), tum in securitatis etymo: usurpari securitas de utroque casu passim consuevit, & distingui in securitatem internam (quam tranquillitatem dicimus) & externam. Ne vero securitas animi in dubium vocetur, age illam stabiliamus!

§. 140.

Quidquid molestiæ alii nobis creare conentur, dari tamen citra indolentiam stoicam, & opponi illis moliminibus potest animi securitas genuina. Si enim alii multum molestiæ & ægritudinis nobis creare nituntur, illud facient, ut vitam nobis acerbam reddant, tædiisque excitatis nos crucient. Sed irritus fiet ipsorum conatus, si non attendamus ad illa facta, vel non consideremus *Datur animi securitas.*

illa

illa ut nocitura ullatenus nobis, ſed illis; nobis autem profutura, ſi illis recte utamur. Certum enim eſt, providentiam divinam tantum boni cuique conferre, & tantum mali a quolibet arcere, quantum ſalva Dei ſapientia fieri poteſt (§. 933. *ſeq.* P. I. *Theol. nat.*), neque ipſi repugnare, ut abutentem ſua libertate in mala naturalia & moralia ruere ſinat (§. 935. *ibid.*), ſed id potius juſtitiæ divinæ convenire (§. 1075. *ibid.*); item Deum non niſi ſapientiſſime permittere abuſum libertatis (§. 714. *ibid.*), & mala permiſſa in bonum finem dirigere (§. 680. *ibid.*), nempe in arcendam infelicitatem & procurandam felicitatem (§. 706. *ſeq. ſeq.*). Proinde citra indolentiam ſtoicam fieri poteſt, ut homo reſiſtat tædiis ab aliis ſibi creatis & creandis ita quidem, ut quæ permittere Deo viſum eſt, ſpectet tanquam inſtrumenta ſuæ felicitatis, quibus recte & ſic utendum ſit, ut voluptatem veram inde capiat, tædium vero nullum; hoc eſt, ut ſecuritate animi ſalva fruatur (§. 139.).

Aliter *Cicero* indolentiam refert non tam ad Epicurum quam Hieronymum Rhodium, qui *nihil dolere* finem bonorum ſtatuit *de Fin. Bonor. II. 3. ſeq.* Cum illa notet vacuitatem doloris, alii illa utuntur ad ἀπάθειαν Stoicorum denotandam, quæ vacuitatem omnium affectuum dicit, vel præcipit, vacandum eſſe omni animi perturbatione, quam a ratione alienam ſtatuerant, & eatenus non errabant. Quatenus vero affectus omnes rationi adverſos ſtatuebant, eosque exuendos penitus, & ſapientem omnibus vacuum affectibus effingebant, non amplius audiendi ſunt. Neque tali immunitate ab affectibus opus eſt, potius indigemus affectibus ad officium eo perfectius peragendum. Moleſtiam eodem modo accipere licet, quo dudum ſtoici illam dixere ægritudinem permanentem *Tuſc. Qu. IV. c. 8.*

§. 141.

Facitque animum lædi & ctum. *Iſta ſecuritas animi præſtat animum extrinſecus illæſum & invictum.* Denotat enim genuina animi ſecuritas immunitatem a metu

metu tædiorum externorum, & fruitionem tutam constantis voluptatis in ipsis adversitatibus externis (§. 139). Si vero animus liber est a metu tædii externi, nil habet quod vereatur & metuat sibi a moliminibus aliorum quibuscunque ipsi tædia creandi (*ibid.*) Si nil metuendum habet a conaminibus aliorum ipsi molestias creandi, nec læsiones aliorum metuendas habet, quibus ejus statum reddere cupiunt deteriorem ut tædia inde percipiat (§. 669. *P. I. Jur. na.*). Si nullam læsionem metuendam habet, manebit illæsus, si illæsus, quoque invictus & nescius vinci. Exemplum Marii, videatur apud *Salustium Belli Iugurt. c. 35.* *vinci nescium.*

Non abludit ab his, quod *Cicero Lib. V. Tusc. Quæst. c. 14.* disputat: nisi stabili & fixo & permanente bono beatus esse nemo potest. Quid ergo ejusmodi est? . . . an dubium est, quin nihil sit habendum in eo genere, quod vita beata complectitur, si id possit amitti? Nihil enim interarescere, nihil extingui, nihil cadere debet eorum, in quibus vita beata consistit. Nam qui timebit, ne quid ex his deperdat, beatus esse non poterit. Volumus enim eum, qui beatus sit, tutum esse, inexpugnabilem, septum, atque munitum, non ut parvo metu præditus sit, sed ut nullo. Vt enim innocens is dicitur, non qui leviter nocet, sed qui nihil nocet: sic sine metu is habendus est, non qui parva metuit, sed qui omnino metu vacat. . . . Atque hæc omnino non ita haberent, nisi omne bonum in una honestate consisteret. Qui autem illam maxime optatam & expeditam securitatem (securitatem autem nunc appello vacuitatem ægritudinis, in qua vita beata posita est) habere quisquam potest, cui aut adsit aut adesse possit multitudo malorum? Qui autem poterit esse celsus & erectus, & ea, quæ homini accidere possunt, omnia parva ducens, qualem sapientem esse volumus, nisi omnia sibi in se posita esse censebit? Postea *cap. 16.* addit: sapientem ab omni concitatione animi semper vacare, semper in animo ejus placidissimam esse pacem. Et *cap. 18.*: Xenocratem in virtute non

modo beatam ſed beatiſſimam vitam ponere. Quod niſi ſit, virtutum interitus conſequetur. Nam in quem cadit ægritudo, in eundem metum cadere neceſſe eſt: eſt enim metus futuræ ægritudinis ſolicita exſpectatio. In quem autem metus, in eundem formido, timiditas, pavor, ignavia. Ergo ut idem vincatur interdum, nec putet ad ſe præceptum illud Atrei pertinere: *proinde ita parent ſe in vita, ut vinci neſciant.* Hic autem vincetur, ut dixi, nec modo vincetur, ſed etiam ſerviet. At nos virtutem ſemper liberam volumus, ſemper invictam. Quæ niſi ſunt ſublata virtus eſt.,, Sunt in his quædam, quæ ſtoicam ſapiunt diſciplinam, uti illud, ſapienti omnia eſſe in ſe poſita, & alia, quæ quandam excuſationem admittunt, ſi ſaniori ſenſu accipiantur. Animus humanus uti nec cogi poteſt (§. 927. *Pſychol. emp.*), nec occidi: ita quoque lædi nequit, niſi ſua ſponte recipere id velit, quo lædatur. Equidem largior, lædere alterum, qui impedit, quo minus is perfici, & adquirere poſſit habitus facultatibus animæ utendi (§. 673. *ſeqq. P. I. Jur. nat.*). Sed partim hoc impedimentum non noceret, niſi alter conſentiret in ea, quibus impeditur; partim conſiſtit tantum in rebus externis, v. g. in denegatis ſcholis, ædibus ſacris, ademtis libris &c. quæ tamen non nocerent animo, niſi ipſius accederet culpa ignorantiæ, negligentiæque. Vocatur læſio ex ſcopo alterius, qui lædere conatur, & quantum in ſe eſt, facit quidquid poteſt, ad alterum lædendum. Quemadmodum aggreſſor alterius, vel latro, lædit alterum, quem in via vulnerare aut occidere nititur; ſed ſi is, quem aggreditur, ſe fortiter defendit, & tandem interficit latronem, antequam ab eodem ullatenus vulneretur, lædi is ab eo non potuit, ſed conatus lædendi irritus eſt factus & eluſus: ita corruptor & impediens alterum, nihil agit, ſi alter ipſi ita reſiſtat, ne ejus animum a recto tramite abducere poſſit; ſed ſi ſponte ipſi morem gerat, ſuo deeſt officio, ſuæque culpæ pœnas luet. Qui reſiſtere non potuit, ultra vires non obligatur.

§. 142.

§. 142.

Imperio sui debetur quoque securitas animi genuina. Etenim imperio sui præditus gaudet habitu actiones erga se ipsum conformandi legibus divinis (§. 103.), gaudet dominio inferiorum animi facultatum (§. 129.) & regimine affectuum (§. 125.) ac didicit vincere se ipsum aliosque (§. 132.). His ergo subsidiis utens, vacare potest metu tædiorum externorum, & tuto frui voluptate constanti vel in moliminibus aliorum ipsi tædia creandi (§. 130.), eoque ipso gaudebit germana animi securitate (§. 139.). *Imperium sui parit animi securitatem.*

Qui animo suo imperare didicit, is quoque in defensione sui corporis, vel in prælio adversus hostes committendo, præsentia animi recte uti & vincere hostem multo rectius poterit, quam qui suis impeditur animi perturbationibus, ut nesciat, quid sibi sit agendum itaque perverse agat. Quidni igitur & animus suæ defensioni erga alios, qui ipsum lædere cupiunt, par esset, quando sibi imperandi habitu pollet? Quidni rectius certiusque se defendat, quam corpus suum, quod ita in sua potestate non habet ac animum? Quidni plane securus esset a læsione & nescius vulnerari ab iis, quibus animum alterius ne cernere quidem, multo minus lædere datum est? Omnia ergo, quæ animo insunt, multo sunt tectiora, multo minus obnoxia aliorum læsioni, quam corpora hominum in armis exercitatissima, quam exercitus amplissimi fortissimique in bello, ubi vel omnes civitatis vires adversus hostem uniuntur, securitatis civilis gratia. Ecquid mereretur, qui tranquillitatem securitatemque civilem æque ac hanc mentalem potestati imperantium ita subjiceret, ut modo illi vellent, semper illæsi invictique & inexpugnabiles esse possent?

§. 143.

Quia imperium sui involvit regimen affectuum suorum (§. 125.), dominium in facultates inferiores (§. 129.), victori- *Quid posito vel sublato imperio sui*

simul ponatur & tollatur.

am sui ipsius (§. 132.), tranquillitatem securitatemque animi (§. 138 & 142.): manifestum est, *ubi deficit imperium sui, ibi deficere ista omnia; & posito imperio sui, ista omnia simul poni.*

§. 144.

Vbi perfecta animi tranquillitas & securitas detur.

Si dari posset perfectum imperium sui, daretur quoque perfecta animi tranquillitas securitasque. Posito enim imperio sui, ponitur simul animi tranquillitas securitasque, eoque sublato, & animi tranquillitas ac securitas una tollitur (§. 615.). Quare posito imperio sui perfecto, simul ponenda erit perfecta animi tranquillitas securitasque. Modo erga dari posset illud, darentur & hæ res omnibus expetendæ.

In Deo perfectam dari tranquillitatem fruitionemque summæ voluptatis, item perfectam securitatem ab omni non metu tantum sed possibilitate ullius tædii externi, aut læsionis, extra controversiam positum est. Sed eundem quoque omnes actiones suas liberrime conformare summis suis perfectionibus, ut non sint nisi rectissimæ, evictum est (§. 1059. *P. I. Theol. nat.*) nec nisi sanctissimæ (§. 1065. *seq. ibid.*) & justissimæ (§. 1070. *seqq. ibid.*). Quia sapiens sibi imperare, suasque actiones omnes quam rectissime edere debet, olim & rationi & revelationi debemus id scitum, solum Deum esse absolute sapientem, perfectissimum, beatissimumque.

§. 145.

Cur imperium sui hic maneat imperfectum.

Eadem vero ratio, quæ in perfecto dominio sensitivarum facultatum cum rationali consensum constantem & perpetuum requirit (§. 572. *P. II. Phil. pract. univ.*), & pugnam seu luctam illius contra hanc tollit (§. 573. *ibid.*) atque dissensum intra utramque (§. 577. *ibid.*): similem in perfecto sui ipsius imperio consensum facultatum actionumque animi, & luctæ contra se invicem atque dissensus absentiam, in distinctis quoque cogitationibus requirit (§. 132.). Item quemadmodum dominium

nium sui non nisi jugi & diuturno exercitio adquiri & conservari potest (§. 584. *seq. ibid.*): ita æque *difficile est ad sublimiorem gradum imperii sui ipsius adspirare*, ac ad culmen regiminis affectuum (§. 597. *P. II. Ethic.*), *nec nisi imperfectum in ea dari potest hominum conditione, qua jam tenentur & laborant*, licet omnibus utantur subsidiis, quæ vel civitas optima & maxima suppeditare valet (§. 136.). Idem quoque habendum de perfecta animi tranquillitate & securitate (§. 137. 139.).

Quia difficilia sunt pulchra quæque, & in illis est laudandus conatus adspirandi quousque fieri potest: omnis movendus est lapis, ut a primis inde unguiculis initium fiat, & per omnem educationem continuetur cura educatorum, adsuefaciendi liberos atque pupillos ad actus imperio sui conformes. Ita enim sui juris facti, & rationes imperii sui comprehendentes faciliores in eo exercendo perficiendoque progressus facere poterunt, quam si prava consuetudo inolevisset. Neque enim difficultas quemquam absterrere ab officio, sed potius animare ad illud debet, & ad honestam in re tam ardua æmulationem. Quo major superanda fuit difficultas, eo majorem laudem præstantiamque virtus meretur. Licet summa assequi non datur, est tamen officii, prodire tenus hac, si non datur ultra.

§. 146.

Licet in hac vita ad perfectum imperium sui nemo pervenire possit, & difficile sit ad sublimiorem tantum illius gradum adspirare (§. 145.); non tamen animum propterea despondere oportet, aut remissiores in officio esse, *sed potius eo majori virium contentione enitendum est, ut majores in dies progressus in eo faciamus.* Animus enim noster est finitus, neque ideo nisi alia post alia capere potest eorum, quæ ipsi inesse possunt (§. 837. *Ontol.*), adeo ut & summum hominis bonum consistere nequeat, nisi in continuo nec impedito progressu ad majores subinde perfectiones (§. 374. *P. I. Phil. pract. univ.*). Quare & in

In imperio sui ipsius semper est proficiendum.

in imperio sui ipsius comparando aliter fieri nequit, quam ut enitamur ad majores continenter profectus in eodem capiendos. *Semper igitur, dum vivimus, & in dies in imperio sui est proficiendum plus ultra.*

§. 147.

Quo melius quis sibi imperare didicit, eo dignior est, qui imperet aliis.

Quo pluribus in rebus quisquam sibi imperare didicit, & quo majori diligentia in singulis profecit, eo ipse præstantior est aliis, eoque dignior, qui imperet aliis, imperetque eo pluribus. Quo enim pluribus in rebus quisquam sibi imperare didicit, eo propius accedit ad imperium universale, ideoque ad perfectionem materialem seu imperii amplitudinem; & quo majori diligentia in singulis rebus profecit, eo melius sibi imperabit, eoque propior erit imperio pleno, seu perfectioni imperii formali (§. 134.) vel imperii admirabilitati. Generatim ergo eo propius aberit imperium sui a sua, quam requirit & hinc capit, perfectione; & quo melius constantiusque sibi imperare didicit, eo erit aliis in moralibus præstantior, eo rectius reget suos affectus, eo sapientius dominabitur suis facultatibus inferioribus, eo certius vincet se ipsum, eo majori ac durabiliori gaudebit animi tranquillitate securitateque.

Sed qui recte sibi imperare didicit, illi erit in proclivi, idem illud præstare aliis, seu aliis bene imperare. Neque quisquam aliis recte imperare poterit, nisi qui didicit sibi recte imperare (§. 859. *P. VIII. Jur. nat.*). Quo quis ergo melius sibi imperare didicit, eo melius poterit & aliis imperare. Quo melius aliis imperare potest, eo dignior est imperio illorum. Item quo melius & amplius sibi imperare valet, eo est in moralibus aliis præstantior, & quo pluribus est præstantior, eo dignior est, qui ipsis imperet (§. 665. *P. I. Polit.*). Hinc quo pluribus in imperio sui antecellit, eo pluribus qui imperet dignior est censendus.

Quia

Quia sibi imperans, paret legibus divinis, dici & hic potest, quod ex Platone *Cicero* habet de *Legg. III. c. 2.* Qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est, & qui modeste paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus esse. De feris Gentibus *Seneca de ira L. II. c. 15.* scribit: ut servire non possunt, ita nec imperare . . nemo autem regere potest, nisi qui & regi. Ecquis navi gubernatorem, exercitui ducem dabit, qui se ipsum regere nesciat? Impos animi se ipsum regere nequit, sed quis illi alios det regendos?

§. 148.

Quanti sit imperium sui in superioribus?

Dici nequit, quantum boni in civitatem redundet, si illius rectores magistratusque in imperio sui excellant. Si excellunt imperio sui, qui civitati præsunt, digni sunt imperio aliorum, eoque melius imperabunt iisdem. Quo melius imperabunt aliis in civitate, ipsique civitati, eo exactius facient, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur, & impedient fugientque ipsi quæ eidem adversantur (§. 84. *P. VIII. Jur. nat.*), eoque verius ipsis suprema lex erit, salus publica (§. 86. *ibid.*). Studebunt enim tantæ virtutum sublimitati, quantam capit mens humana, & qua Deum imitentur (§. 339. *P. I. Polit.*). Quapropter mirum quantum boni redundabit in civitatem, si præsertim rector ejusdem cæterique ab eo constituti superiores curatoresque publicæ rei imperio sui ipsius excellunt.

Si interiora spectemus, & quæ in ipsa administratione reip. in dies fieri debent, sibi imperantes erunt viri boni, justi & æqui; nemini igitur facient injuriam, nec fieri ab aliis patientur, quatenus id possunt impedire, tribuent & relinquent suum cuique, ac si judices agant, statuent, quid quemque cuique præstare oporteat, & ut inter bonos bene agatur sine fraudatione, & ne quis ex aliena prædetur inscientia. Homo justus inquit *Cicero Lib. III. de offic. c 19.* isque quem sentimus virum bonum, nihil cuiquam, quod in se transferat, detrahet. Hoc qui admira-

miratur, is se quid sit vir bonus, nescire fateatur. At vero si quis voluerit animi sui complicatam notionem evolvere, jam se ipse doceat, eum virum bonum esse, qui prosit, quibus possit, noceat nemini, nisi lacessitus injuria. Intelligit, nihil nec expedire, nec utile esse, quod sit injustum. Hoc qui non didicerit, bonus vir esse non poterit. Et *cap.* 20. addit: caditne in virum bonum mentiri emolumenti sui causa, criminari, praeripere, fallere? Nihil profecto minus. Quid est, quod afferre tantum utilitas ista, quæ dicitur, possit, quantum auferre si boni viri nomen eripuerit? Si exteriora negotia civitatis cum aliis civitatibus gerenda consideremus, omne genus officiorum ab hujusmodi civitatis rectoribus alteri cuicunque civitati exhibebitur, ut vicissim illius in se officia mereatur. Itaque & aliarum civitatum amicitia, commercio, adjumentoque gaudebit civitas, cujus rectores bene imperant, & omne genus offensionis evitabitur, unde denegatio officiorum vel bellum oriri posset. Itaque bellum non erit metuendum, causis belli remotis, & dulci pace civitates frui ac florere poterunt.

§. 149.

Imperium sui includit conscientiæ custodiam.

Imperium sui requirit & includit custodiam conscientiæ liberæ rectæ certæque. Est enim habitus actiones erga se ipsum conformandi legibus divinis (§. 103.). Is exerceri nequit, nisi judicium nostrum de actione committenda vel omittenda est verum, atque demonstrari potest, nec affectus nos in partem contrariam abripiunt. Enimvero quando judicium de actione non formatur, quando affectuum impetu agitamur, conscientia est libera (§ 426. *P. I. Phil. pract. univ.*). Quando judicium de actione nostra est verum, conscientia est recta (§. 419. *ibid.*) Quando judicium verum de nostra actione demonstratur, itaque de illius veritate convincimur, conscientia est certa (§ 420. & 459. *ibid.*). Quia custodia conscientiæ est cura conscientiæ rectæ certæ & liberæ (§. 519. *ibid.*): elucescit jam impe-

imperium ſui includere cuſtodiam conſcientiæ (liberæ nempe rectæ ac certæ).

Quanta ſit conſcientiæ vis ad ſalutem civilem provehendam, non præteriit Philoſophos antiquos, quorum ſententiam *Cicero Lib. III. de offic. c. 18 ſeq.* ita expreſſit: non eadem utilitatis, quæ honeſtatis eſt regula. Qui hoc non perviderit, ab hoc nulla fraus aberit, nullum facinus. Sic enim cogitans, eſt iſthoc quidem honeſtum, verum hoc expedit, res a natura copulatas audebit errore divellere, qui fons eſt fraudum, maleficiorum, ſcelerum omnium. Itaque ſi vir bonus habeat hanc vim, ut ſi digitis concrepuerit, poſſit in locupletium teſtamenta nomen ejus irrepere, hac vi non utatur, ne ſi exploratum quidem habeat, id omnium neminem unquam ſuſpicaturum. At ſi dares hanc vim M. Craſſo, ut digitorum percuſſione hæres poſſit ſcriptus eſſe, qui re vera non eſſet hæres, in foro, mihi crede ſaltaret. Mihi, inquit *Cicero L. II. Tuſc. Quæſt. c. 26,* laudabiliora videntur omnia, quæ ſine venditatione, ſine populo teſte fiunt: non quo is fugiendus ſit (omnia enim benefacta in luce ſe collocari volunt), ſed tamen *nullum theatrum virtuti conſcientia majus eſt.*

§. 150.

Quia imperium ſui includit cuſtodiam conſcientiæ (§ 149) & qui conſcientiam cuſtodit, ab accuſatione conſcientiæ liber eſt (§ 473. & 481. *P. I. Phil. pract. univ.*), conſcientia ipſum excuſante (§. 464. *ibid.*), & animum reddente quietum (§. 484. *ibid.*): patet iterum, *cuſtodiam conſcientiæ, atque imperium ſui parere animi quietem tranquillitatemque* (§. 139.). Inde quoque *imperium ſui facit ad conſcientiam tranquillam* (§. 511. *ibid.*) *liberam ab inquiete & ſcrupulis* (§. 510. *ibid.*) *& a morſibus,* quos dicunt moleſtos affectus *immunem* (§. 496. *ibid.*), *immo bonam & lætam* (§. 525. *ibid.*). *Et illius fructus.*

§. 151.

Imperii sui ipsius nota alii.

Eo enititur imperium sui, ut homo talis sit, qualis videri aliis præsertim optimis cupit. Suas enim actiones erga se componendi ad leges divinas habitum infert (§. 103. *seq.*). Is vero habitus hominem enixe commendat aliis, omnibus nempe bonis, optimis præsertim quibusque, quod bonorum quorumque indoles non alios probat, quam conscientiæ religione conspicuos (§. 149.). Quotusquisque vero est, qui nolit haberi vir bonus justusque? Eapropter imperium sui enititur, ut homo intelligatur talis esse, qualis aliis cupit videri.

Præclare Socrates, hanc viam, ad gloriam proximam & quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut qualis haberi velit, talis esset . . . . Sed ut facillime, quales simus, tales esse videamur, etsi in eo ipso vis maxima est, ut simus ii, qui velimus, tamen quædam præcepta danda sunt. Quæ legi possunt in *Ciceronis Lib. II. de offic. c. 13.* Brevius est præceptum nostrum, quod una conscientiæ custodia, vel imperio sui ipsius absolvitur.

§. 152.

Ex imperio sui oritur felicitas hominis.

Quemadmodum quicunque ex servitute morali se non vindicat, felicitate sua se ipsum privat (§. 587. *P. II. Phil. pract. univ.*): ita imperium sui excusatione conscientiæ gaudet (§. 150.) & animi tranquillitate ac securitate, hominem reddit felicem (§. 495. *P. I. Phil. pract. univ.*). Id quod vel ideo in dubium vocari nequit, quia imperium sui non est nisi habitus actiones erga se instituendi secundum leges divinas (§. 103.). Quisquis actiones suas instituit secundum leges divinas, is servat easdem; & felicitatem nec consequimur, nec retinemus & continuamus nisi custodia legum divinarum (§. 396. *seq. P. I. Phil. pract. univ*). *Nascitur ergo ex imperio sui felicitas*, saltem quatenus actionibus erga nos & in primis animum nostrum habe-

haberi potest. Quo quis magis sibi imperare valet, eo quoque erit felicior hac ex parte statuendus.

§. 153.

Cum nemo non cupidus sit felicitatis, conscientia sui teste; & felicitatis non postrema pars debeatur imperio sui (§. 152.): innotescit admodum, curam felicitatis requirere imperium sui, & *felicitatis studium calcar addere debere ad imperium sui adquirendum perficiendumque.* Quid? quo ardentius homines feruntur in veræ felicitatis comparationem, usum fructumque; eo quoque studiosius incumbendum ipsis est in imperium sui perficiendum. *Amor felicitatis invitat ad imperium sui perficiendum.*

Formari inde regula potest, ut sis felix, recte impera tibimet; vel si felix esse cupis, nolle ne quis tibi imperare. Ex adverso quisquis sibi imperare, suos domare affectus, sibique dominari nescit, is suæ obest felicitati, seque reddit infelicem.

§. 154.

Quia imperium sui parit animi tranquillitatem securitatemque (§. 138. 142.) conscientiam lætam (§. 150.), nec minimam felicitatis partem (§ 153.): *recte imperans sibi potest in se ipso jure meritoque adquiescere*, cum & ipsum sua conscientia excuset (§. 467. *P. I. Phil. pract. univ.*), potest quoque summa inde perfundi voluptate (§. 468. *ibid.*) & beate vivere, majores subinde progressus in perficienda voluntate sua faciendo (§. 374. *ibid.*) & (§. 8. *P. II. Phil. pract. univ.*). *Imperium sui parit adquiescentiam in se ipso.*

Alia est adquiescentia in se ipso sensualis, quæ inter affectus censetur (§. 751. *Psychol empir.*) & affectus est jucundissimus (§. 753. *ibid.*) & animum quoque quadamtenus reddit quietum (§. 764. *ibid.*); alia est rationalis, quæ virtutibus erga se accenseri meretur, quoniam ex distincta oritur cognitione, & veritate nititur. Hic excluditur error & vanitas opinionis, quæ ibi speciem veritatis sæpe mentitur. Si jam rationalis adsit, recte

 eidem

eidem ſubjungitur adhibeturque & illa inferior, ut in conſenſu eo major evadat, prout debet. Itaque naſcitur illa tranquillitas animi auctior & plenior accedente naturali adquieſcentia in ſe ipſo, quæ nititur quidem argumentis ab experientia ſed vera petitis, quæ confuſione quadam ſed innoxia laborant.

§. 155.

Et animum ſua ſorte contentum.

Nec in ſe tantum adquieſcit ſibi recte imperans, ſed & ſua ſorte eſt prorſus contentus. Exercet enim virtutes erga ſe, uti par eſt (§. 103.), in primis virtutes erga animum ſuum morales (§. 104.). In his vero eſt continentia, quæ requirit, ut ſimus contenti rerum noſtrarum ſtatu, qualiscunque fuerit (§. 384. *P. IV. Ethic.*), & animum tuetur adverſus affectuum moleſtorum impetus (§. 386. *ibid.*), abſurdum ducens, velle ut alia ſit rerum ſuarum facies, dum in præſenti felix eſſe, & lætitia ac excuſatione conſcientiæ frui poteſt (§. 385. & 387. *ibid.*). Quapropter recte ſibi imperans ſortem ſuam, a Deo ſibi deſtinatam, ſaltem quatenus aliorum hominum injuria premitur, ſapienter permiſſam ſtatuit, ideoque eadem prorſus eſt contentus, tanquam ad ſuam felicitatem accommodatiſſima (§ 426. *P. III. Ethic.*).

Adquieſcentia in ſe ipſo verſatur circa facta propria, gaudens quippe ob bonum a ſe patratum (§. 749. *Pſychol. empir.*). Sed animus ſua ſorte contentus adquieſcit in providentia divina ejusque placitis, ſciens, rerum ſuarum ſtatum eſſe a Deo, quatenus eundem ſuo ſibi vitio non contraxit, quod ſi factum eſt, ſpectandus eſt velut inſtrumentum ſuæ emendationis. Quæ vel aliorum hominum ſceleri aut iniquitati imputanda eſſe ſentit, ea non ſine gravi ratione permiſſa ipſis eſſe novit; neque quæ caſibus fortuitis deberi animadvertit, ſibi vitio dari poſſe, quos itidem divinitus immiſſos eſſe non ignorat. Quacunque ergo ſorte ſua ſibi recte utendum eſſe, & utramque fortunam eodem id eſt æquo animo eſſe ferendam concludit.

§. 156.

§. 156.

Id vero solicite cavet, ne quid boni sua culpa vel amittat, vel adquirere negligat, & generatim, ne quam admittat culpam. Sibi enim, ut par est, imperans implet officia erga se & animum suum potissimum voluntatem suam perfecturus (§. 103. *seq.*). Dum igitur cura animi sui tangitur, solicitus est, ne quidquam eorum prætermittat, quæ ad voluntatem suam perficiendam pertinent (§ 138. *P. IV. Ethic.*), eaque de re diligenter explorat, quænam vel sua culpa, vel fortuito eventu amitti possint (§. 27. *ibid.*), ut quantum datur omnem a se amoveat culpam. Id circo quisquis se regere valet, solicite cavet, ne quid bonorum animi præsertim vel amittat, vel adquirere negligat, & summatim studio flagrat omnem vitandi culpam (§. 179. *ibid.*), vel studio innocentiæ. *Et studium vitandi omnem culpam.*

§ 157.

Quia sui regendi studiosus omnem vitare culpam annititur (§. 156.), *requiritur, ut non tantum omnes culparum classes, & modos eas evitandi habeat in promtu, sed & habitu gaudeat, iisdem expedite & quam optime utendi; & tam ex casu alieno, quam ex proprio sapere conetur* (§. 155. *P. IV. Ethic.*). *Subsidiis eo valentibus:*

§. 158.

Quia homini naturale est, ut se ipsum amet sibique placeat (§ 45. & 76. *P. IV. Ethic.*), sed intellectus dirigere debet amorem sui sibique placendi studium, ne a legibus divinis aberret (§. 47. & 81. *ibid.*), sed potius ad felicitatem veram tendat (§. 48 *ibid.*), ut se ipsum diligat propter Deum, & charitas sui evadat habitus felicitatem suam quam optime procurandi (§. 49-51. *ibid.*): apparet, *imperium sui regere quoque amorem sui, & sibi placendi impetum,* ne impingat in leges divinas, eas violando; *cum charitate sui vero amicissime conspirare & in omnem influere virtutem* (§. 59. *ibid.*), item cum puritate animi (§. 599. *P. II. Ethic.*). *Imperium sui regit philautiam ac in omnem ingreditur virtutem.*

Natura, ait *Cicero L. II. de Fin. Bon. c. 11.* non movet infantem, ut voluptatem expetat, sed tantum, ut se ipsum diligat, & salvum velit. Omne enim animal simul ut ortum est, & se ipsum & omnes partes suas diligit. *Conf. L. III. c. 5.* Et *Lib. IV. c. 13:* dicis omne animal, simul atque ortum sit, applicatum esse ad se diligendum, esseque in se conservando occupatum: quin potius ita dicis, omne animal applicatum esse ad id, quod in eo sit optimum, & in ejus unius occupatum esse custodia? *αυταδεια* græcorum ab *Aristotele Magnor. Moral. L. I. c. 29.* refertur inter vitia æque ac *αρεσκεια*, quorum illa pravum sibi placendi studium seu arrogentiam & pervicaciam, hæc pravum aliis placendi studium notat, in quorum medio ponit *σεμνοτητα* gravitatem seu modestiam. Sed si pravitas absit, quod restat sibi aliisque placendi studium laudabile erit; uti de placentia sui docetur (§. 77. *seqq. P. IV. Ethic.*). Quemadmodum *Cicero Tuscul. Qu. Lib. II. c. 26:* te autem, inquit, si in oculis sis multitudinis, tamen ejus judicio stare nolim, nec quod illa putet idem putare pulcherrimum. Tuo tibi judicio utendum est. Tibi si recta probanti placebis, tum non modo tu te viceris, quod paullo ante præcipiebam, sed omnes & omnia. Hoc igitur tibi propone, amplitudinem animi & quasi quandam exaggerationem, quam altissimam animi, quæ maxime eminet contemnendis & despiciendis doloribus, unam esse omnium rem pulcherrimam, eoque pulcriorem, si vacet populo, neque plausum captans se tantum ipsa delectet.

§. 159.

A quibus abhorreat imperium sui?

Præditus imperio sui abhorrebit a præpostero felicitatis studio, ab Epicuræismo, Materialismo, Deismo & Atheismo. Etenim non minus neglecta felicitatis cura, quam felicitatis studium præposterum, talia amplectens, quæ hominem aut felicem reddere nequeunt, aut infelicem reddunt, in vitio ponitur (§. 90. *P. IV. Ethic.*). Sed imperium sui veram sectatur & parit felicitatem (§. 152); non potest igitur non abhorrere a præpostero felicitatis studio. Epi-

Epicuræi promiscue suis libidinibus indulgent, existimantes, licere sibi vivere, uti libet, nisi lege civili prohibeatur haud eludenda (§. 117. *seq. ibid.*). Quare cum Epicuræismus neget internam actionum honestatem ac turpitudinem, & obligationem divinam ad illas committendas, has fugiendas (§. 717. *P. II. Theol. nat.*), adversatur ille omni virtuti, inde & virtutibus erga se exercendis, & falsa nititur opinione (§. 722. *ibid.*): imperans sibi non potest non ab eodem abhorrere (§. 104.).

Porro Deismus negat providentiam divinam (§. 529. *ibid.*) falsa & virtuti infesta opinione (§. 559. *seqq. ibid.*); materialismus Deum non nisi corpus esse statuit (§. 616. *ibid.*), opinione erronea & ad atheismum proclivi (§. 620. *seq. ibid.*). Atheismus denique plane negat dari Deum (§. 411. *ibid.*), itaque tollit obligationem divinam (§. 539. *ibid.*), & præterquam quod absordus est (§. 485. *seq. ibid.*), religionem omnem tollit (§. 313. 316. *ibid.*), virtuti multum derogat & in epicuræismum facile prolabitur. Quare liquet, per præmissa de Epicuræismo, sibi imperantem pariter abhorrere ab Epicuræismo, materialismo, & Atheismo (§. 118. *seqq. P. IV. Ethic.*).

Plura ad imperium sui & perficiendam voluntatem peti possunt ex *P. IV. Ethicæ*, ad quæ facile applicantur illa adjumenta status civilis, quæ ex obligatione civili, institutis docendi, exemplo, & communi aliorum judicio aliorum actiones bonas probante, pravas damnante & reprehendente haberi possunt. Quæ cum præmissa hic sint, ad posteriora præcepta amplificandi emendationem voluntatis transferri a quocunque & possunt & debent, quando quid ad eam sapienter conferat civile adjumentum simul intueri placet.

SECTIO I.
CAPUT III.
DE
Cura ſapienter perficiendi juſtitiam publicam.

§. 160.

Perficiendæ ſunt potiſſimum virtutes civiles.

O*pera ſapienter danda eſt, ut in civitate perficiantur potiſſimum virtutes erga alios homines.* Emendanda enim eſt in civitate voluntas, quantum conjunctis viribus fieri poteſt (§. 1), ac ideo virtutes morales ſunt excolendæ, & profligan- da vitia, quantum ſapienter fieri poteſt (§. 2.). Sed poſt virtutes erga Deum & ſeipſum dantur quoque virtutes erga alios homines (§. 223. & 321. *P. I. Phil. pract. univ.*). Quare & virtutes erga alios in civitate ſapienter ſunt promovendæ perficiendæque.

Enimvero cuilibet civitati nil prius nec antiquius eſſe debet ſalute publica (§. 86. *P. VIII. Jur. nat.*), quæ primario virtutibus civilibus eſt conſequenda (§. 10. & 40. *P. I. Polit.*), & virtutes civiles ſunt virtutes erga alios cives &c. (§. 11. *ibid.*). Quare in civitate potiſſimum requiritur, ut homines in ea degentes ſibi invicem debita officia præſtent, vel ut quilibet civis bonum commune pro virili promoveat, & quidquid poteſt conferat ad vitæ abundantiam, tranquillitatem ſecuritatemque (§. 18. *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*), ideoque in omnibus actionibus ſuis curet id, ut aliis proſit, nulli vero obſit (§. 1085. *ibid.*). Potiſſimum ergo curata navanda eſt opera, ut virtutes civium erga cives aliosque in civitate floreant ac perficiantur, quantum ſapienter fieri poteſt.

§. 161.

Quatenus virtutes civiles obtineri nequeunt, eatenus saltem actiones erga alios externæ legibus conformes sunt exigendæ, ut externa honestas erga se invicem observetur. Promovenda enim publice est honestas vitæ cum interna tum externa, & impedienda sapienter ejus turpitudo (§. 6). Et ubi salus primaria haberi nequit, curanda ad minimum est secundaria (§. 55.), ideoque ubi honestas interna obtineri nequit, curanda saltem est externa. Quare ubi virtutes civiles obtineri nequeunt, ibi saltem exigendum est, ut actiones externæ erga se invicem sint honestæ, ideoque curanda est honestas externa actionum civilium erga se invicem (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*). *Saltem earum actiones externæ.*

Vltra vires ne civitas quidem obligatur, nec obligari potest (§. 209. *P. I. Phil. pract. univ.*). Enimvero virtutes debent esse voluntariæ, nec possunt esse virtutes, nisi tales sint. Hinc cum voluntas non possit cogi (§. 926. *Psychol. empir.*), nec virtutes extorqueri ulla vi possunt. Sicut ergo religio interna non subest imperio cogenti (§. 23.); ita universim in rep. constituenda opera quidem danda est, ut qui ad legem naturæ servandam proni sunt, juventur, nec ab aliis impediantur; cæteri autem vi adigantur, ut minimum actus externos ad legem naturæ componant (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*). Accedit, quod interna actione legibus adversante homines sibi tantum noceant, quod ferendum est, nec intelligi ab aliis vel mutari potest. At quando quisquam actione externa aliis nocet, eorumque felicitatem impedire & intervertere conatur, id ferendum in civitate non est, sed potius impediendum, quantum id civitatis ratio permittit. Qua de re dum virtutes ipsæ respuuntur ab hominibus in civitate degentibus, id quidem extra civitatis positum est potestatem. Sed dum actiones externæ in sensus incurrunt, hæ cognosci, & quando permittendæ non sunt, puniri possunt debentque. Idem quoque in simili casu valet de actionibus decoris & indecoris (§. 8.).

§. 162.

Charitas complectitur omnes virtutes erga alios.

Virtutes erga alios continentur sub charitate eorum tali, quali complectimur nos ipsos. Amare enim & diligere alios obligamur, ut nos ipsos (§. 618. 629. *P. I. Jur. nat.*), & charitas est virtus, qua diligimus alios sicut nos ipsos (§. 620. *ibid.*), eaque præstat omnia erga alios officia (§. 59. *P. V. Ethic.*). Idcirco omnes virtutes erga alios continentur in charitate aliorum tali, quali fovemus nosmet ipsos, quæ itidem in omnes erga nos ipsos virtutes influit, (§. 158.).

§. 163.

Item probitas.

Si probitas notet virtutem, qua quisque erga alios is est, qui per leges naturales esse debet, seu qua præstat aliis officia, quæ ipsis debentur, illa quoque omnes complectetur virtutes erga alios. Docetur hoc eodem modo, quo id evicimus de charitate aliorum hominum, itidem omnia erga alios officia præstante. Cui hoc sensu probitas substitui plane potest, quam Germani vocant die Redlichkeit, item Frömmigkeit, quamquam hoc nomen latius patet, æque ac integritas vitæ die Ehrlichkeit, & honestas die Ehrbarkeit, & innocentia die Unschuld (§. 1085. *P. I. Jur. nat.*).

De probitate consuli possunt, quæ de usu vocabuli notavi ad §. 363. *Oecon.* Germanorum nomen die Redlichkeit potissimum refert ad fidem datam servandam (die Treue), ut bonam fidem latinorum exprimat & promissorum constantiam. Posset vero & inde probus dici, qui recte agendo probatur omnibus, & vir probatæ fidei usque quaque reperitur. Die Frömmigkeit notat quidem habitum alteri commoda & emolumenta præstandi, sed refertur quoque ad pietatem erga Deum, uti honestas ad quasvis actiones legi divinæ congruas (§. 6.). Quod & de integritate vitæ & puritate animi (§. 599. *seqq. P. II. Ethic.*), quæ defectus & labes removet, & de innocentia, quæ fugam culpæ omnis complectitur, tenendum (§. 156.). Probum interpretes *Aristotelis Magnor. Moral. L. I. c. 1.* dicunt latius, quem ipse σπουδαῖον vocat

vocat & *σπουδαιον ειναι* ait eſſe *τας αρετας εχειν*, quaſi recti ſtudioſum notaret, aut honeſtum. Honeſtum enim (*το καλον*) *ibidem c. 20.* dicit finem virtutis omnis, & virtutem ipſam *στοχαστικην του καλου* conjectricem & indagatricem honeſti & pulcri, qua probus ſit æſtimandus, ideoque & id ſemper agere & proponere actionibus ſuis debeat, cum alioqui ejus animi ſententia & virtus perſpici ab aliis nequeat. Innocentiam *Cicero* vocat affectionem animi nemini nocentem *Tuſcul. III. 8.*

§. 164.

Inprimis tamen juſtitia innuere conſuevit virtutes aliis debitas teſtandasque. Juſtitia enim notat conſtantem atque perpetuam voluntatem jus ſuum cuique tribuendi (§. 926. *P. I. Jur. nat.*), ideoque juſtus nihil committit, quod eſt contra jus alterius, nec quidquam omittit, quod eidem repugnat (§. 240. *P. I. Phil. pract. univ.*). Dum ergo cuique præſtat, ad quod illi obligatur, nec eum impedit, quo minus faciat quod licet, multo minus ſibi arrogat jus alterius: omnia implet officia, quæ charitas aliorum exigit (§. 162.), itaque juſtitia comprehendit quoque omnes virtutes erga alios homines obſervandas. Dicitur vero hæc juſtitia univerſalis, quæ in omni actione tribuit aliis jus ſuum, ſive perfectum fuerit, ſive imperfectum (§. 585. *P. V. Ethic.*) & (§. 934. *P. I. Jur. nat.*), ideoque ſummam ſeu genus virtutum quarumque erga alios homines complectitur. Quoniam qui jus ſuum cuique tribuit, etiam ſuum cuique tribuit (§. 925. *P. I. Jur. nat.*), & qui ſuum cuique tribuit, is eidem præſtat, ad quæ præſtanda perfecte obligatur (§. 923. *ibid.*): juſtitia univerſalis includit quoque juſtitiam (ſtrictius dictam, & æquitati oppoſitam) (§. 578. *P. V. Ethic.*). Quocirca dum æquitas dirigit actiones hominis circa imperfecta aliorum jura (§. 581. *ibid.*), & quisquis æquus eſt, idem & juſtus eſt (§. 582. *ibid.*); patet, juſtitiam univerſalem quoque æquitatem dici poſſe.

Et juſtitia vel æquitas.

posse. Potissimum vero justitiam strictius dictam civitas curæ suæ demandatam habet, utpote quæ jus cogendi admittit & requirit, quod in civitate exercendum est, cui æquitas non subjacet (§. 658. & 663. *P. I. Jur. nat.*).

De *frugalitate* disputans *Cicero Tuscul. Quæst. L. III. cap. 8.* fatetur se haud scire, an ipsa Græcorum σωφροσυνην referre possit, cum angustius usurpetur, & frugi homines (χρησιμοι) appellentur tantummodo utiles. At illud, inquit, est latius omnis abstinentia & innocentia, quæ apud græcos usitatum nomen nullum habet, sed habere potest αβλαβειαν. Reliquas etiam virtutes *frugalitas* continet, quia frugi dici non solet, qui ignavus, aut injustus fuit, aut male rem gessit, ut frugalitas eo ipso fortitudinem, justitiam & prudentiam 3 virtutes complectatur; etsi commune sit hoc virtutum. Omnes enim inter se nexæ & jugatæ sunt, reliqua igitur & quarta virtus ut sit ipsa frugalitas: ejus enim videtur esse proprium motus animi appetentis sedare, semperque adversantem libidini moderatam in omni re conservare constantiam, cui contrarium vitium nequitia dicitur. Frugalitas, ut opinor, a fruge, qua nihil melius e terra; nequitia (Schelmerey) ab eo (etsi hoc erit fortasse durius, sed temerius lusisse putemur, si nil sit), quod nec quidquam est in tali homine. Ex quo idem nihili dicitur. De justitia vero sic statuit *c. 53. de invent. rhet.* Justitia est habitus animi, omnium utilitate conservata suam cuique tribuendi dignitatem; & *c. 16. Lib. I. de Fin. Bon.* Justitia non modo nunquam nocet cuiquam, sed contra semper alit aliquid, tum vi sua atque natura, quod tranquillet animos, tum spe, nihil earum rerum defuturum quas natura non depravata desideret. *C. 7. Lib. I. de offic.* In justitia virtutis splendor est maximus, ex qua boni viri appellantur. Denique *L. V. de Finibus bonor. c. 23.* disertius: animi affectio suum cuique tribuens, atque hanc, quam dico societatem conjunctionis humanæ munifice & æque tuens, justitia dicitur, cui adjunctæ sunt pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas, quæ sunt generis ejusdem. Quare & justitiam *L. III. ad Herenn.*

c. 2. vocat æquitatem jus unicuique tribuentem pro dignitate cujusque. Nec secus ante ipsum *Aristoteles* justitiam interpretatur ad *Nicom. L. V. c.* 3. eam latissime omni æquiparans virtuti, ut justus idem sit, ac legitimus, dein solam ex omnibus virtutibus alienum bonum dicens, quia alios spectat. Ac *Lib. I. Polit.* Justitia, inquit, est civile quiddam; ἡ γαρδικη κολτικης κοινωνιας ταξις. ἡ δε δικη τȣ δικαιȣ κρισις.

§. 165.

Justitia interna ubi comparanda.

Justitia, quatenus est habitus animi legitimus, eodem modo procuranda est in civitate ac religio & virtutes erga se ipsum imperiumque sui. Eatenus enim est virtus, ideoque ut cæteræ virtutes, nulla vi extorqueri potest (§. 23. & 161.). Procuranda igitur est interna hæc justitia ope distinctæ cognitionis, convictionisque & frequenti exercitio actionum legi naturali conformium subinde emendato & ad majorem perfectionem deducto (§. 323. *seqq. P. I. Phil. pract. univ.*), adhibitis quoque externis adjumentis subsidiisque, quæ in cæteris virtutibus usui sunt (§. 456. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 166.

Item æquitas & similes virtutes.

Aequitas quoque, humanitas & charitas, quatenus imperfecta exercent officia, in civitate eodem modo adjuvandæ sunt & perficiendæ. Quatenus enim officia sunt imperfecta, eatenus nulla vi humana extundi possunt (§. 663. *seqq. P. I. Jur. nat.*). Jam æquitas occupatur circa officia imperfecta (§. 581. *P. V. Ethic.*) & (§. 240. *P. I. Phil. pract. univ.*). Officia humanitatis extorquendi jus nemo hominum habet (§ 658. *seqq. P. I. Jur. nat.*). Charitas vero complectitur omnia officia humanitatis (§. 654 *ibid.*). Ex charitate aliorum proficiscitur quoque amicitia, beneficentia, liberalitas, misericordia, facilitas, officiositas, comitas, mansuetudo, placabilitas, veracitas, taciturnitas, sinceritas, urbanitas & gratus animus. Quare harum virtutum, quatenus non nisi im-

perfecta erga alios obligatione nituntur, exercitium ejusdem est census ac charitas ipsa. Non aliter ergo æquitas, humanitas, charitas cæteræque similes virtutes erga alios eodem modo, ac justitia interna (§. 165.) in civitate sunt promovendæ perficiendæque.

§. 167.

Nec non justitia externa circa occultiora.

Neque multo dispar est ratio justitiæ externæ strictius dictæ, ratione actionum, quæ penitus celari alios homines possunt. Licet enim justitiam externam quoad actiones, in sensus incurrentes, aut testibus aliisque documentis facile evincendas, aliis quoque modis in rep. procuranda sit, uti mox ostendetur: illi tamen modi vix quidquam valent apud eos, qui celare sua scelera sic possunt, ut aliis non innotescant, vel si innotuerint, tamen autor eorum ignoretur, nec investigari possit. Contra hæc militat, & hæc fugit non nisi ea animi justitia, qua viri boni censentur, quam internam diximus (§. 165.). Quare & externa, quæ subtrahere hominum cognitioni & judicio civili sua facinora, promoveri & procurari in civitate non potest aliter quam interna.

Neque id difficile est judicatu. Interna enim justitia subsistit intra animum, in actionibus mentis internis, cuique quod suum est animo tribuens, adjudicans, nec invidens, sed potius bene cupiens, optans, precans, cogitans, nec nosci ejus penetralia, consilia ac destinataque possunt, nisi ab eo, qui abditos intimosque omnes omnium sensus perspicit. Externa autem edit actus externos, qui quandoque deteguntur aut manifesto committuntur; quandoque vero furtim & clanculum admittuntur, vel tam caute, ut prodi aliis, vix ac ne vix quidem possint. Hic vir bonus semper aliquid ad communem utilitatem affert; alium re, alium fide, alium gratia, alium consilio, alium præceptis salubribus juvat, erranti viam monstrat, naufrago manus porrigit, cum esuriente panem dividit, quemcunque potest peccare prohibet, inculcat vitanda quæ vulgo placent. Ipsius consilium

nequaquam subdolum sed fidele, sermo comis & sine adulatione jucundus, aures, si quis deliberari secum velit, diligentes, & tutæ, si credere. Miseris gratificatur quam maxime, & indigentibus benefacit, & quam ipse, si eo loco esset, benignitatem sibi impertiri optaret, ea ut in alium utatur, natura tacita quadam voce monere ac præcipere videtur, ut prodesse velit quam plurimis, & quam plurimum potest. Quidquid sine detrimento potest commodari, id tribuit cuique vel ignoto, quod non præteriit *Ciceronem L. I. de offic. c. 16.* & alibi; item *Senecam.* Conf. *not.* §. 149.

§. 168.

Jam ad cæteras virtutes morales suppeditanda erunt earum documenta & instrumenta, tollenda vero earum impedimenta (§. 3. *seq*) ope promotæ educationis, institutionis, bonorum exemplorum & obligationis civilis (§. 5. & 106.) & remediorum adversus his contraria (§. 6.). Opus erat docentibus in scholis & templis (§ 32. *seqq.* & 108.); opus erat in quibusdam comœdiis & tragœdiis, recte instituendis (§. 123.); opus quoque libris moralibus scribendis legendisque (§. 87.). Quibus rebus efficitur, *justitiam quoque internam* (§. 165.) *æquitatem eique similes virtutes* (§. 166.) & *justitiam externam quoque ratione eorum, quæ subduci facile hominum perquisitioni possunt* (§. 167.), *iisdem communibus subsidiis in civitate esse procurandam perficiendamque.*

Quibus ad hoc opus fit adminiculis institutisque?

Redegi hic in brevem summam præcipua capita eorum, quæ in solidioris & optabilioris justitiæ, æquitatis & charitatis aliorum dici possunt, sed ex duobus prægressis capitibus facile huc transferuntur. Possent de variis nonnulla adduci usu non caritura, v. c. de variis modis libros morales aptandi ingeniorum & ætatum diversitati, modo per parabolas, satyras, apologos & fabulas sapienter confictas; modo per exempla & historias veras virtutum vitiorumque; modo per præcepta variis modis tradenda & inculcanda. Sed de his consuli potest Geo. *Paschius in libro de variis modis moralia tradendi.* Sic quoque suppeditari possent quæ de comœdiis, tragœdiisque ad hunc scopum, mores civi-

civium corrigendi in illis, quibus homines a recto tramite virtutis in communi vita civili & sociali facile deflectere solent, & quorum incommoda in theatro rectius quam in suggestu sacro ad vivum ob oculos ponuntur, nisi brevitati hic esset litandum, & de his quoque reformandis & ab abusu vindicandis alii jam exposuissent. De pluribus aliis discussionibus eorum, quæ inter varia instituta, passim introducta, præferenda videantur, vacent, quibus volupe est.

§. 169.

Justitiæ necessitas utilitasque.

Justitia in qualibet civitate permagnæ est & necessitatis & utilitatis. Justitia enim complectitur omnes virtutes, quæ officia erga alios quam optime præstant (§. 164.). Sed non alium ob finem coaluere civitates, quam ut omnes sibi invicem, quæcunque debent, officia præstarent, atque jugatis studiis saluti civitatis, omniumque ac singulorum, qui in ea degunt, operam darent (§. 132. *P. I. Polit.*). Quare cum finis civitatis partim plane non, partim non melius obtineri possit, quam virtutibus quibusque (§. 40. *ibid.*): perlucet ex commemoratis, justitiam æque ac religionem (§. 27.) & imperium sui (§. 147. *seqq.*) in qualibet civitate summæ esse necessitatis (§. 116. *ibid.*).

Neque minoris illam esse utilitatis, inde patet, quia ipsa salus publica, qua nihil esse potest civitati utilius, commendatiusque eadem nititur, per modo ostensa; & quia privatim quoque omnis prosperitas vera sine justitia dari & subsistere nequit (§. 160.), contra ea innumera incommoda & damna ex injustitia publicæ & privatæ rei enascuntur. Sive igitur consideremus *justitiam publicam*, quæ omnium nomine exercetur, sive *privatam*, quam privatus quisque suo nomine & officio privato præstat; utroque casu illa utilissima & salutaris erit. Quod præter fidissimam rerum magistram, ipsa quoque ratio firmat (§. 110. *seq. P. I. Polit.*).

Annotavit suo tempore iam *Cicero L. II. de offic. c. 11.* justitiæ necessitatem summam in quavis humana vita: Mea quidem sententia omnis ratio atque institutio vitæ adjumenta hominum desiderat, in primisque ut habeas, quibuscum possis familiares conferre sermones, quod est difficile, nisi speciem boni viri præ te feras. Ergo etiam solitario homini atque in agro vitam agenti, opinio justitiæ necessaria est, eoque etiam magis, quodsi eam non habebunt, injusti habebuntur nullisque præsidiis septi multis afficientur injuriis. Nec illi quidem, qui maleficio & scelere pascuntur, possunt sine ulla particula justitiæ vivere. Nam qui eorum cuipiam, qui una latrocinantur, furatur aliquid aut eripit, is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum. Ille autem, qui archipirata dicitur, nisi æquabiliter prædam dispertiat, aut interficiatur a sociis aut relinquatur. Quia etiam leges latronum esse dicuntur, quibus pareant, quasque observent.

§. 170.

Quid ad eam evidentiorem faciendam requiratur.

Quæ ut evidentiora omnibus sint, curandum est, ut justitiam colentibus omni ex parte melius sit, quam eam negligentibus. Vti enim in cura religionis imitandus est Deus (§. 28.): ita quoque in omni reliqua virtutum cura is sapienter est imitandus ab his, quorum est ejus gerere personam (§. 337. *seqq. P. I. Polit.*). Sed ita divinitus instituta est rerum universitas, ut sine virtutibus nulla sit nec esse possit vera felicitas (§. 400. *P. I. Phil. pract. univ.*) eaque vitiis amittatur (§. 403. *seqq. ibid.*). Quapropter & in qualibet civitate ratione justitiæ opera navanda est, ut proborum justitia promoveatur, defendatur, ac quibus fieri potest præmiis cumuletur; improborum autem injustitia impediatur, coërceatur profligeturque quantum salva sapientia fieri potest. Cumque omnes unanimi voto id in civitate quærant, ut ipsis bene sit, dum suo officio, ut par est, funguntur; male autem illis, qui officio suo repugnantes id agunt, ut ex injuria aliis illata lucrum captent: utique necessitas & utilitas

justitiæ ipsis melius commendari & ob oculos poni nequit, quam si sapienter curetur, ut justitiam colentibus omni ex parte melius sit, quam negligentibus aut violantibus eamdem.

Totus in eo est *Cicero Libro II. de offic.* ut planum faciat, nil esse revera utile, nisi quod honestum justumque. Ita *cap. 3.* scribit: Hoc autem, de quo nunc agimus, id ipsum est, quod utile appellatur. In quo verbo lapsa consuetudo deflexit de via, sensimque eo deducta est, ut honestatem ab utilitate secernens, & constitueret, honestum esse aliquid, quod utile non esset, & utile quod non honestum: qua nulla pernicies major hominum vitæ potuit afferri. Summa quidem auctoritate Philosophi severe sane atque honeste hæc 3 genera confusa cogitatione distinguunt. Quidquid enim justum sit, id utile etiam esse censent: itemque quod honestum, idem justum. Ex quo efficitur, ut quidquid honestum sit, idem sit utile. Quod qui parum perspiciunt, hi sæpe versutos homines & callidos admirantes, malitiam judicant sapientiam. Quorum error eripiendus est, opinioque omnis ad eam spem traducenda, ut honestis consiliis, justisque factis, non fraude & malitia se intelligant ea, quæ velint, consequi posse. *Lib. I. de Fin. Bon. c. 16.* monet, cupiditates, quæ a natura sunt, facile expleri, sine ulla injuria; quæ autem inanes sunt, his parendum non esse: quia nihil desiderabile concupiscunt, plusque in ipsa injuria detrimenti est, quam in iis rebus emolumenti, quæ pariuntur injuria. Hæc Ciceronis verba antiquorum placita exhibent, e natura rerum non sine magno acumine eruta; Quantum acumen cum plurimis non sit, in civitate subveniendum est ipsorum hebetudini mentis, ut ex iis, quæ in sensus incurrunt, discant eam rationem, quam animus perspicit acutior. Hinc actionum externarum justitiæ consentanearum, laus, honor & fructus ipsis palpabilis fieri; injustarum vero actionum nocumenta, dedecus, & pernicies itidem in sensuum luce poni debet. Quod fieri nequit, nisi curetur, ut omnes actu sentiant, non esse cuiquam bene, nec quemquam vivere beate, nisi cum virtute & justitia præsertim

rationem habeat; nec infelicem & miserum esse quemquam, nisi qui a virtutibus abhorreat, seque vitiis & injustitia inquinaverit.

§. 171.

Justitia autem publica exercenda est tum erga eos, qui in civitate degunt, tum erga alias civitates illarumque subditos. Justitia nempe hic complectitur habitum quævis officia erga alios homines præstandi, vel summam & genus virtutum erga alios (§. 164.). Publica vero exercetur nomine totius civitatis (§. 641.). Sed alii homines, quibuscum in civitate res intercedunt, vel sunt quotquot intra illam degunt; vel sunt tales, qui extra illam dantur, in alia quadam civitate degentes, quod per se lucet. Quare & justitia exercenda est aut adversus eos, qui civitatem quandam conficiunt, aut adversus eos, qui alii cuidam civitati subjecti sunt. Item quoniam civitas quæque consideratur, uti persona moralis (§. 2. *Jur. Gent.*), justitia quoque exercenda est civitati erga suos subditos, & subditis erga civitatem vicissim; item cuique civitati erga aliam civitatem quamcunque, cum qua ipsi commercium quoddam intercedit (§ 479. *P. I. Polit.*). *Erga quos justitia exserenda.*

§. 172.

Justitia publica, quæ domi suum cuique jus tribuit, hoc est, quæ iis debetur, qui in civitate degunt, posset dici justitia civitatis erga seipsam, quam uno nomine dicere liceat *probitatem*, quia generalis ipsius potestas justitiæ respondet (§. 163.). Ea autem justitia, quæ foris suum cuique jus tribuit, hoc est, quæ erga alias civitates earumque subditos præstat, quæ ipsis lege naturali debentur, erit justitia civitatis erga alias civitates, quæ justitia emanans, vel unico vocabulo *æquabilitas*, ab æquitate; erga alias civitates solicite observanda, aut *magnanimitas*, melius non invita latinitate dici posset, uti *Lactantius* V. 14. æquitatem se cum aliis coæquandi *Cicero* æquabilitatem vocat. *Justitia publica vel probitas est vel magnanimitas.*

Vbi nomina uſitata habentur diverſa, quæ eamdem fere rem notare ſolent; ibi ſcrutari licet id diverſum, quod in rebus datur, cui primitus deſtinata eſſe potuerunt, licet uſus ſequioris ætatis parum attendiſſe ad illam diverſitatem videatur. Sed æquabilitas latius quidem ad conſtantiam animi refertur, quæ æquanimitas dici ſolet, uti in hoc loco: præclara eſt æquabilitas in omni vita, & idem ſemper vultus, eademque frons, ut de Socrate itemque de C. Lælio accepimus. Strictius vero ad juſtitiam refertur, uti ipſa æquitas, niſi quod conſtantem ejus tenorem, vel habitum æquitatem exercendi infert. Sic de *Orator. L. II. c. 85.* erit explicandum in laude juſtitiæ, quid cum fide, quid cum æquabilitate, quid cum ejusmodi aliquo officio is, qui laudabitur, fecerit. Et *Lib. I. de offic. c. 25.* ait in liberis vero populis, & *in juris æquabilitate exercenda etiam eſt facilitas & altitudo animi,* quæ dicitur, ne ſi iraſcamur aut intempeſtive accedentibus, aut imprudenter rogantibus, in moroſitatem inutilem & odioſam incidamus. Et tamen ita probanda eſt manſuetudo atque clementia, ut adhibeatur reip. cauſa ſeveritas ſine qua adminiſtrari civitas non poteſt.„ Vbi altitudo animi ipſi eadem eſt, quam in antecedentibus dixit animi magnitudinem, ſeu animum magnum, excelſum, maximum, & quam *Lib. III. de offic. c. 5.* his laudat verbis: Multo magis eſt ſecundum naturam excelſitas animi & magitudo, itemque comitas, juſtitia, liberalitas, quam voluptas, quam vita, quam divitiæ: quæ quidem contemnere & pro nihilo ducere, comparantem cum utilitate communi, magni animi & excelſi eſt. Quia viros magno animo præditos ſæpe magnanimos vocat, & magnificos: *Cap. 43. magnanimitatem* uno nomine vocat, quam ante & poſtea animi dixit magnitudinem, græcorum μεγαλοψυχίαν exprimens; itemque *magnificentiam,* quam *Lib. II. de inv. rhetic. c. 54.* dicit rerum magnarum & excelſarum cum animi ampla quadam & ſplendida propoſitione agitationem adminiſtrationemque, & fortitudinis partem ſtatuit. Quoniam magnanimus circa magnos honores (§. 564. *P. I. Jur. nat.*), magnificus autem circa magnos ſumtus verſatur, uti decet & Jus naturæ exigit (§. 389.

P. IV. Jur. nat.): patet, utriusque virtutis & discrimen & convenientia. Versatur utraque circa res magnas, uti par est & decet, unde & nomen græcum magnificentiæ est μεγαλοπρέπεια (quasi magnidecentia): quia tanquam sublimitas seu magnitudo liberalitatis decenti sumtuum splendori satisfacit. Magnanimitatem vero *Stagyrita Nicomach. IV. c. 7.* virtutem dicit, qua se magnis dignos censent honoribus, qui iis omnino digni sunt; mallem dicere, qua magnos mereri honores factis excelsis student. Vnde infert magnanimum esse non posse nisi bonum virum. Ita *Cicero L. I. de offic. c. 19.* vera, inquit & sapiens animi magnitudo honestum illud, quod natura sequitur, in factis positum, non in gloria judicat, principemque se mavult esse, quam videri. Etenim qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic in magnis viris non est habendus.,, Sed ubi magis opus est magnanimitate, quam ubi civitates inter se majestatem suam debent invicem testari? Idcirco magnanimitas in primis politica virtus, eaque sublimis & excelsa est, uti in factis arduis omnibus, ita & in sumtuosis rebus magnifica. Dici potest *publica*, quæ a civitate (ejusve rectore) erga aliam civitatem exseritur; *privata*, quæ erga privatum.

§. 173.

Objecta magnanimitatis.

Magnanimitas publica vel versatur circa alterius civitatis bene vel male facta, & utrobique non facit nisi quod justum est & æquum. Magnanimitas publica enim notat justitiam publicam & sublimem; quam civitas alia alii civitati ejusque subditis exhibet (§. 172). Enimvero justitia suum cuique jus tribuit (§. 926. *P. I. Jur. nat.*), ideoque & cuique tribuit quod suum est, seu quod ipsi debetur (§. 925. *ibid.*). Sed alia debentur bene factis, alia male factis, ob contrariam eorum indolem. Proinde & civitati alii ab alia civitate nequeunt eadem deberi, sive bene fecit seu in officio mansit, sive male fecit & contra officium egit. In utroque tamen casu non faciendum est, nisi quod justum deprehenditur, saltem æquum, sive quod jus

cujusque requirit. Magnanimitas publica igitur modo rem habet cum bonis actionibus alterius civitatis, modo cum contrariis seu malis, pro re nata; sed in utroque casu non recedit a legibus divinis, ideoque non facit nisi justum esse intelligit aut tamen æquum.

Magnanimitatem publicam (die Staats-Grosmuth vel die Grosmüthigkeit eines Staats) referre oportet ad actiones edendas, quibus magnum honorem & gloriam insignem mereri, & ex merito consequi valet (§. 172.). Fingamus, alteram civitatem ipsi nec boni nec mali quidquam ante fecisse, quam altera quidquam cum ea negotii inchoat. Hac rerum facie id bene factum dici potest, quod ponitur nihil mali alteri creasse. Vti qui non adversatur alteri, cum illo facere statuitur *Luc.* IX, 49. *seq.* & generatim qui omittit prohibita, præstat officia abstinentiæ, omissionisque debitæ. Quare & in hoc casu, & multo magis, quum & commisit præcepta legibus faciendo alteri, quæ facere debet, id ipsi debetur quod meruit suis benefactis in omittendis æque ac committendis actionibus honestis. In contrario vero casu contraria debentur, prout justitia & æquitas exigit.

§. 174.

Quid tribuat beneficis erga se?

Bene se gerentibus civitatibus, earumque subditis, magnanimitas publica sapienter mutuam testatur benevolentiam, beneficentiam, munificentiam, magnificentiamque. Versatur enim illa hoc casu circa benefacta alterius civitatis, aut plurium civitatum aliarum, & in eodem nil admittit nisi quod æquum est justumque (§. 173.). Enimvero æquum est, ut quod nobis fieri recte volumus, idem faciamus & alteri (§. 102. *seqq. P. I. Jur. nat.*). Quoniam obligamur nobis invicem ad mutua beneficia, quæ sunt in potestate nostra (§ 23 *P. IV. Jur. nat.*), & multo magis ad reddenda ea data opportunitate (§. 41. *ibid.*); & civitates sibi invicem debent, quod homines singuli sibi debent in statu naturali (§. 156. *Jur. Gent.*); negari nequit, publicam magnanimitatem esse sa-

pienter adhibendam, ad testandam sibi invicem mutuam benevolentiam, beneficentiam, munificentiam & magnificentiam, neque minus ad honestam in his aliisque virtutibus, sub justitia & æquitate comprehensis, æmulationem, amicitiamque mutuam (§. 166. *Jur. Gent.*) & (§. 343. *seq. P. I. Polit.*).

Munificentia civitatum potissimum locum habet adversus civitates debiliores, quæ suæ defensioni impares sunt, quibus propterea alia civitas aut & plures aliæ civitates subveniunt, ut eam contra potentiorem tueantur, ne intereat, quo ipso potentior iniqua facile insolesceret ad grassandum ulterius contra civitates sibi facile subjugandas. Hac de causa suam simul rem agunt defendendo debiliorem civitatem illæ, quæ ipsi opitulantur, eamque asserunt in libertatem & securitatem, licet debilior civitas par pari referre nequeat, grato tantum animo veneratura beneficium sibi datum. Ejusmodi munificentia tum est instar liberalitatis gratuitæ, eleemosynas & stipem erogantis. Nec ea in hoc casu tantum se exserit, sed in quovis alio huic affini. Qualis esset, si civitas defensura debiliorem nihil habeat ab altera potentiori verendum; si debilior vel in ipsius tutelam & clientelam se dare velit, ipsa autem magno animo eam malit liberam manere & tutam a se præstari, quam sibi submitti. Cujusmodi magnanimitas rarior censeatur, ac reliquæ ejusdem partes, in quibus tam eximium beneficium non continetur. Cujusmodi forent, si annonæ caritati, ob quam fame tantum non esset pereundum debiliori civitati, subveniatur; si pestilentiæ contagio laboranti suppeditentur remedia, quibus indiget; si cæteris adversitatibus publicis & calamitosis medela afferatur; si commerciis lucrosis locus detur, sine quibus debilior civitas vix aut ægerrime se conservare posset. Vti Tyrus & Sidon leguntur Herodem placasse, propterea, quod sine commercio cum Judæis florere non possent. *Actor.* XII, 20. Pari ratione magnificentia in honorem & suæ & alterius civitatis ingentes, quando consultum videtur, sumtus facere non pigrabitur, ut quæ fieri debent v. c. in nuptiis cebrandis, festivitatibus hospitalibus, aliisque solem-

lemnitatibus legationum, seu mittendarum seu recipiendarum, quæ fieri debent, fiant ex dignitate & majestate quam decentissime. De cæteris huc revocandis virtutibus quædam commemovi §. 166. Quibus cæteræ facile addi possunt ex *Ethicis*.

§. 175.

Quid maleficis erga se?

Si qua injuria civitas afficitur ab altera civitate, ejusve subditis, magno animo leviores quidem contemnit, contenta nuda admonitione, & reparatione privatis forte facienda; graves autem injurias sapienter repellit gradatim utendo acrioribus defensionis remediis, bello tantum in extrema necessitate suscepto, aut & pro statu civitatis dilato in opportunius tempus. Injuriæ enim tam verbales, quam reales fiunt contra jus perfectum alterius civitatis (§. 859. & 886. *P. I. Jur. nat.*), læduntque alteram civitatem & offendunt (§. 942. *ibid.*), cum tamen ne illam quidem lædere liceat & offendere, quæ prior læsit vel offendit (§. 940. *ibid.*), licet ob avertendum periculum futuræ læsionis, quando id consultum deprehenditur, puniri debeat (§. 1060. *seq. ibid.*). Enimvero quia civitates quoque mansuetæ erga se invicem esse debent (§. 951. *ibid.*) & ad condonandam offensam faciles (§ 960. *ibid.*), quando defensio sui non est necessaria (§. 1000. & 1042. *seqq. ibid.*) aut non talis nec tanta, utsi neglectis lenissimis & lenioribus remediis, ad duriora & justo asperiora vel durissima proruit (§. 983. *seq. ibid.*); manifestum est, non omnes injurias sive verbales, sive reales, ejusdem esse census, sed alias esse leviores, quæ spernuntur rectius, quam vindicantur, alias vero graviores, adversus quas opus est defensione vel & pœna, ideoque rectius animadvertuntur, quam contemnuntur & impunes dimittuntur. Sed in utroque genere magnanimitas publica nil facit, nisi quod justum est & æquum (§. 173). Ea propter magnanimitas publica leviores injurias, quas parum cavere & coërcere civitas potest, quantumvis cupiat, & quæ rectius spernuntur, quam animad-

animadvertuntur, sapienter contemnit & nihili facit, tanquam ultione indignas; in cæteris vero cavet sapienter, ne quid nimis, vel ne modum excedat, sed potius lenissima quæque tentet & præmittat, nec nisi gradatim ad duriora progrediatur. Quid? quod sæpe quando vel bello opus foret, sapientius illud remittit in tempus opportunius, quam ut justo quidem sed intempestivo belli periculo civitatem involvat (§. 622. *seq. Jur. Gent.*) & (§. 503. *P. I. Polit.*).

§. 176.

Post officia erga Deum & se ipsum, nihil ista magnanimitate civitati potest esse utilius, nihil magis necessarium. Est enim magnanimitas non nisi justitia & æquitas, erga alias civitates observanda (§. 172.). Sed illa in qualibet civitate permagnæ est utilitatis necessitatisque (§. 169.). Quamobrem cum ab aliis civitatibus plurimum damni & periculi sit metuendum, si vel actu injuria afficiantur, vel iniquitate quadam species injuriæ præbeatur; cum ex adverso plurimum commodi mutuis commerciis & officiis sibi invicem præstare possint, si justitiam, uti par est, ita colant, ut illi, quæ forte infestare alias sibique subjicere vellet, ne obtentus quidem speciosus relinquatur: oppido claret effatum, si ab officiis erga Deum & erga se ipsam mentem avocemus, nihil magnanimitate civitati magis esse decorum salutare & necessarium. *Magnanimitatis utilitas & necessitas.*

Non prætereundum hic est exemplum Aristidis, Atheniensibus principatum pariens inter Græciæ civitates. Qua de re hæc memorat *Nepos in ejus vita c. 2.* Neque aliud est ullum hujus in re militari illustre factum, quam hujus imperii (quo Mardonius in prælio est fusus) memoria. Justitiæ vero & æquitatis, & innocentiæ multa. Inprimis, quod ejus æquitate factum est, quum in communi classe esset Græciæ simul cum Pausania, quo duce Mardonius erat fugatus, ut summa imperii maritimi a Lacedæmoniis transferretur ad Athenienses. Namque ante id

tempus & mari & terra duces erant Lacedæmonii. Tum autem & intemperantia Pansaniæ, & justitia factum est Aristidis, ut omnes fere civitates Græciæ ad Atheniensium societatem se applicarent, & adversus barbaros hos duces deligerent sibi, quo facilius repellerent, si forte bellum renovare conarentur. Supersedeo plura commemorare de hac justitia & æquitate aliis civitatibus præstanda, quoniam de illis uberius actum est *P. I Polit. Cap. 6.*

§. 177.

Quotuplici modo privata magnanimitas exseratur?

Magnanimitas privata vel exercetur a rectore civitatis qua tali erga privatos, vel a subditis erga alios subditos, ejusdem aut alius civitatis. Magnanimitas enim privata publica non est, utpote cui velut alia species adjuncta est (§. 172. *in not.*). Cum ideo exerceatur erga privatum, non vero erga civitatem, haud difficulter perspicitur, posse rectorem civitatis ut talem, hoc est in functione muneris sui, eam exercere erga privatum quendam, sive subditum, sive peregrinum; posse quoque & alium, qui rector civitatis non est, ideoque ut privatus spectandus est, sive munere quodam publico, a rectore civitatis sibi demandato, fungatur, sive minus, erga alium privatum, sive superiorem, sive parem, sive inferiorem, eam in rebus magni momenti exserere, sive alius ille privatus sit ejusdem, sive etiam diversæ civitatis subditus. Cum ergo inter Rectorem civitatis, & eum, qui rector civitatis non est, tertium non detur (§. 28. *Ontol.*): liquet evidentissime, magnanimitatem privatam vel exerceri a rectore civitatis, seu ipsa civitate erga privatum quemdam; vel ab alio privato erga privatum, qui vel ejusdem vel alterius civitatis subditus esse potest.

Maximas res & maximi animi geri ab iis decet, qui remp. regunt, quod eorum administratio latissime patet ad plurimosque pertinet. Sciscit *Cicero L. I. de offic. c. 26.* Est vero & secundum *Aristotelem L. IV. Eth. c. 3.* magnanimitas omnium virtu-

virtutum quasi ornamentum (κοσμοςλις), & autore *Seneca* magnanimitas quemque decet mortalem *L. I. de clement. c. 5.* & nihil æque hominem decet, quam animus magnus *Lib. II. c. 5. ibid.* suas partes habet in utraque fortuna retinendo recta & honesta: quia levitatis est, ut adversas res, sic secundas immoderate ferre, in *officiis Ciceronis L. I. c. 19. & 26.* secundam nempe fortunam temperat, malam & adversam retundit ac despicit aliis admiranda. In bona tamen lætiorem locum habet, meliusque in tribunali sedet, quam in plano conspicitur, *Senecæ* ex sententia *Lib. I. de clem. c. 5.* Magnanimus more magnæ feræ latratus minutorum canum securus exspectat. Idem *Lib. II. de ira c. 32.* Non est magnus animus, quem incurvat injuria *L. III. de ira c. 5.*, ubi & hæc habentur: uti tela a duro resiliunt, & cum cedentis dolore solida feriuntur: ita nulla magnum animum injuria ad sensum sui adducit, fragilior eo, quod petit. Dein *cap. 6.* addit: pars superior mundi & propinqua sideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem, sed omni tumultu caret; inferiora autem fulminant. Eodem modo sublimis animus quietus semper & in statione tranquilla collocatus, infra se premens, quibus ira contrahitur, modestus est, venerabilis & compositus. De magnificentia similia dici possunt, ut & de munificentia. Est quoque, inquit *Vellejus L. II. c. 29.* qui privatis consiliis magna ausus, & magnifice conata exsecutus est. Privatis tamen cavendum esse, monet *Cicero L. I. de offic.* ne extra modum prodeat magnificentia, neve liberalitas dissolutior videatur & luxuria. Sed de his plura jam exponere non attinet, nec hujus est loci.

§. 178.

Probitas (publica) itidem bene maleque factis in civitate tribuit quod ipsis debetur. Notat enim nobis hic probitas justitiam publicam erga omnes in civitate degentes, vel justitiam civitatis erga se ipsam (§. 169.), & justitia est habitus suum cuique jus tribuendi, & strictius tribuendi cuique quod suum est (§. 925. *Probitatis publicæ officium.*

seq. P. I. Jur. nat.). Sed quæ fiunt in civitate, ea vel bene fiunt, vel male (§. 53. *P. I. Phil. pract. univ.*). Ergo probitas publica cum bene tum male factis tribuit quod ipsis debetur, æque ac magnanimitas publica (§. 173.).

Vti supra probitatem diximus die Redlichkeit (§. 163.): ita probitas publica dici posset die Staats-Redlichkeit, vel latiori sensu die Staats-Tugend, vel die Haupt-Tugend in einem Staate. Quoniam enim justitiæ summa est necessitas in civitate (§. 169.): inprimis omnes id curatum in civitate cupiunt, ut sua cuique jura perfecta & privilegia salva maneant atque illæsa, & si quid secus audeatur, ut promta adsit adversus violatores justitiæ medela. Monuimus supra (§. 165. *seqq.*) quomodo curanda sint ea, quæ in justitia vel tam abdita sunt, ut in conspectum aliorum hominum per se prodire nequeant; vel adeo callide occultantur, ut explorari vix ac sæpe ne vix quidem possint. Nunc restat, ut de illis exponamus, quæ cognitioni civili patent.

§. 179.

Invitandi sunt cives ad egregia præstanda.

Probi homines & ingenio præstantiores provocandi excitandique sunt in civitate idoneis invitamentis ad præclare merendum de rep., & ad excellendum in artibus, scientiis & virtutibus. Adjuvandi enim sunt in civitate, quotquot proni sunt ad legem naturæ servandam, curandumque, ne ab aliis ea in re impediantur a quoquam (§ 659. *P. VIII. Jur. nat.*). Sed lege naturali quilibet tenetur omnem facere facultatum suarum usum, quem habere possunt, & ut facere possit, omnem dare debet operam (§. 642. *P. II. Phil. pract. univ.*), & cui amplior est facultatum, virium ac rerum usus & auxilium alienum majus, is ad plura, quam alter his non æque gaudens, præstanda obligatur (§. 177. *P. I. Jur. nat.*). Cum omnem teneamur facere usum facultatum nostrarum, qui ad perficiendum mentem, corpus, & statum hominum aliorum & ad arcenda his contraria requiritur, quatenus is absque neglectu officii erga nos ipsos fieri potest

§. 609.

(§. 609. *illi*): perspicuum est, in civitate probos & dotibus naturalibus præstantiores idoneis invitamentis provocandos excitandosque esse ad eas quam optime perficiendas, ad præclare merendum de salute publica, & generatim ad excellendum in quibusvis artibus, scientiis, virtutibusque (§ 353. *Oecon.*), cum ipsius laudem præstantiamque præ aliis arguat, eoque majorem & famam & affluentiam rerum conciliet, quo pluribus gaudet, in omni vitæ genere excellentibus viris hominibusque (§. 51. 54. *Jur. Gent.*), & optimos quosque æmulatur (§. 354. *Oecon.*).

§. 180.

Bonis actionibus eorum, qui in civitate degunt, debetur ordinario jure approbatio & laus, patrocinium, & remotio impedimentorum cum generali emolumento salutis communis; extra ordinem vero præmia civilia promerita, tanquam redhostimenta. Bonæ enim actiones congruunt cum legibus divinis (§. 152. 175. 277. *seq. P. I. Phil. pract. univ.*) & cum salute publica (§. 40. *seq. P. I. Polit.*), præterquam quod & privatim felicitati & perfectioni singulorum inserviunt (§. 396. 398. *seqq P. I. Phil. pract. univ.*). Actiones vero ordinariæ dicuntur, quæ quotidie ab omnibus fieri debent sui & communis boni causa. Jam approbatio infert judicium, in hoc casu publicum, quo actio bona censetur (§ 588 & 673. *P. I. Phil. pract. univ.*). Vnde actionibus bonis ordinariis publicam seu omnium deberi approbationem & laudem cogitur (§. 541. *seqq. P. I. Jur. nat.*).

Ordinarium & extraordinarium bonis actionibus officium justitiæ.

Patrocinium dicimus non tantum favorem alterius bene agentis vel nobis placentis, qui inter affectus comparet (§ 791. *seq. Psychol. empir.*), sed charitatem superiorum erga recte se gerentes, ipsisque propterea addictos, quos *clientes* dixere majores. Continet ergo patrocinium simul tutelam seu defensionem adversus malevolos, & provectionem fortunæ ac adju-

mentum, quo indigent agentes ad ulteriorem actionum suarum perfectionem (§. 387. *Oecon.*). Sed compertum habetur, in civitate operam esse navandam, ut qui proni sunt, ad servandam legem naturæ, quibuscunque fieri potest modis adjuventur (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*). Quare elucescit, bonis actionibus eorum, qui in civitate versantur, etiamsi essent peregrini, ordinario jure patrocinium publicum deberi, quo & protegantur & adjuventur fortunenturque, quantum fieri potest.

Præterea civitati curæ cordique esse debet, ut communis omnium felicitas promoveatur, ac quilibet tutus præstetur ab injuria alterius, & a metu injuriæ ac vis externæ (§. 394. *P. VIII. Jur. nat.*). Idcirco res constituendæ ita sunt, ne boni ab aliis in servanda lege naturali impediantur, & ut cæteri vi adigantur, ad actus externos minimum legi naturæ conformandos (§. 395. *ibid.*). Quapropter apparet, inter ea, quæ bonis actionibus in civitate universe debentur, esse quoque remotionem impedimentorum recte agendi, quanta conjunctis viribus comparari potest.

Denique cum omnes ac singuli communis boni & salutis publicæ causa in civitatem coëant (§. 35. *seq. P. I. Polit.*); & salus publica importet præter remedia felicitatis & rerum, quibus homines indigent, copiam omnibus suppetentem (§. 10. *P. VIII. Jur. nat.*), tranquillitatem & securitatem vitæ (§. 13. *ibid.*): civitas quoque ita constituenda est, ut cuique in ea emolumenta communis boni pateant, qui illis legitime studet (§. 15. *ibid.*), & ut quiete bonis suis, ut suis, communibus ut communibus fruatur (§. 17. *ibid.*). Pertinet igitur ad ea, quæ ordinariis actionibus bonis in civitate debentur, fruitio dulcis emolumentorum, quæ in salute publica continentur. Hæc hactenus sunt communia merita de rep. & communia atque ordinaria commoda inde oriunda.

Quisquis vero ultra hæc vulgaria & ordinaria extra ordinem singularibus actionibus bonis de salute publica bene meretur, itaque meritis eximiis eminet, huic plura solitis præsidiis vitæ & emolumentis communibus pervulgatisque deberi, per se est manifestum. Cum obligandi sint & provocandi cives ad præclare de rep. merendum (§. 179.), & obligatio civilis ad egregia facta præmiorum promissione & distributione constituenda (§. 298. *P. I. Phil. pract. univ.*): oppido patet, extraordinarias & insignes actiones bonas publicæ rei proficuas, earumque habitus, præmiis promeritis tanquam redhostimentis esse condecorandas, & si earum autores vel jam sint vita functi, vel non indigeant illis, ob præclara ipsorum merita in remp. beneficia conferenda esse in ipsorum liberos cognatosque (§ 659. *P. VIII. Jur. nat.*).

Nonnihil horum inculcat *Cicero L. I. de offic. c. 5. & 7.* Vbi postquam de perspicientia & indagatione veri dixerat eum, qui maxime perspicit, quid in quaque re verissimum sit, quique acutissime & celerrime potest, & videre & explicare rationem, prudentissimum & sapientissimum rite haberi, pergit: reliquis autem tribus virtutibus necessitates propositæ sunt, ad eas res parandas tuendasque, quibus actio vitæ continetur, ut & societas hominum conjunctioque servetur, & animi excellentia magnitudoque, cum in augendis opibus utilitatibusque & sibi & suis comparandis, tum multo magis in his ipsis despiciendis eluceat . . . Justitiæ primum munus est, ut ne cui quis noceat, nisi lacessitus injuria; deinde ut communibus utatur pro communibus, privatis, ut suis. *Cap. 15.* ait de delectu in beneficentia habendo: neminem omnino esse negligendum, in quo aliqua significatio virtutis appareat; colendum autem ita esse quemque maxime, ut is maxime virtutibus lenioribus est ornatus, modestia, temperantia, justitiaque.„ Referenda huc quoque sunt, quæ (§. 165 - 168.) præcipiuntur.

§. 181.

§. 181.

Idem in malis actionibus.

Quia malæ actiones non sunt bonæ (§. 53. *P. I. Phil. pract. univ.*), malis actionibus nequeunt eadem deberi, quæ bonis, sed necesse est, ut illis contraria debeantur. Debent ergo *malæ actiones ordinariæ in civitate improbari & vituperari, carere patrocinio, sapienter impediri, quantum fieri potest, & nocere suis autoribus adjutoribusque; quæ autem extra ordinem nocent saluti puclicæ læduntque aut singulos aut universos seu civitatem, itaque ferenda non sunt in civitate* (§. 647. *seqq. P. VIII. Jur. nat.*), *ea pœnis promeritis sunt prosequenda & arcenda, quam optime licet* (§. 180.).

Debentur illa cuique, quæ actione sua meretur, vel ad quæ alii propter illam obligantur (§. 785. *P. I. Phil. pract. univ.*), cum debitum non sit, nisi ad quod alteri obligamur (§. 170. *ibid.*). Inde non nisi ea debentur actionibus seu bonis seu malis, ad quæ alii propter illas erga agentem obligantur. Ex quo principio deducere licet, quæcunque in officio justitiæ exercendæ in utrumque genus actionum continentur.

§. 182.

Quid sint præmia publica?

Præmia publica dicuntur hujusmodi bona, quibus civitas remuneratur actiones ad salutem publicam præ cæteris facientes; vel si licet remunerationem bene meritorum redhostimentum vocare, sunt redhostimenta publica; quæ ideo a privatis dari nequeunt, saltem non nisi publica autoritate dantur. Esse illa præmia non nisi positiva, planum est ex (§. 312. *P. I. Phil. pract. univ.*).

Vera igitur præmia publica non cadunt, nisi 1) in actiones bonas, eorumque autores, adjutores, & hæredes, 2) actiones illæ facere debent ad salutem publicam seu conservandam seu ampliandam, nec tamen quotidianæ & communes plurimis, sed egregiæ esse, quæ rariores, singularesque esse, & plus valere intelliguntur ad publicam salutem, quam vulgares illæ, quibus communia illa earum emolumenta sufficiunt (§. 180.). 3) Dari debe-

debent in remunerationem vel compenſationem bene de rep. meritorum. Neque enim deceret civitatem, neque juſtum eſſet, gratuita poſſe merita publica, cum viciſſim dare ſeu reddere paria bona vel majora poſſit (§. 268. *P. IV. Jur. nat.*), quia bonum bono rependendum referendumque ſit lege naturali (§. 806. *P. I. Jur. nat.*). Neque præmium tum foret, cum merces eſſet pacto conventa, vel ſtipulatum æquivalens aut honorarium, ubi perfecta adeſſet ad id dandum obligatio (§. 295. *P. I. Phil. pract. univ.*). 4) Si de perfecta civitatis obligatione quæratur, eſt præmium indebitum, atque extorqueri a nemine poteſt, quia civitas ad illud conferendum perfecte non obligatur. Sed internam obligationem agnoſcens, illud tribuit, quando aliis officiis potioribus non impeditur. Ea propter remuneratio dicitur ſeu munus publicum pro alio munere, donum publicum loco alterius doni grato animo datum, vel & liberaliter promiſſum iis, qui in dato caſu de rep. bene ſint merituri. 5) Licet detur propter merita, & eorum cauſa tantum debeatur (§. 785. *ibid*); id debitum tamen eſt imperfectum & judicio civitatis relinquendum, quando & quomodo id ſit præſtandum, nec ne. 6) Datur præmium civile ob præclare facta præterita ſeu merita egregia, ideoque ad remunerandum meritum; ſed ſimul quoque dari debet ad incitandos alios, ac ipſos meritorum autores ad ſimilia aut majora merenda. Et eatenus præmia invitamenta quoque ſunt ad præclare merendum de civitate: ideoque & promitti poſſunt & proponi his, qui ita ſunt merituri, uti ſalus civitatis flagitat. Neque enim promittuntur niſi ex liberalitate & munificentia, quæ lautiora dat, ac valere res videatur; neque niſi ex eadem dantur tanquam dona promiſſa. Per ſe vero liquet, hæc præmia eſſe humana, atque differre a privatis, quibus privatus homo alium privatum afficere poteſt.

§. 183.

Præmia publica nequeunt conſiſtere niſi in bonis humanis, quæ præſertim bona fortunæ civilia appellantur. Præmia enim publica (*Wolfii Politicæ P. III. S. I. C. III.*) Cc tribu-

In quo conſiſtant præmia publica?

tribuuntur a civitate bene ac egregie merentibus (§. 182.). Enimvero civitas eſt ſocietas hominum publica ſibi ſuffectura (§. 4. *P. VIII. Jur. nat.*). Homines vero quotquot fuerint, illi aliis auferre non poſſunt, niſi bona corporis & externa (§. 588. *ibid.*); ſed dare ne quidem bona corporis poſſunt nec reddere amiſſa, licet ad ea conſervanda, a periculis liberanda, & excolenda non pauca conferre poſſint, uti quisque in ſe id experitur. Pariter quoque naturalia animi dona a nemine cuiquam tribui poſſunt; ſed ad earum culturam & habitus adquirendos conferre multa queunt. Illa vero bona, quæ in hominem ab homine proficiſci poſſunt, vel quorum adquiſitio ab aliis hominibus ſaltem eorum ope dependet, bona dicimus humana; uti quæ non niſi a Deo dantur, divina nuncupantur. Hujusmodi potiſſimum habentur in bonis fortunæ (§. 556. *Pſychol. emp.*). Quare intelligitur, præmia publica non poſſe conſiſtere, niſi in illis, quæ ab homine proficiſci ſaltem perfici posſunt, hoc eſt in bonis humanis, & præcipue in bonis fortunæ, humanæ vel civitatis poteſtati ſubjectis, unde civilia dicuntur.

§. 184.

Quem ſtatum hominis perficiant?

Præmia publica indirecte quaſi ſtatum hominis internum perfectiorem reddunt, directe autem tantum ſtatum ejus externum. Conſiſtunt enim duntaxat in bonis humanis, quæ civitatis poteſtati ſubſunt (§. 183.). Enimvero homines proprie nemini dare posſunt vel dotes animi, vel corporis, quibus deſtituitur; ad ſummum ſua opera ad conſervationem & culturam harum naturæ Deique dotium aliquid ita conferre valent, ut & quod conferunt dependeat potiſſimum ab interno captu & ſtudio. Quemadmodum publica inſtitutione animi erudiuntur non pro voto docentium, ſed pro captu & ardore diſcentium, præclaro, aut exiguo & hebetiori. Neque Poliatri vitam aut ſanitatem reddere ægris valent, uti cupiunt, ſed uti hi capere vires medicamen-

camentorum, eorumque adjumento vincere caufas morbi valent, aut iisdem vincuntur. Oblique ergo quafi & aliquatenus civitas ftatum internum aliorum perfpicere valet.

Quoad bona fortunæ autem, quæ in civitatis poteftate funt, illa pro lubitu fuo conferre valet in merentes, qui ea admittere feu recipere non detrectant. Quia agens direćte illa velle dicitur, quæ novit ex actione fua fecutura effe, & vult, ut ex illa fequantur, uti indirećte velle perhibetur, quæ ex illa actione fequi poffunt & non poffunt (§ 621. & 623. *P. I. Phil. pract. univ.*): dilucidum eft, civitatem præmiis publicis direćte tantum bene merentium ftatum externum perficere poffe, quando illi recipere præmia dignantur. Quæ conditio & in priori cafu locum habet.

§. 185.

Præmia publica triplicis generis sunt.

Præmia publica ufitatiora funt gratia omnium, dignitates, & opes publicæ. Perficiunt enim præmia publica direćte & potiffimum ftatum hominum externum (§. 184.) bonis fortunæ (§. 183.). Sed bona fortunæ triplicis funt generis, amicitia, honores & opes (§. 380. *Oecon.*). Amicitia fumma h. e. publica, eaque plurimorum inprimis fuperiorum & potentiorum dici confuevit *gratia*. Honores civitatis publici, excellentiam fupra alios tribuentes dicuntur *dignitates publicæ* (§. 205. *P. VIII. Jur. nat.*). Rerum denique externarum utilium affluentia & copiæ *opum* nomine veniunt. Relinquitur inde, præmia publica effe gratiam omnium, dignitates civiles & opes publicas vel e rep. oriundas.

Bona aut interna funt, aut externa, quorum illa *Ariftoteli* bona naturæ, hæc fortunæ dicuntur *L. I. Rhet. c. 4.* Bona naturæ aut in animis, aut in corporibus habentur *L. I. Nicomach. c. 8.* Bonorum animi ea eft præftantia, ut fua vi nos alliciant ad fefe, & propter fe fuamque vim & naturam fint expetenda,

quæ honesta dicuntur, quod genus scientia, veritas, virtus est. Quæ autem tantum aliquo emolumento nos captant, & propter fructum petuntur, ea utilia dicuntur. Alia & his juncta, ex parte propter se petuntur, quatenus juncta sunt honestis, itaque sua vi & dignitate nos inductos ducunt, ex parte præ se quandam gerunt utilitatem, quo magis expetantur, ut amicitia & bona existimatio. *Cicero L. II. de invent. rhet. c. 52.* Ita & *Partit. or. c. 24.* Bona propter se expetenda dicit sita in officiis atque virtutibus: eorum partim honestate ipsa, partim commoditate aliqua expetuntur. Honestate ea, quæ proficiscuntur a virtutibus; commoditate aliqua, quæ sunt in corporis aut fortunæ bonis expetenda, quorum alia sunt cum honestate conjuncta, ut gloria & honos; alia diversa, ut vires, forma, valetudo, nobilitas, divitiæ, dientelæ. Est etiam quasi quædam materies subjecta honestati, quæ maxime spectatur in amicitiis. Amicitiæ autem caritate & amore cernuntur. *Cap. 59. de Inv. or.* extrarias res dicit honorem, pecuniam, affinitatem, genus, amicos, patriam, potentiam & cætera, quæ simili in genere esse intelliguntur. Quæ omnia si penitius examines vel redeunt ad res, vel ad personas. In personis aliis aut amor aut honor occurrit. Ille amicitiam amplam ac gratiam, hic dignitatem civilem parit. In rebus vero sunt, quæcunque aliquid emolumenti adjunctum habent, quo nobis prosint, ut opes & copiæ. Gratia est copia amicorum, *in Verrem. I. 25.*

§. 186.

Documenta gratiæ.

Quia gratia est amicitia summa (§. 185), non potest non gratiæ inesse insignis benevolentia, alterius felicitatis non sui sed illius causa studiosissima ac cupidissima, summa integritas, fides, fiducia, consensio in officiis, communitas & facilitas communicandi læta quæque & adversa, officiositas, studium gratificandi, superandi & præcurrendi alterius spem & vota. Præterea complectitur gratia omnes omnium charitates, apertum pectus; verecundiam vel faciendi quod jure displiceat, vel postu-

postulandi quidquam, vel probandi, a virtute alienum, justitiam, æquitatem, humanitatem, comitatem, beneficentiam, liberalitatem, veniam offensionis promtam, paritatem morum & studiorum honestorum, exæquationem velut sortis, qua superior se parem inferiori ducit ac præbet, nec inferior dolet, se alterius præstantia superari, favorem, præsidium, refugium, patrocinium, solatium, vicissitudinem officiorum & certationem de principatu in remuneratione beneficiorum, adjumentorum, opportunitatum, commoditatum, securitatis, suavitatis ac jucunditatis vitæ propensionisque ad bene ac præclare merendum, & vitam velut mortuis reddendam desiderio, memoria, honore perenni.

§. 187.

Modus gratiam conse- quendi & retinendi.

Est quidem gratia non in nostra, sed in aliorum potestate; constans tamen non nisi egregiis virtutibus nostris merenda seu adquirenda est & continuanda. Est enim illa amicitia summa & publica (§. 185.). Sed amicitia est mutuus plurium amor (§. 625. *P. I. Jur. nat*), ac mutua charitas simul si genuina requiritur (§. 635. *ibid*). Licet vero bonum fortunæ sit (§. 773. *ibid.*), tanquam adjumentum nostræ felicitatis tamen adquirenda est & conservanda (§. 636. *ibid.*), cavendumque, ne alios nobis reddamus inimicos (§. 634. *ibid*). Quoniam tamen penes alios est, num nos amare & diligere velint ut se ipsos, licet ad hæc officia obligentur (§. 618. *seqq ibid.*): illa non tam in nostra, quam in aliorum est potestate, uti omnia fortunæ bona, & honor (§. 539 *ibid.*) & (§. 174. *P. V. Ethic.*). Quoniam ad amicitiam aliis conciliandam apti sunt homines & obligantur (§. 762. *ibid.*), item conferre debent, quidquid valent, ut amicitia aliorum conservetur (§. 763. *ibid.*), & cavere, ne alios alteri inimicos reddant (§. 764. *ibid.*), inimicos vero ipsis reconcilient (§ 765. *ibid.*): gratia quoque plurimorum & illustrium ac summorum

virorum, aliorum ope augeri, amplificari, ac conſervari poteſt & debet (§. 186.). Quatenus ergo in aliorum poteſtate eſt, ut merentes apud alios quoscunque præſertim ſuperiores in gratia ponant, eatenus ad id diligenter cauteque faciendum obligantur; neque minus reducere & reſtituere, quos poſſunt, in aliorum gratiam obligantur.

Sicut amicitia vera ſine virtute non datur, & quodlibet vitium eidem adverſatur (§. 179. *P. V. Ethic*), nec firma eſſe & conſervari ſine ea poteſt (§. 195. *ibid.*): ita & conſtans gratia non niſi egregiis virtutibus merenda, iisdemque ſolis adquirenda eſt & retinenda. Virtutum ergo inſignium illuſtriumque meritorum ſtudio gratiam aucupari & amplificare oportet eum, qui ſuis circa illam partibus deeſſe nolit. Virtutibus editis redeundum eſt cum illis in gratiam quantocyus, qui ab illa receſſerunt. In primis beneficiis dando faciendoque longe lateque ſparſis amplitudo gratiæ ineunda, quæ publica dicenda ſit, iisdemque continuatis perpetuanda. Quo majores ergo ſunt virtutes, quæ gratiam pariunt & merentur, eo quoque cæteris paribus gratia major erit; & quo longius & pluribus virtutes ſe impertientur, quoque frequentius exercentur in aliorum & totius civitatis emolumenta & ornamenta: eo amplior gratia evadet. Vnde quomodo omnes gratias, magnas & maximas, amplas & ampliſſimas mereri liceat, innoteſcit. Vt vero fruamur omnium gratia, ad id eorum voluntas officioſa accedat oportet, tanquam fortunæ & civitatis donum.

Inter facta ex virtute profecta illa potiſſimum gratiam ab omnibus ineunt, quæ plurimum habent admirationis, nec minus humanitatis & beneficentiæ erga quoscunque. Quæ cum gradibus multum differant, tum quoque ab opportunitate temporis & loci, & a magnitudine periculi quo cum conjuncta ſunt, mul-

tum gratiæ fœnerantur. Vnde summa gratia summam dicit omnium amicitiam, summum gratificandi studium, ad nutum intentissimum, & desideria præcurrens superansque (§. 186.). Patet vero simul, quo solidior gratia est, eo magis illam esse in potestate & officio & merentium & tribuentium, dum in officio manent, & eo minus illam bonis nudæ fortunæ accensendam esse, quanquam aliquid semper fortunæ in illam liceat, seu consequendam, seu perdendam, seu recipiendam.

§. 188.

Ad gratiam rite merendam invitare debet ejus inter bona fortunæ præstantia, & propter arctissimum cum virtute nexum, & propter summam utilitatem. Bona fortunæ procul dubio eo altiori in gradu collocanda, eoque majoris facienda sunt, quo magis nostræ subsunt potestati, & quo majoris ampliorisque sunt usus. Cum virtus sola perfecte subsit nostræ potestati (§. 175. *P. I. Jur. nat.*), ideoque omnes ad eam colendam obligentur (§. 278. *ibid.*): bona fortunæ quoque eo magis erunt in nostra potestate, quo magis a virtute dependent, eoque majori gaudebunt præstantia, quo magis earum adquisitio nostræ libertatis usui debetur, & quo minus eripi ex eadem adquisita poterunt. Patet vero per § 187. gratiam non nisi egregiis virtutibus comparari conservarique, ideoque illam arctissime cum virtutibus esse connexam. Gaudet ergo gratia publica præcipuo inter bona fortunæ loco. *Commendatio gratiæ.*

Maxima vero illius utilitas non solum ex indole amicitiæ penitius excussa innotescit, verum etiam ex illius in cætera fortunæ bona influxu. Amicitia enim obvia & exposita est ad amici felicitatem, quam pro suamet habet, procurandam, tutandam, augendam; infelicitatem vero ejusdem & quamvis adversitatem avertendam, quantum vires suppetunt (§. 172. *P. V. Ethic.*). Licet igitur amicitia ex utilitate non sit metienda (§.

190.

190. *ibid.*); eſt tamen utilitas ſumma veræ amicitiæ fructus certiſſimus, isque eo major, quo amicitia eſt major & amplior (§. 189. *ibid.*). Qua de re cum gratia publica ſit & maxima amicitia, illa quoque maxima ſeſe commendat utilitate (§. 186.). Quod vero eadem quoque faciat ad reliqua fortunæ bona adquirenda, conſervanda & amplificanda, id luculenter loquitur ortus cæterorum fortunæ bonorum. Quid enim magis & citius valet ad adquirendas dignitates civiles, opesque & reditus publicos quam gratia eorum, qui hæc conferre, aut collatoribus commendare dignos poſſunt.

Gratia, inquit *Cicero de Invent. L. II. c.* eſt, in qua amicitiarum & officiorum alterius memoria, & alterius remunerandi voluntas continetur.„ Recte factorum, conſultorum, & ſermonis gratia omnes delectat, tenet & impellit ad eum juvandum, beandum, fortunandum, colendum, prout mereri intelligetur. Vnde gratioſi omnibus ſunt cari, accepti, jucundi, omnium in oculis geruntur, omnium obſequiis & ſtudiis abundant & auxiliis, apud omnes æque tuti ac domi ſuæ, ideoque potentes & plurimum valent inter eos, quorum gratia pollent ac rite utuntur. Cæterum omnis ævi monumenta teſtantur, quantum gratia florentes multitudinis & potentiorum valuerint ad ſalutem publicam ſuamque rem privatam bona cæterorum gratia mirifice adornandam, augendam, tuendam ſtabiliendamque, dum ea recte ſunt uſi.

§. 189.

Quo loco habeantur dignitates civiles?

Proximum a gratia locum tenet inter fortunæ bona honor atque gloria, unde in civitate exſiſtit dignitas publica. Honor enim eſt declaratio exiſtimationis de quopiam, & exiſtimatio continet aliorum judicium de nobis benignum, quale eſt quod præſtantiam nobis tribuit (§. 538. *P. I. Jur. Jur. nat.*). Quia declaratio fit per actus externos, honor *l. c.* conſiſtere perhibetur in acti-

bus

bus externis, quibus existimatio significatur. Si actus externi, existimationem perspicue significantes, h. e. declarantes, verbis absolvuntur, laudatio vel laus dicitur iste honor, qui alteri habetur, quæ est oratio, alterius præstantiam enarrans (§. 541. *ibid.*). Vnde laus benigna de altero judicia recenset. Cæteri actus eum declarantes, cultus appellantur. Quatenus illa laus est pervulgata, seu in communi hominum sermone versatur, fama bona appellatur, pro gradibus præstantiæ nunc magna & ampla, nunc parva & arcta, secundum reliquos quoque comparationum gradus appellatur, & ratione virtutum intellectus præstantiorum celebritas audit (§. 553. *ibid.*). Quia vera existimatione, ejusque declaratione utcunque prodenda nemo dignus est, nisi vera præditus præstantia perfectionis præsertim adquisita (§. 544. *ibid.*); & adquisitæ dotes elegantiores sunt habitus legitimi, seu virtutes cujuscunque generis, de quibus non nisi ex earum indiciis & factis statuere valemus; elucet jam, existimationem, honorem, laudem, bonam famam & celebritatem veritate nitentem proficisci e virtutibus, nec nisi his deberi. Eatenus ergo finitimus est honor gratiæ germanæ.

Verumtamen quia honor nondum amicitiam infert, sed ab illa sejunctus esse consuevit, quamvis similiter ex virtute proficiscitur, ut ex comparatione definitionum liquet (§. *hoc* & 185. *seq.*), dulces & amplissimi gratiæ fructus (§. 187. *seq.*) ex solo honore nondum nascuntur, etiam si honor sit verissimus. Plus ergo boni & beneficii & emolumenti inest gratiæ publicæ, quam honori itidem fortunæ dono (§. 688. *P. I. Jur. nat.*), etiamsi largo & permagno. Secundo igitur & proximo a gratia genuina loco collocandus esse honor quantuscunque vel eatenus intelligitur, quatenus ansam dare amori & amicitiæ tantæ potest, quanta in gratia habetur.

Gloria vel ſpectatur ut affectus, in gaudio ob benignam aliorum de nobis opinionem poſitus (§. 765. *ſeq. Pſych. empir.*), oriturque ex noſtra opinione, alios, quæ fecimus vel habemus, bona eſſe exiſtimaturos (§. 769. *ibid.*), ideoque confuſæ debetur cognitioni; vel derivatur ex diſtincta cognitione, notatque complexum attributorum inſignium intelligentum (§. 610. *P. I. Theol. nat.*). Vtrobique igitur habetur benignum aliorum de quopiam judicium, ibi opinatum, hic certo perſpectum, quod ejus veris bonis debetur, præſertim adquiſitis. Qua propter & vera gloria non nititur niſi virtutibus præclaris, aut minimum bonis aliunde non acceptis, ſive quatenus non in acceptis referuntur, ſed potius in expenſis atque cum aliis communicatis. Hinc de gloria idem valet, quod de honoribus eſt oſtenſum.

Dignitas generatim eſt præſtantia, qua quis alios ſuperare intelligitur, debeturque meritis, h. e. quadamtenus eximiis dotibus inſitis vel connatis, præcipue vero rite adquiſitis & ſtudio ſuo partis. Publicam vero dignitatem ipſa tribuit civitas, vel quisquis fuerit ejus rector (§. 205. *P. VIII. Jur. nat.*). Ea propter id infert judicium civitatis ſeu publicum de alterius excellentia, qua alios anteit vincitque. Hoc quid eſt, niſi exiſtimatio publica, & honor publicus, cuiquam tributus? Valent ergo eadem de dignitate qualibet civili, quæ modo vindicavimus honori exiſtimationique quantæcunque, ipſique *admirabilitati*, tanquam excellentiæ, vix ſatis mente noſtra aſſequendæ, aut ne vix quidem. Cujus admirabilitatis ſummus gradus eſt neſcia comprehendi indoles (§. 170. *P. I. Theol. nat.*); nec perſcrutanda (§. 731. *ibid.*), & *incomparabilitas majeſtatis*.

Quando de aliis hominibus judicamus, perpendentes & conſiderantes, quæ in ipſis deprehendimus, veritate explorata perſpicimus, quænam illis tribuenda ſint, quæ minus. Qui neſciunt, quid

quid in his verum falsumque sit, & vel temere opinantur tantum, vel ex affectu quodam aut errore præcipitant judicium, illi inepte judicant & errant. Vero igitur judicio cuique tribuitur, quod ipsi inesse intelligitur, atque ex justitia & æquitate, nil temere ipsi derogatur, quod inest, nec affingitur, quod non inest, & in dubio præfertur, quod est benignius. Officio igitur naturali tanti quoque fit, quanti est (§. 647. *P. I. Jur. nat.*), & ratione eorum, quibus ipse gaudet, nos caremus, vel alii destituuntur, nobis præponitur & aliis antefertur. Hoc judicium, quod id, quod ipsi est & omnino sentiendum est, lubentes ipsi tribuimus tacita mente, ejus est *existimatio*, qua eum tanti pendimus & facimus, quanti revera est, & fieri omnino meretur. Appellatur illa æstimatio ejus, quanti est, quoque *dignatio* ejusdem, quia dignus est, qui tanti fiat; quæ suos admittit gradus, ut majoris, pluris, maximi & plurimi fieri dicatur. Vnde ea bona ipsius seu naturalia seu parta industria & cultura naturalium, propter quæ dignationem illam meretur, ejus dignitas vocatur (privata). Quæ dignitas quando autoritas dicatur, dictum est (§. 805. *Oecon.*). Quando ea actionibus externis declaratur, illæ vel constant verbis honorificis, cujusmodi sunt laudes, prædicationes, præconia, encomia, elogia, panegyrici sermones, commendationes, testimonia, vadimonia, gratulationes. Quæ dum diffunduntur & a pluribus oriuntur, approbantur & propagantur, oritur collaudatio, congratulatio, fama, celebratio, amplitudo, illustre nomen, longe lateque sparsum & immortalitati dicatum. Cæteri actus externi redeunt ad gestus honorificos & reverentiam testantes, uti si honorifice assurgant vel consurgant omnes, salutent, deducant, reducant, locum honoratiorem tribuant &c., & ad facta honorifica, observantiam, monumenta honori & memoriæ destinata, ornamenta & decoramenta, cohonestationem publicam testantia. His denique accedunt dignitates publicæ tanquam insignia quædam honoris publice decreti, de quibus plura erunt commemoranda.

§. 190.

Dignitates civiles, sacræ & literariæ.

Dignitates publicæ triplicis sunt generis, civiles, sacræ & literariæ. Dignitas enim eſt præſtantia, qua quis meritis alios antecire intelligitur, quæ ſi a civitate cuiquam attribuatur, publica audit (§. 189.). Quia merita in remp. alia ſunt in religionem, quæ ſacra dicuntur; alia in eruditionem, ſcientias & artes liberales, quæ ſunt literaria; alia vero in ſtatum civitatis communem, ejusque ſalutem ſecundariam, quæ civilia appellantur: dignitates quoque publicæ aliæ erunt civiles, aliæ ſacræ, aliæ literariæ, meritis enumeratis reſpondentes.

Tria in civitate potiſſimum ſpectanda ſunt, officia erga Deum, ſe ipſum, & alios homines. Illa curat religio, media literatura, hæc civitatis ejusque ſalutis adminiſtratio. Vel alia felicitatem reſpiciunt & procurant ſalutem primariam tum ope intellectus in re literaria & artificiali, tum ope voluntatis in rebus religioſis; alia ſalutem ſecundariam in rebus civilibus. Quare & merita vel feruntur in rem literariam, vel ſacram, vel civilem. Si cui hoc magis arridet, dicat virtutes in republ. provehendas, eſſe honeſtatem externam, & internam ratione intelligentæ & voluntatis præſertim in pietate perficiendæ. Quarum prima requirit merita civilia, ſecunda literaria, tertia religioſa ſuis præmiis & dignitatibus provocanda & condecoranda.

§. 191.

Dignitates vel fructuoſæ ſunt, vel infructuoſæ.

Sunt publicæ dignitates aliæ ſteriles nudæ, quibus nil niſi honor tribuitur merentibus; aliæ aliis fortunæ bonis junctæ, quæ veſtitæ dici poſſunt vel fructuoſæ. Illæ ſunt ſolutiores, hæ adſtrictiores, dum conjunctæ ſunt cum operis quibusdam civitati præſtandis. Hæ operæ publicæ vel gratis ſunt obeundæ ſolius dignitatis publicæ cauſa; vel cum remuneratione quadam conjunctæ ſunt, prout perſonarum & rerum ratio fert. En ſteriles, fertilesque dignitates.

Vidi-

Vidimus supra, professiones publicas extraordinarias dari, quibus raro salaria adjunguntur. Ita notum est, dari steriles Episcopos, quos dicunt in partibus infidelium, qui nomine quidem episcoporum & honore episcopis tributo fruuntur, sed episcopatu carent, tum quoad functiones in eo obeundas, tum quoad fructus reditusque, qui nulli sunt.

§. 192.

Dignitates steriles non sunt nisi tituli, seu nomina honoraria, & prior seu potior locus. Dignitates nimirum infructuosæ nil tribuunt nisi honorem merentibus (§. 191.); honor autem est declaratio existimationis, qua quenquam prosequimur (§. 179.). Declaratio illa fit per actus externos, & potissimum per clara verba (§. 538. *P. I. Jur. nat.*) & laudes (§. 541. *ibid.*). Quia vocabula, quibus homines honoris causa compellantur, dicuntur nomina honoraria & decora; patet, dignitates steriles non esse nisi nomina honoraria & laudis. Cum tituli sint vocabula, quibus designatur præstantia meritorum in remp. (§. 763. *P. VIII. Jur. nat.*), quæ quatenus vocabula sola nullum ferunt fructum: steriles dignitates quoque non sunt nisi tituli; licet sint nomina, quibus munera in rep. designantur, & tribuantur aliis ideo, ut indicent, eos æquiparari his, qui tali munere funguntur.

Steriles sunt tituli & loci assignati.

Prior locus, vel quisquis honoratior ducatur, in consessu & incessu, alias proëdria & præcedentia vocatur, quæ jus prioritatis dicitur in ordine a pluribus simul observando (§. 764. *P. I. Jur. nat.*). Concesso alteri in conventibus priori ceu honoratiori loco significatur, nos agnoscere ipsius in remp. merita, ac de iis stare judicio superioris, itaque nos ipsi exhibere honorem, quem judicio superioris meretur (§. 538. *P. I. Jur. nat.*). Est igitur concessus alteri locus prior, declaratio honoris, publicaque dignitas (§. 179.) & (§. 765. *P. VIII. Jur. nat.*).

nat.). Sed quia prior & quisque locus per ſe nemini quidquam fructus tribuit, nec neceſſarium præſtantiæ judicium eſt, ſed arbitrarium: dignitates ſteriles quoque dantur in potiori loco in conventibus tribuendo, ſive ſtetur, ſive ſedeatur, ſive procedatur utcunque.

Sæpe loci priores æque ac poſteriores loci in proceſſione ſolemni nequaquam habentur pro potioribus honoratioribusque, ſed is honor tribuitur loco cuidam medio circiter. Vti regis introitum in urbem & præcedunt inferiores ipſo & ſequuntur, iique tanto ſunt inferiores, quanto longius ipſum antecedunt, & tanto jam ſuperiores, quanti ipſi ſunt propiores. Taceo alibi gentium alia loca cenſeri potiora ſeu honoratiora, ut ibi inferiora ſint, quæ alibi ſuperiora cenſentur. Interim ubi judicio publico loci priores cum alio vero jure præſtantiæ connexi ſunt, ibi id jus loci prioris nonnihil in receſſu habet, nec contemni poteſt niſi ſpreta autoritate publica, quam ſpernere nefas foret. Munera v. g. publica, quæ a pluribus, cæteroqui paribus, geruntur, jure prærogativæ gaudere ſolent, ut *qui prior eſt tempore*, h. e. prius electus eſt & admotus ad illud, *potior ſit jure*, in ſententia dicenda, ſæpe in ampliori reditu, in ſpe ulteriorum & adſcenſu ad majores dignitates, proventus, aliaque emolumenta. Merito tamen intervallum ſtatui ſolet inter loca cum muneribus conjuncta, & eorum, qui vel ſpe tantum gaudent, in poſterum exſpectandi & adipiſcendi ejusmodi munus, vel & ea ſpe atque eo jure ad rem deſtituuntur, & ultra titulum nil ſeu cupiunt ſeu adepturi ſunt. Quod & ideo conſultum eſt, ut quid res & ſpes, vel res & nudum ejus nomen differat, ab omnibus intelligatur.

§. 193.

Quibus tituli ſint conferendi?

Ne tituli evileſcant, tribuendi ac conferendi non ſunt, niſi bene meritis, cujusmodi ſunt 1) *qui munere, cujus eſt titulus, bene ſunt functi, & jam emeriti;* 2) *qui merentur munus ipſum, quod nondum vacat;* 3) *qui propter alia in remp. merita titulo quodam condecorandi viden-*

videntur; 4) qui pares sunt dignitati titulorum tuendæ. Denique *cavendum, ne venales fiant, & qui ex necessitate quadam tales sunt, infimo omnium loco æstimentur.* Tituli enim sunt dignitates publicæ & nomina honorum (§. 763. *P. VIII. Jur. nat.*). Sed dignitates publicæ non sunt conferendæ nisi bene meritis (§. 766. *ibid.*). Quare cum bene meritorum non sit magna copia; si non conferantur nisi bene meritis, non evilescent, sed ope meritorum erunt adquirendi.

Qui non tantum digni fuerunt muneribus deprehensi, sed iisdem quoque bene functi sunt, eosdem meruisse hos titulos, nemo potest infitias ire. Quum ergo facta fieri nequeant infecta (§. 28. *Ontol.*); nec merita cujusquam unquam desinunt esse ipsius merita, nec, quos meritis assequutus est, tituli, quibusque se nullatenus indignum reddidit, desinunt esse rite promeriti. Ea propter justum est & æquum, vt qui bene meruit, dum potuit, postquam vacationem est adeptus, fructibus suorum meritorum nequaquam privetur, sed gaudeat dum superest. Jure igitur retinet emeritus titulos, quibus est gavisus, vel & emerita stipendia, uti milites romani, rude donati.

Quando merentes munus, eidem propterea admoveri nequeunt, quia locus non vacat, qua digni sunt: si speciminibus editis satis dignos se illo probarunt, nec quidquam obstat, tantisper titulo condecorari, & nomine gaudere poterunt, donecre potiantur. Non abs re igitur nomine donari possunt, qui rem merentur, qua nondum donari queunt. Facile autem patet, non agi de titulo candidati, quo gaudere solent, quicunque digni quodam munere in posterum vacaturo censentur; sed de nomine honoris & muneris ipsius, ad quod adspirare cupiunt (§. 191.). Vti sunt Professores, Consiliarii cæt.

Si merita cujusquam sint hujusmodi, quibus proprium vulgo nomen honoris non est tributum, nec usu receptum; nihi-

nihilominus dignus censeatur, qui titulo quodam floreat, & ad ulteriora merita incitetur: is alio quodam titulo recepto, nec indecoro vel inepto, afficiendus erit (§. 764. *P. VIII. Jur. nat.*). Quamdiu nomina artis ab adjuncto loco excellentiam notare possunt, tamdiu hæc jure retinentur. Vt si quis medicus vel pictor regius, aut aulicus dicatur.

Quoniam cum titulis sæpe splendor aliquis in vestitu, cultu, famulitio, suppellectile, cæteroque apparatu conjunctus esse solet, cujus sumtibus sine magna opulentia nemo par esset possit: evilesceret tituli dignitas apud & propter illum, qui sumtibus illis impar esset, eique aut majori foret oneri & dedecori, quam ornamento, aut ansam præberet, pravis actionibus se inquinandi, ut sumtibus utcunque sufficeret. Quum vero utrovis modo titulus dehonestaretur, cessaretque id esse, quod esse deberet: titulus largiendus non est, nisi illi, qui vel per se par sit, vel simul iis donetur quibus par evadat, dignitati ejus honeste sustinendæ (§. 763. *P. VIII. Jur. nat.*).

Si ad titulos aditus promiscue detur his, qui nisi certa pecuniæ summa eos adipisci nequeunt, utpote meritis in remp. destituti; desinunt tituli esse præmia non vulgarium in remp. meritorum, cujusmodi esse debent (§. 768. *P. VIII. Jur. nat.*). Degenerant igitur, dum veluti merx quædam coëmi a quolibet possunt, qui per fas aut nefas pretium dandum obtinuit, fiuntque turpiter venales (§. 767. *ibid.*). Cavendum igitur est, ne tituli fiant venales pretio vel precibus, ut emendicantibus aliisque indignis indulgeantur.

Si qua tamen indigentia extrema ingruat pecuniæ, in salutem publicam impendendæ, v. g. ad levandam summam famem & annonæ inopiam, ad sumtus bellicos, ad redimendam pacem; quam conferre omnes deberent, & vix possent; locupletiores autem illam sponte conferrent liberali largitate: quis dubi-

dubitaret, quin digni forent propter ejusmodi beneficium singulari honore, quo remunerari ipsos civitas posset, sive talem titulum sibi stipulentur, ut ex pacto debeatur, sive minus? Qui vero minoris necessitatis levandæ causa pecunia data titulos adipiscerentur, illi tales esse deberent, ut ab omnibus perspiciatur, illos infimo poni loco, nec cum illis confundendos esse, qui meritis debentur.

Perantiquum est hoc præceptum, de honore meritis tantum tribuendo. *Aristoteles Rhetor. L. I. c. 5.* honorem dicit signum beneficæ existimationis (δόξης). Honorantur enim juste quidem & maxime, qui benefecerunt. Honoratur tamen etiam, qui potest benefacere. Beneficium autem est vel ad salutem, & quæcunque sunt causa, ut simus; vel ad divitias, vel ad aliquod ex aliis bonis, quorum non facilis est possessio, vel omnino, vel ibi, vel aliquando. Sic *Cicero de Invent. L. II. c. 39.* In præmii genere, inquit, quid & quantum, & quam ob rem postuletur, & quo, quanto quæque res præmio digna sit, consideretur. Tum apud majores quibus hominibus, & quibus de causis talis honos sit habitus, quæratur. Deinde ne is honos nimium pervagetur. Atque hic *locus* erit *communis:* præmia virtutis & officii sancta & casta esse oportere, neque ea aut cum improbis communicari, aut in mediocribus hominibus pervulgari. Et *alter:* minus homines virtutis cupidos fore, virtutis præmio pervulgato: quæ enim rara & ardua sunt, ea ex præmio pulchra & jucunda hominibus videri. Et *tertius:* si exsistunt, qui apud majores nostros ob egregiam virtutem tali honore dignati sunt, nonne de sua gloria, cum pari præmio tales homines affici videant, deliberari putent?„ Forte contendat non nemo, uti male merentur de civitate, qui defraudando alios, aut depeculando communes reditus, aut dilapidando suum patrimonium, eidem & nocent & pravum exemplum produnt: ita bene mereri illos de bono communi, qui ærarium publicum augent & locupletant ultra id, ad quod cum reliquis obligantur, ut solo titulo propterea honorentur. Qua in re si qua vanitas titulum

petentis appareat, eam publicæ ſaluti ita non adverſari, ut tolerari non poſſet. Sed aliud eſt tolerare vanitatem, aliud eandem fovere indulgentia ob exiguum lucellum, vix civitate dignum, & moribus corrumpendis fores pandens. Poſſent enim urgeri merita, & ſi illa adſint, juſte tribuentur tituli, vel nihil dare valenti. Si quis propter datum titulum gratus & liberalis futurus, quidquam in ærarium publicum donaret, hoc non poſſet ſpectari, ut pretium emtionis, ſed uti teſſera grati animi & novum meritum, ad majora profuturum, ſi virtutis præſtantia continuetur amplieturque. Vanitati mederetur tituli conjunctio cum nota vanitatis, omnibus bene meritis deteſtabili. Vt ſi in diplomate non diceretur, propter bene merita tributum eſſe titulum, ſed ut ad bene merendum animetur eo donatus. Is autem bene meruiſſe dici poſſet, qui honeſte parta, aut ſola arte & virtute ſua quæſita recte adminiſtrat in privatos & publicos uſus.

§. 194.

Vti differant dignitates fructuoſæ?

Feraces autem & fructuoſæ dignitates vel cum reditibus conjunctæ ſunt, vel cum imperio ſeu poteſtate & potentia, vel cum peculiaribus juribus privilegiisque, vel cum eximiis honorum ſignis, vel & his varie ſociatis. Nempe dignitates fructuoſæ aliis fortunæ bonis junctæ ſunt, aut præter titulum & locum priorem alia quadam gaudent remuneratione (§. 191.). Sed ad alia fortunæ bona pertinent opes, honoribus & oneribus adjunctæ, quæ redituum nomine uſurpantur. *Spartam* dicere liceat, hujusmodi lucroſam dignitatem publicam. Dantur ergo in numero fœcundarum dignitatum ſpartæ, reditibus lucroſæ. His non opus eſt, ut imperium ſit attributum.

Si cui dignitati publicæ inſit imperium quoddam in alios, gaudebit illa poteſtate regendi aliorum actiones ſecundum leges divinas, aut his conſentaneas humanas, & potentia adigendi eos ad obſequium. Hujusmodi dignitas recte dicetur *impe-*

imperium publicum, & in civitate ejus partes *magistratus*. Imperium publicum ipsa definitione sua (§. 32. *P. VIII. Jur. nat.*) differt a nudo titulo & loco priori. Quare & imperium publicum & magistratus referri debet ad dignitates fructuosas, cum imperium inferat præstantiam & bonum fortunæ e natura societatis initæ oriundum (§. 212. *seq. P. VII. Jur. nat.*).

Dum dignitati publicæ peculiaria tribuuntur jura & privilegia, illa non erunt nudus titulus aut locus, sed ab his differunt, tanquam jura peculiaria & privilegia (§. 853. *P. VIII. Jur. nat.*). Dicamus has dignitates prærogativas, vel *amplitudines præcipuas*, & patebit, fructuosis dignitatibus quoque accensendas esse easdem.

Eximia autem honorum indicia & signa habentur in publicis statuis, monumentis, epitaphiis, numismatibus, similibusque documentis publicis, honoris causa statutis. Quæ cum valde differunt a titulis & locis assignatis: dubio caret, & hujusmodi *honorum insignia*, (sic enim appellari possunt) pertinere ad dignitates fructuosas.

Jam opus non erit, ut seorsum evincamus, si unum vel alterum, vel plura horum emolumentorum socientur, illiusmodi dignitates fertiles & fructuosas fore appellandas. Si sparta cum magistratu societur, orietur dignitas, quæ *provincia* appellari consuevit &c.

Quædam harum dignitatum publicarum, & alia gentilibus usitata, commemorat *Aristoteles L. I. Rhetor. c. 5.* his verbis e græco redditis: partes honoris sunt sacrificia, monumenta in metris & sine metris, præmia honorifica (γεϱα), delubra, proedriæ, sepulchra, statuæ, alimenta publica, dona apud quosque honoranda; barbarica honoris signa, adorationes, & ecstases. Sic præmii causa veterani milites romanorum emerita accipiebant, ut reditus publicos. Sic postquam Miltiades in tanta paupertate decesserat, ut qui efferretur vix reliquerit, factum est,

ut filiæ ejus publice alerentur, & de communi ærario dotibus datis collocarentur. De Miltiade narrat *Nepos:* ut populi nostri honores quondam fuerunt rari & tenues, ob eamque caussam gloriosi, nunc autem effusi atque obsoleti: sic olim apud Athenienses fuisse reperimus. Namque huic Miltiadi, qui Athenas totamque Græciam liberavit, talis honos tributus est in portica, quæ pœcile vocatur, quum pugna depingeretur Marathonia, ut in decem prætorum numero prima ejus imago poneretur, isque hortaretur milites, præliumque committeret. Possent dignitates fructuosæ dividi quoque in fecundas, quæ sui similia gignunt alia, uti alia honorum insignia & monumenta, vel liberorum aut necessariorum similes dignitates, & in illis successionem; & fertiles, quæ alia important dissimilia, uti reditus & salaria seu honoraria, imperia, jura varia & privilegia cum immunitatibus.

§. 195.

Dignitates literariæ solæ.

Dignitatis literariæ solæ vel sunt *academicæ*, vel *scholasticæ*, si Gymnasia tantisper ad scholas strictius dictas referre libet. Sin minus, aliæ erunt academicæ, aliæ Gymnasticæ, aliæ denique scholasticæ. Quarum hæ in scholis inferioribus occurrunt, & præceptorum munera dicuntur (§. 432. *P. VIII. Jur. nat.*). Infimis præest ludimagister (§. 322. *P. II. Polit.*). Trivialibus præest rector, cui pro classium diversitate adjunguntur Conrector, Subrector, Cantor, Calligraphus, vel quibus aliis nominibus discerni consueverunt, uti præceptores pauperum, gratuitorum &c. (§. 327. *seq. ibid.*). Gymnasiis itidem præficiuntur Rector vel Director, & Professores, præsertim si academica sint Gymnasia. Alioqui interdum dignitatum scholasticarum nomina eorum præceptoribus tribuuntur (§. 392. *seqq. ibid.*). Academiis doctricibus præest Rector Magnificus vel Magnificentissimus, Cancellarius, & qui horum vicibus funguntur Prorectores & Procancellarii (§. 338. *seqq.* 350. *seq.* & 368.

368. *ibid.*). Dein omnium facultatum Decani, Professores, Ordinarii & extraordinarii ibi dantur, item Doctores & Magistri, privatim docentes, aut ne docentes quidem (§. 341. *seqq.* 387. *seqq. ibid.*). In Academiis inventricibus habentur Præses, Propræses, Directores, commentatores thesaurarii, Secretarii cæt. (§. 453. 455. *seqq. ibid.*).

Agitur hic tantum de dignitatibus literariis, quibus scilicet nullæ aliæ sunt adjectæ. Alias multo plures essent enumerandæ, quæ & in ordine ecclesiastico, & civili occurrunt. In priori tantum non omnes dignitates literarum culturam requirunt, nisi alicubi opificum more tantum sacra tractantur, uti inter mennonitas & populos barbarie laborantes. Constat per se, illas dignitates literarias, quæ reditus annuos statosque sibi adjunctos habent, lucrosas appellari posse, sive reditus illi privata industria obtineantur, uti domesticam institutionem, vel privatas recitationes uni vel pluribus impertientes: sive e publico ærario legatisque honoraria accipiant. Hæc nempe salaria publica, illa privata dici possunt. Vtrobique dignitates sunt fructuosæ & vestitæ (§. 181.), & quo plures præbent reditus, eo sunt pinguiores. Sed steriles & infructuosæ sunt, quæ præter titulum nihil præstant (§. 182.), uti qui gradus academicos adsciscunt, ut titulo gaudeant, quem suo nomini præfigant aut adjungant, ne alii nesciant, quo titulo sint compellandi, aut velint superbire.

§. 196.

Dignitates sacræ variæ.

Dignitates Ecclesiasticæ vel sacræ, quatenus civiles habent adjunctas, ex parte enumerantur (§. 677. *P. I. Polit.*). Neque opus esse videtur, ut aliæ alibi usitatæ in medium afferantur, quæ in historiis reperiri possunt. *Quatenus solæ ecclesiasticæ spectantur*, habebantur inter Israëlitas Pontifex maximus, sacerdotes & Levitæ velut sacerdotum administri, præter Prophetas, qui extra ordinem cæterorum erant. E sacerdotibus peteban-

tur Thesaurarii aliique quindecim præfecti variis in templo ministeriis. Summo pontifici tempore belli adjungebantur sacerdotes castrenses. Christianæ Ecclesiæ caput est Christus, qui sibi adscivit 12. Apostolos, Thaumaturgos, extraordinarios doctores & vates, aliosque 70 discipulos & Evangelistas. Ab Apostolis constituti sunt ordinarii, certis præfecti cœtibus, episcopi, presbyteri seu pastores, & Diaconi. Inter quos successu temporis ordo tum quidam & hierarchia haberi cœpit; tum alii ordines minores sunt oborti, de quibus consulatur Historia sacra. Tres quoque primi ordines gradibus distingui cœperunt v. c. Episcopi in primates, archiepiscopos, exarchos, Patriarchas, suffraganeos, inspectores, superintendentes speciales & generales; Presbyteri in Archipresbyteros, Præpositos, Decanos, parochos, plebanos, Curatos &c; Diaconi in archidiaconos, subdiaconos &c. *Conf.* §. 36. Datur quoque sacerdotium militare, quod exercitibus & militum Chiliadibus in rebus sacris præest. Taceo adjuncta Episcopis collegia canonicorum, eorum vicarios seu coadjutores, (Weihbischöffe); officiales &c. Taceo tot ordinum religiosorum utriusque sexus & sacrorum equitum (geistliche Ritter-Orden) præfecturas, magistrorum & ministrorum generalium, provincialium, abbatum, priorum, superiorum &c. Taceo nuntios, quos vocant, apostolicos, legatos a latere, commissarios, missionarios, & similes.

Varia de his dignitatibus sacris, earum lege suprema, ad quam exigi debet ipsarum diversitas, ordo, gradus, numerus, honos, collatio, ademtio; item de illarum legibus, reditibus, adquisitione, administratione, ephoria, modis dirigendi eas ad salutem ecclesiæ, item cavendi & abolendi degenerationem obrepentem, &c. possent exponi, quemadmodum de dignitatibus academicis supra expositum est; nisi præstaret illa relinquere *Hierarchiæ*, quatenus illa notat sapientiam & prudentiam regiminis ecclesiastici.

120

§. 197.

Civiles dignitates fructuosiores quodam præcipuo annexo gaudere solent imperio & reditu publico. Versantur enim civiles dignitates circa salutis publicæ administrationem (§. 190.), quæ sine jure determinandi constituendique ea, quæ ad salutem publicam promovendam requiruntur, hoc est sine imperio publico (§. 60. P. *VIII. Jur. nat.*) fieri nequit. Quod imperium cum varia complectatur jura, quæ a se invicem separari possunt (§. 61. *ibid.*), & eo rectioris administrationis causa debent separari: variæ inde nascuntur dignitates civiles fructuosiores cum imperio publico connexæ. *Dignitates civiles quæ sint fructuosiores?*

Quia imperium publicum involvit potestatem cum ordinariam, exigendi actiones subditorum ad salutem publicam semper necessarias (§. 47. *ibid.*), tum eminentem in casu necessitatis exercendam (§. 114. *ibid.*); fructuosiores dignitates civiles præ cæteris annexo gaudent imperio præcipuo.

Quæ potestas cum in imperio publico indesinenter exercenda sit, idque non sine neglectu officii privati rem faciendi fieri possit: justum est, ut civitas illas operas in administrationem conferendas largiter compenset reditibus & salariis dandis (§. 904. *ibid.*). Ita elucescit, fructuosas inprimis dignitates civiles & imperio & propterea quoque reditu publico gaudere debere insigni.

§. 198.

Fructuosissimæ dignitates civiles summo gaudent imperio & reditu publico. Fructuosiores enim dignitates civiles gaudent præcipuo quodam imperio & reditu publico gaudere consuevertunt (§. 197.). Quo ergo sunt hæ dignitates fructuosiores, eo majori & præstantiori imperio redituque publico gaudebunt. Inde fructuosissimæ omnium non possunt non summo in civitate & imperio & reditu gaudere. *Quæ fructuosissimæ omnium?*

§. 199.

§. 199.

Hæ sunt rectorum civitatis. Quia fructuosissimæ dignitates civiles summo gaudent imperio publico (§. 198.); summo autem imperio gaudent civitatis rectores (§ 42. *P. VIII. Jur. nat.*), *fructuosissima omnium dignitate gaudent rectores civitatis*, quocunque nomine appellentur. Qui & propterea maximis gaudere debent reditibus (§. 198).

§. 200.

Quæ sit summa dignitas civilis. *Summa dignitas civilis* vocatur, qua major & sublimior in civitate dari nequit, vel quæ ipsamet est majestas, utpote quæ dicitur dignitas ejus, penes quem summum imperium est indivisum (§. 206. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 201.

Fructuosissima dignitas simul est summa & v. v. *Fructuosissima dignitas civilis est simul summa dignitas civilis, & contra.* Fructuosissima nempe dignitas civilis summo gaudet imperio & reditu publico (§. 198.); & summo imperio majus atque sublimius in civitate dari nequit, cum alias non esset summum (§. 28. *Ontol.*). Cum summa sit dignitas civilis, qua sublimior in civitate dari nequit (§. 200.); cogitur, fructuosissimam dignitatem civilem simul esse summam.

Quia porro summa dignitate civili major & sublimior in civitate dari nequit (§. 200), eaque ideo ipsa est majestas; majestas vero est dignitas ejus, qui summo imperio gaudet integerrimo & indiviso (§ 266. *P. VIII. Jur. nat.*), quod summum imperium fructuosissimæ inest dignitati civili (§. 198): evidens est, summam dignitatem civilem simul esse fructuosissimam.

§. 202.

Cujus sit summa dignitas in diversis re- Quia majestas in regno est penes regem, & generatim in monarchia penes monarcham, etiamsi temporarius sit (§. 258. *P. VIII. Jur. nat.*); in democratia penes populum universum (§. 208. *ibid.*), & in aristocratia penes cœtum optimatum

(§. 246.

(§. 246. *ibid.*): patescit, *summam fructuosissimamque dignitatem civilem esse in monarchia penes monarcham* seu regiam &c., in *aristocratia penes collegium optimatum* itaque *optimatem*, & in *democratia penes populum universum* seu *popularem*. *In formis autem temperatis realis majestas est penes eos, quibus conjunctim ex lege temperationis debetur* (§. 45. 63. & 152. *P. II. Polit.*); *personalis autem non nisi in rege habetur* (§. 76. & 153. *ibid.*). *rump. formis?*

§. 203.

Cum varii dentur gradus summæ dignitatis, partim ex amplitudine, partim ex potentia imperii differente nascentes (§. 135. & 676. *P. I. Polit.*): mirum non est, *summam dignitatem alibi plura ac majora, alibi minora & pauciora jura in diversis rerum publicarum formis continere, eamque modo esse altera aut aliis ampliorem, modo angustiorem; potentiorem debilioremve.* *De gradibus illius diversis.*

Vti non officit imperio summo, pleno & absoluto si infeudetur, hoc est dividatur in directum & utile inter duas personas sub lege mutuæ fidelitatis (§. 98. *P. VIII. Jur. nat.*): ita quoque summæ dignitati non derogat clientela & fides, in quam se alia contulit, nisi quod modus habendi & gradus eo differt, quod alia habetur plene, alia minus plene (§. 100. *ibid.*). Id quod pariter statuendum de ea dignitate summa, quæ lege fidei commissi habetur (§. 99. & 162. *ibid.*). Modus dignitates has obtinendi convenit cum modis potiundi summo imperio.

§. 204.

Dignitates civiles, quæ summæ non sunt sed secundariæ, nobilitatis nomine venire solent. Cives enim, qui summo subsunt imperio, antiquitus dividuntur in claros & obscuros (§. 515. *P. I. Polit.*). Inter claros referebantur incluti virtutibus suis & majorum, doctrina, & opibus, nempe virtute partis. Qui sua virtute inclaruerant, nobiles per se erant; qui & geniti erant a claris majoribus, (ευγενεις) *generosi*, quasi nobili genere nati *Quid sit nobilitas, eaque civilis.*

ac digni, dicebantur; qui ſcientia aut arte florebant præ cæteris, *celebres*; & qui magnam opum vim ſua arte & induſtria pepererant, *divites* cluebant. Hi virtutum chrematiſticarum, illi virtutum contemplativarum; iſti virtutum bellicarum ſuarum aut & progenitorum præſtantia eminuere. Inde nobilitas generatim, non eſt niſi claritas virtutum eximiarum. Sed hæc privata dici poteſt, cum non niſi privato judicio quantumvis plurimorum divulgato contineatur. Quando autem iſtud publica h. e. ſummæ dignitatis autoritate confirmatur ſeu declaratur, tum naſcitur *nobilitas civilis*, quæ ideo eſt præſtantia virtutum publice declarata, ſeu claritas virtutum publice illuſtrata. Inde hanc nobilitatem eſſe dignitatem civilem ſecundariam, quoniam ſumma eſt primaria, eamque præclaram, perſpectum habetur. Vt plurimum tamen eam notat, quæ fortitudine bellica & præclaris in bello factis eſt parta.

Græcorum ευγενεια recte ab *Ariſtotele* explicatur *Rhetor. 2. c. 15.* quod ſit inſignis majorum claritas (ενδιμοτης προγονων) & antiqua opulentia virtusque *Polit. IV. c. 8.* vel virtus generis *Polit. III. c. 13.* Inde *Ciceroni* nobilitas dicitur eſſe nota virtutum, & gloria virtutis rerumque geſtarum. Sic *Juvenalis Sat. 8. v. 20.* nobilitas ſola eſt atque unica virtus. *Vellejus L. II. c. 128.* ita de Sejano ſcribit: in hujus virtutum æſtimationem jam pridem judicia civitatis cum judiciis principis certant. Neque novus hic mos ſenatus populique romani eſt, putandi, quod optimum ſit, eſſe nobiliſſimum. Quod ibi pluribus confirmat exemplis v. c. Coruncanii, Carvilii, Catonis, Mummii, Marii, M. Tull. Ciceronis, M. Agrippæ, Stat. Tauri Pollionis, Sejani, quem dicit virum ſeveritatis lætiſſimæ, hilaritatis priſcæ, actu otioſis ſimillimum, nihil ſibi vindicantem, eoque aſſequentem omnia, ſemper infra aliorum æſtimationes ſe metientem, vultu vitaque tranquillum, animo exſomnem.

§. 205.

§. 205.

Dividi hæ dignitates secundariæ possunt in *superiores* & *inferiores*, quarum illæ dicuntur illustres, hæ tantum nobiles per omnes comparationis gradus. Sed non sunt illa nomina constantis usus, unde præstabit constantiora sequi. Quæ superiorum sunt in recentiori ævo *principes seu duces* & *comites*. Principum alii sunt summo loco nati v. c. regii sanguinis; alii minus, attamen vel magni aut Electores, vel Principes simpliciter dicti. Sic & magni duces & archiduces & duces discernuntur. Comitum alii sunt palatini, alii provinciæ (Landgrafen), alii limitum (Marchiones), alii principum elogio decorati (gefürstete), alii nude comites, & vicecomites, & qui Castello præsunt, Castellani seu Burggrabii, quibus subnectuntur Barones, & qui nobiles Domini dici consueverunt (§. 676. *P. I. Polit.*). Constat quoque ex antea dato recensu præcipuorum regnorum & rerumpublicarum, nobilium ordines plerumque duos esse, superiorem & inferiorem, (germanis der hohe und niedere Adel). *Nobilitas inferior* appellatur ordo equestris (der Adel vel die Ritterschaft), dirimiturque in imperio germanico in immediatam, quæ non subest nisi imperatori; & mediatam eorum, qui aliis subsunt principibus aut proceribus imperii; plerumque autem dividitur in novam & antiquam, quarum hæc (antiquitas generis) incipit a numero 16 progenitorum utriusque sexus indubie nobilium (nostratibus 16 Ahnen dictorum). Novæ nobilitatis gradus primus est illius, qui nobilitatem nullam habet a majoribus, sed eandem suis meritis est adeptus. *Divisio nobilitatis civilis.*

Antiquissimis temporibus non aliæ dignitates civiles fuisse videntur, quam magistratus. Ita *Genes.* XII, 15. leguntur שרי principes, seu præfecti Pharaonis, & *Genes.* XXI, 22. præfectus seu dux exercitus Abimelechi Conf. *Genes.* XXV, 16. & XXVI, 26. & XXXVI, 15. *seqq.* Porro fit in Historia Josephi mentio præfecti pisto-

pistorum & pincernarum *Genes.* XL, 9. 16. 20. *seq.* ipse vero Josephus fit secundus a rege & omnibus reliquis præfectus XLI, 40. *seqq.* Præterea quoque mentio fit sacerdotum vel proregum. *Genes.* XLVII, 22. & 2 *Sam.* XX, 26. Sic *Danielis* V, 7. promittitur tertius a Rege locus. In deserto Moses populo præficit alios millibus, alios centuriis, alios quinquagenis, alios denis *Exod.* XVIII, 21. & Judices *Deuteron.* I, 15. *seqq.* Postquam occupata erat Palæstina, ad comitia convocantur seniores, capita, judices & præfecti *Josuæ* XXIII, 2. Ita memorantur principes seu proceres philistæi *Judic.* XVI, 23. 27. & 1 *Sam.* VI, 4. VII, 17. Ipse quoque Saul in regem unctus, princeps appellatur, 1 *Sam.* X, 1. Philistæi præter 30 curruum millia educebunt 6 millia equitum 1 *Sam.* XIII, 5. Aulæ Davidicæ proceres & consiliarii recensentur 2 *Sam.* VIII, 16. *seqq.* XV. 31 - 37. XVI, 23. XVII, 5. *seqq.* XX, 23 26: Salomoneæ 1 *Reg.* IV, 2 - 28. Prætermitto varia, quæ Xenophon de equitatu Cyri, Agesilai, ac de præfectura equitum affert, & quæ in libris de re equestri & magisterio equitum legi possunt, unum addens locum *Aristotelis Polit. L. IV. c. 3.* Nobilitatis differentiæ quoque sunt secundum opulentiam & magnitudinem census. Sunt enim alii equites, quod munus nemo facile sustinere potest, nisi sit dives. Itaque antiquis temporibus quæcunque civitates equestri potentia excellebant, in his paucorum potentia gubernabat, equitatu autem bella contra finitimos exercebant, ceu Eretrienses, Chalcidenses & Magnesii & aliæ plures Asiaticorum civitates. Romæ equestris ordo medius surrexit inter Senatorium seu patritium & plebejum. Ejecto Tarquinio Brutus ordinem Senatorium supplevit ex equestri. Gradus antiquitatis & novitatis ordinis equestris inde manasse videntur, quia vetusti cives ob penuriam fiebant, qui ex matre cive nati essent; ob copiam vero excludebantur libertini, & qui ex sola matre cive essent nati, nec admittebantur nisi ex utroque parente cive oriundi, teste *Aristotele L. III. Polit. c. 5.* & *c. 2. ibid.* civem esse alii dicunt, qui ex duobus civibus ortus est, patre & matre; alii vero plura requirunt, ut avos, proavos & ulteriores (επιπαππȣς δυο, η τρεις, η πλειȣς).

Cæte-

Cæterum habet nova nobilitas suam commendationem a propria virtute, qua est parta, nec ulla hæreditaria sine prima & nova esse potest. A novo nobili genus & nomen incipit, qui magna spectavit, rectisque studiis ad ea contendit, cum in nobili nato desinere possit, præsertim si moribus dedecori sit majoribus. Vnde Sostratus obscuritatem parentum objicienti respondisse fertur: eo magis admirationi esse debebam, quia genus a me initium sumit. Vid. *Stobæus serm.* 84. Quare minime in odio atque invidia apud nobiles natos esse debet hominum novorum virtus & industria, quoniam ignobilium virtus merito præfertur nobilitati antiquæ, ignavia, tumore & vitiis, quam præclare factis, nobiliori. Si tamen majorum virtutibus pares sint propriæ virtutes, liquet, eas consociari, ideoque & merita majorum & propria in ipso una spectanda esse, & una remuneranda. Quo plura enim & majora merita cumulantur, eo major fit eorum præstantia & splendor, posita in cæteris paritate. Tum gloria majorum posteris conciliat lumen, neque illorum bona neque mala in occulto patitur. Quod pluribus persequitur Marius in Oratione ad populum habita apud *Sallustium Belli Jugurth. c.* 85.

§. 206.

Est quoque nobilitas alibi personalis, alibi hæreditaria. Illa non est nisi personæ, quæ illam meruit, nec retinet ultra, quam eam meretur, & si vel durat, donec vita superest, tamen in morte hominis extinguitur. Quia eligitur illa mactandus, posset quoque *electilis* dici. Hæc autem transmittitur in liberos legitime procreatos, secundum legem transmissionis pacto aut consuetudine definitam. Alibi enim transit in liberos nobilitas parentum integra, seu par parentum nobilitati; alibi non nisi nobilitas inferior, ut major illius gradus sit meritis assequendus. Alibi nobilitas generis est sexus utriusque æque ac successio in feuda, alibi tantum marium. *Nobilitas vel est propagabilis, vel non.*

Perſonalis nobilitas adſtricta eſt muneribus, unde admotus ad munera eam adipiſcitur, & remotus a munere eam ſimul perdit. Talis nobilitas obtinet inter Mahomedanos, quæ ex cujusque apud principem exiſtimatione & functionibus primariis cenſetur. Talis quoque obtinet inter ſinas, exceptis tantum duabus familiis, ſcilicet imperatoria & Confutiana, quæ ſunt hæreditariæ. Tartarorum Precopienſium barbara opinione is cenſetur nobilior, qui, cum moritur, plures relinquit captivos, ſi *Thuanus* fidem meretur *Hiſt. Lib. 67.* Hæreditaria vero nobilitas in Europa potiſſimum viget, præſertim ea frequentior eſt, quæ ejusdem dignitatis ſtatuit liberos atque parentes, vt v. g. principes naſcantur a principibus, duces a ducibus, comites a comitibus *cæt.* Non deſunt tamen regna, ubi nobilitas quidem propagatur, ſed diſpari gradu, ut inferior dignitas ſeu nobilitas procreetur a ſuperiori. Ita in Magna Britannia res habet. Ibi enim 5 ſunt ordines ſuperioris nobilitatis (poſt regios principes), qui pares regni vocantur, eo quod omnes non niſi a rege pendent, judicantur, & pari gaudent jure ſuffragandi in curia ſeu Senatu regni ſuperiori, ſcilicet, duces, marchiones, Comites, vicecomites & barones, qui & omnes titulo Procerum vel Senatorum regni (Lords) gaudent. Sed filius ducis natu major non eſt niſi natus Marchio, & poſt illum geniti tantum honoris cauſa proceres ſeu Magnates (Lords) appellantur. Marchionis filius natu major audit Procer vel comes additi loci, cæteri tantum magnates. Comitis filius natu major cæteris vocatur Vicecomes, poſtea nati tantum quaſi barones, quia ordine incedentes ſequuntur barones, & antecedunt Baronetos. Vicecomitum filii non audiunt magnates, ſed tantum quaſi barones nati, aut nobiles primarii. Inferior enim hæreditaria fere *nobilitas* ibi continet primarios *quaſi barones* (Baronetos), dein *equites* (Ritter) aut milites (knights), quorum equitum varii ſunt ordines, eorumque primus S. Georgii (knights of the Garter), quem ſequuntur equites vexilliferi, equites balnei, equites aurati (batchelors); tum ſcuti ſeu *armigeros* (esquires); denique nobiles (gentiles Gentlemens, ſive nobilitas the gentry).

Quan-

Quanquam hoc nomen nemo nobilium aspernatur, & eodem quoque appellantur ingenui & divites mercatores. Superior nobilitas ibi appellatur *the peerage* (paritas), ejusque participes, (præter Saxonicum nomen Hla ex *Hlaford* (dominio) contractum, *Lord*, & si femina fuerit *Lady*) *nobles* vel *noblemens*. Inferior autem *the lower nobility*. Lege communi primum armigerorum locum tenent suo ordine filii superioris nobilitatis, quos excipiunt armigeri regii, muneribus aulicis conspicui; hos vero majores natu filii juniorum nobilitatis superioris filiorum; tum sequuntur majores natu filii equitum; & recens creati scutigeri, quibus æquiparantur variis muneribus præfecti, & Baccalaurei artium & cæterarum eruditionis facultatum. Nec majores natu filii Ducum & reliquorum majoris dignationis nobilium nisi in Senatum inferiorem regni eligi possunt, antequam rex eos ad superiorem evocavit. Quæ uberius hauriri possunt ex *Chamberlaynii Angliæ notitiæ P. III. cap. 3.* Nec silentio prætereundum est, medium inter equites & armigeros locum occupare Decanos, Archidiaconos, Canonicos, Doctores Theologiæ, Jurium, Medicinæ, Musicæ, atque præfectos collegiorum seu cœnobiorum academicorum, quorum, uti equitum, dignitas non est nisi personalis.

§. 207.

Vtraque nobilitas civitati expedit.

Habet æque personalis, vel electilis, ac hæreditaria nobilitas sua ad salutem publicam provehendam momenta, inde utrique locus in civitate concedendus est, prout consultius videtur illis, quibus jus est nobilitandi. Nobilitas enim est dignitas civilis (§. 204.); & jus dignitates civiles conferendi non est nisi superioris (§. 942. *P. VIII. Jur. nat.*), cui jus in actiones singulorum, vel imperium publicum debetur (§. 141. *ibid.*); uti in democratia est universi populi (§. 142. *ibid.*), in Aristocratia collegii optimatum (§. 143. *ibid.*), in synarchia imperii consortium (§. 144. *ibid*). Vnde & quid de formis temperatis habendum sit, abunde intelligitur per ea, quæ de illis *Sectione I. P. II. Polit.* enarrata sunt.

Cum jus nobilitandi non ſit niſi jus conferendi nobilitatem his, qui eam meruere; pateſcit, jus nobilitandi non eſſe niſi ſuperioris in civitate, ſive per ſe id exerceat, ſive per alios, quibus illud conceſſit.

Atqui nobilitas vel eſt electilis, vel hæreditaria, & alibi hæc, alibi illa eſt introducta (§ 206.). Quia electilis eſt perſonalis, nec niſi perſonæ electæ tribuitur, quoad ſe gerit, uti par eſt (*ibid.*): illa acuit virtutem eorum, qui ad illam adſpirare cupiunt, dum animadvertunt, ſine eximia virtute ſe illa non eſſe potituros, fere quemadmodum in Ariſtocratia (§. 603. *ſeqq. P. I. Polit.*). Præterea quoque impellit ad virtutem continuandam & in dies augendam, quia deſciſcendo ab eadem ſua dignitate ejusque emolumentis certo certius excideret, qui illa gaudet (§. 206.). Juvat ergo nobilitas perſonalis in civitate recepta virtutem civilem atque ſalutem publicam primariam pariter ac ſecundariam (§. 40. & 48. *P. I. Polit.*).

Nobilitatem hæreditariam commendat præmiorum virtutis in ſobolem transmiſſio (§. 206.). Cujus ſpes eo acrius inflammare ſtudium virtutis valet, quod non tantum ſibi ſed & ſoboli ſeræ præmia eſt pariturum. Si invitamentum ſimplex dicamus præmium tantum cultori virtutis adquirendum, præmium in liberos transmittendum dabit duplex invitamentum; idem & in nepotes transferendum, erit triplex; in pronepotes tranſiturum erit quadruplex, & ſic ulterius progrediendo admodum multiplex evadit invitamentum ad virtutem intendendam, eoque fortius animum incitat & ſpe accendit, quod ſæpe non maſculæ tantum, ſed & femininæ proli cuilibet eadem dignatio comparatur. Quid? quod & domeſtica majorum exempla notiora ſunt & certiora, quam alia, quorum tam certa per ipſam experientiam fieri nequit cognitio, inde nec tam viva & efficax in animis eſſe poteſt, nec æmulationem

virtutum æque excitabit (§. 296. *seqq. P. II. Phil. pract. univ.*). Ipsi quoque parentes eo diligentius incumbent in educationem liberorum suorum, ut similibus virtutibus imbuantur, atque nobilitatem suam virtutibus perpetuent adaugeantque, quemadmodum in successione regia (§. 686. *seq. P. I. Polit.*). Quare & hæc incitamenta & fomenta virtutum, salutisque publicæ in civitate non erunt spernenda, sed potius sapienter adhibenda. Vtriusque ergo nobilitatis ratio habenda & conjungenda esse intelligitur, ad salutis publicæ curam, quousque fieri potest, exacuendam extollendamque.

Quoniam e rerum præsentium facie sæpe petendum est, quid ex iis, quæ diverso modo fieri possunt, statuendum, & vel in hoc vel illo casu præferendum sit (§. 176. & 978. *P. VIII. Jur. nat.*): de nobilitate etiam his, quibus est jus nobilitandi in civitate, decernendum erit, utrum & quando electilis vel hæreditaria præferri mereatur.

Quod *Plato* olim dixerat in *Menexeno*, parentum honores & gloriam liberis clarum & magnificum esse thesaurum; idem *Cicero Lib. I. offic. c. 33.* sic effert: optima hæreditas a patribus traditur liberis, omnique patrimonio præstantior, gloria virtutis rerumque gestarum, cui dedecori esse nefas & vitium judicandum est. Bene natos, si bene educantur, perfectos fieri ad virtutem, observat *Plato in Alcibiad. I.* Omnes boni, ait *Cicero pro Sext. c. 9.* semper nobilitati favemus; & quia utile est, nobiles homines esse dignos majoribus suis, & quia valet apud nos clarorum hominum & bene de rep. meritorum memoria etiam mortuorum. Ex adverso tamen Ulysses apud *Ovidium L. 13. Metamorph. v. 140.* recte statuit: Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra voco; vel ut *Plutarchus de Pueror. Educ.* scribit: nobilitas quidem bonum est, sed majorum bonum. Nisi propria virtus accedat, inania sunt nobilitatis, id est hominum arrogantium, nomina. Dum nullum fastiditur genus, in quo eniteret virtus, crevit imperium Roma-

num, autore *Livio IV. c. 3.* Si experientiam consulimus, deprehendimus quoque, utramque dudum in civitatibus conjungi. In imperio Chinensium imperatoria dignitas & Confutiana sunt hæreditariæ, cæteræ omnes personales. In reliquis regnis & rebus publ. varie miscentur hæreditariæ & personales dignitates. V. c. in Polonia omnes nobiles gignunt nobiles ac pares inter se censentur, nec gradu impares statuuntur propter externos principum, comitum cæterosque titulos, sed propter munera, quibus funguntur, uti Palatinorum seu belli ducum, Seniorum, Castellanorum, aulicorum &c. quæ munera non sunt nisi personis concessa. Angliæ sunt multi proceres, nimirum 30 duces, tres Marchiones, ultra 20 comites, 14 Vice Comites, quos quidam Burgrabiis seu Castellanis comparant, & 65 barones, præter eos, qui in Scotia & Hibernia habentur. Horum imparitas facit, ut primi in ordine sint duces, secundi marchiones, tertii ducum natu majores filii, quarti comites, quinti marchionum natu majores filii, sexti natu minores ducum filii, septimi Vicecomites, octavi natu majores comitum filii, noni minores natu marchionum filii, decimi barones, undecimi majores natu Vicecomitum filii, duodecimi minores natu filii comitum, ultimi natu majores baronum filii. Sed uti equitum, ita & plurimarum dignitatum honores & reditus sunt personales. Nimis longum foret plura addere exempla, unde illud tantum subjungo, omnes dignitates ecclesiasticas, & literarias, qua tales, non esse nisi personales. Priores, ubi cœlibatus receptus est, nequeunt esse hæreditariæ, seu tales, quales olim inter Judæos fuere. Posteriores raro illiusmodi gaudent reditibus, ut educare filios vel ingenio pollentes possint, ad merendam tuendamque suam dignitatem; neque filii vel præditi sunt ingenio ad literas nato, vel feruntur in ea studia, quæ patri dignitatem suam peperere. Quod secus est in bellica nobilitate, cum bellum sequi possit quodvis mediocre aut tenue ingenium, utut literarum expers, & duce fortuna gratiam aucupari atque altius adspirare.

§. 208.

§. 208.

Tuendæ tamen dignitati nobilitatis prospiciendum est de idoneis reditibus, si nobilitandus iis destituatur, & curandum, ne beneficia feudorum reddantur deteriora vel temere prodigantur. Evilesceret enim procul dubio, experientia suffragante, nobilitas, præsertim superior, nisi suppeterent sumtus, ad tuendam debite illius dignitatem necessarii. Ex iis ergo, quæ usus docuit requiri, ad illum gradum splendoris & nobilitatis, uti par est, tuendum, quem meruit quisquam, & ex partarum opum annuis reditibus judicari potest, num illi reditus suffecturi sint splendori nobilitatis tuendo, nec ne? Si is impar esset futurus sumtibus dignitati impendendis, vel non conferendus erit ipsi is gradus nobilitatis, ipsi oneri futurus & perniciei; vel largiendum ipsi una erit, quantum sufficit ad eum tuendum (§. 193.). *De cura rite tuendæ nobilitatis.*

Si quis gaudeat per se, vel donatus sit bonis immobilibus & reditibus, gradui nobilitatis suæ tuendo paribus; cavendum est, ne vita dissoluta dilapidet ea, unde honeste fuisset vivendum ac sobolis fortunæ & patrimonio consulendum (§. 751. *P. VIII. Jur. nat.*). Beneficia enim publica ad usum genuinum dantur, non ad abusum danda sunt, qui ideo solicite est cavendus, comminatione jacturæ illius, aut adjuncto Curatore. Si vero vel a majoribus partum sit patrimonium, cui prodigalitas interitum minatur; est tamen dilapidatio res mali exempli, est ordini & gradui suæ dignitatis dedecori, est vitiis plena: quare & in hoc casu impedienda est luxuria & prodigendi temeritas, ut saltem externa honestas observetur (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*).

Censum nobilitati idoneum omne ævum spectavit in nobilibus, & illius conservandi studiosum fuit. Exempli causa equiti in Anglia antiquitus tribuebantur 800 agri jugera, quæ tum quotannis 20 libras redituum dabant, nunc fere 600tas. Baroni

eſſe debebant 14½ feuda equeſtria = 8010 libris ſterlingicis inde redeuntibus. Comiti eſſe debebant viginti feuda hujusmodi, & Duci quadraginta. Pro melius ſuſtentanda nova dignitate Rex duci donat quotannis 1200 libras, marchioni illius dimidium; comiti 600 libras & vicecomiti illius dimidiam partem. Ne quid nunc dicam de reditibus ex aliis muneribus, & commerciis. Quaſi baroni annui reditus mille libræ Sterl. &c.

Romæ olim cenſus equeſter erat 400000 ſeſtertiorum; ſenatorius autem equeſtris duplum ſeu octingentorum millium, & uterque interdum major requirebatur, ut hunc veluti minimum dicas. Quem cenſum non de reditibus annuis intelligendum eſſe arbitror, ſed de univerſo patrimonio. Tametſi quadraginta millia ſeſtertiûm etiam quadringena ſeſtertia dicuntur, & de Veſpaſiano *Suetonius c. 17.* refert, quod cenſum ſenatorium explens conſulares inopes *quingenis ſeſtertiis annuis* ſuſtentarit; & ſexcenta annua Diocletianus legitur Eumenio rhetori aſſignaſſe in ſchola auguſtodunenſi. Efficiunt autem octingenta ſeſtertia, 25 millia thalerorum. Auguſtus legitur ampliaſſe cenſum ſenatorium ad duodecies ſeſtertia, h. e. duodecies centena millia, ſecundum *Suetonium c. 41.* quorum loco *Dio. L. 54.* viginti & quinque myriades (ſcil. drachmarum), id eſt decies HS. ponit. Atticus, inprimis lautus eques, a patre acceperat ſeſtertium vicies, ſeu 62500 Vallenſes, & ex dodrante hæreditatis Cæcilii, pariter equitis romani, acceſſerant ipſi circiter HS. centies, vel 312500 vallenſes, nec tamen amplius quam terna millia æris peræque in ſingulos menſes expenſum ſumtui tulit, teſte *Nepote*, qui ejus ephemerides inſpexit in *Vita Attici.* Sed hæc ſumma non videtur accipienda eſſe, niſi de conviviis & liberalitate in illis adhibita, propte rea, quæ antecedunt & ſequuntur, & quia per integrum annum non fuit niſi 36000 æris, hoc eſt fere 1200 vallenſes, patet hunc ſumtum fieri commode potuiſſe, ſi ex patrimonio primo tantum 2500 quotannis rediere. Patet quoque, Atticum jam tum equitem inprimis lautum, & liberaliter omnium ordinum homines invitantem dici potuiſſe, cum equiti ſufficerent reditus annui ex 400000 quincunces v. g. 20000;

ipſi

ipsi autem ex vicies sestertium patrimonii dodrante census trientis fuisset 60000 par sestertiis, sive 1500 unciales. Ad horum confirmationem facit locus *Plinii L. I. Epist. 19.* ubi ad Firmum, municipem suum scribit: esse tibi censum centum millium, satis indicat, quod apud nos decurio es. Igitur ut te non decurione solum, verum etiam equite romano perfruamur, offero tibi ad implendas equestres facultates trecenta millia numûm. Apertum ex his, semel hoc dedisse Plinium, non quotannis.

Si ex 400000 censu redeunt 500 unciales fructu quincunci, ex octingentis jugeribus anglicis pristini reditus annui multo minoris fuere in numis, nempe 80 unciales, sed nunc ultra 2400 unciales.

Si quis Magnatum seu Procerum Hispaniæ prodigalitate sua dilapidaturus videtur, rex illi adjungit Curatorem, ne impar evadat dignitati suæ, uti par est, tuendæ. Romani censores singulis lustris censum agebant, nec cives tantum tribu, sed & equites ac senatores loco movebant, ut illi pedibus mereri cogerentur.

§. 209.

Ne quis arrogare sibi nobilitatem possit, quam non est adeptus, documentis publicis opus est & insignibus attributis, quibus nobilitas approbetur. Dignitates enim civiles constant ex juribus peculiaribus, quibus cæteri carent (§. 205. *P. VIII. Jur. nat.*). Cujusmodi jura concedere summæ est majestatis (§. 855. *ibid.*), qua concessione simul ut lege quadam cæteri obligantur, ut juribus præditum, frui iisdem patiantur, nec illum in eorum usu turbent, neque quidquam committant, quod eorum usui fructuique adversetur (§. 854. *ibid.*). Sed nobilitas est dignitas civilis, quæ summa non est (§. 204.). Idcirco & illa pertinet ad reservata majestatis a nemine violanda nec usurpanda. Simul ergo curandum est, ne quis fraudulenter, inani disperso rumore, aut subdititiis documentis, audeat sibi arrogare nobilitatem, quam non est adeptus, se ipsum veluti nobilitaturus.

Opus est publicis nobilitatis documentis & insignibus.

 Quod

Quod melius fieri nequit, quam si nobilis publico actu creetur, & documentis fide publica atque sigillo armatis instruatur, quibus illico evidenter comprobare suam nobilitatem possit.

Quia vero, propter dignitatem & nobilitatem, qui ea gaudent, præcipuo quodam honore afficiendi sunt, atque cæteri scire debent, quo honore quisquam dignus sit (§. 761. *P. VIII. Jur. nat.*): promulgandum est id ipsum cæteris & publicis insignibus testatum faciendum. Hujusmodi insignia habentur in titulis, in præcipuis honoribus juribusque, & apparatu splendido census, comitatus, familiæ cæterisque excellentiæ gradui respondentibus indiciis, & honestamentis, quæ nostratibus Wapen dicuntur.

Necessitas hujusmodi solemnitatum, documentorum publicorum, manumissionum, modorum inaugurandi, percutiendi, investiendi, accingendi &c. antiquitus perspecta est, & aliis aliter recepta fuit. Sic Josephus a Pharaone solenniter præsentibus regni proceribus inaugurabatur verbis expressis, annulo regio detracto & Josephi manui indito, alba byssina & holoserica indutus, aurea catena circa collum suspensa, curru secundo regio circumvectus, & præconio proclamatus, ipsi genua esse flectenda, ipsumque universæ Aegypto esse præfectum. *Genes.* XLI, 37-45. Aaronis solemnem inaugurationem legas licet *Levitic.* VIII. Septuaginta Seniores, qui populo Israëlitico præficiebantur, dono prophetico insigniebantur *Numeror.* XI, 16. 17. 24-29. Josuæ inaugurationem refert *Deuteron.* XXXI, 7. 8. 14. 15. 23. De equitibus Pharaonis consulatur *Exod.* XIV, 9. 17. *seqq.*; de Judæorum equitibus *1 Reg.* IX, 22. & *2 Reg.* VII, 2. 17. *seqq.* IX, 25. Nihil attinet, plura de aliis populis commemorare, neque ceremonias enarrare passim usitatas, quæ suo relinquimus loco. Documenta autem literarum publicarum obsignata, dignitatem conferentia & plenius enarrantia, una cum titulis cæterisque insignibus datis, itemque juribus & privilegiis fere ubique recepta videmus ad fidem dignitati civili faciendam, atque simul frau-

fraudes falsariorum arrogantiumque elidendas. De insignibus nobilium Heraldica & genealogica scripta inspiciantur. Genealogiæ antiquitas noscitur ex *Genesis cap.* V. X. XI. XXV. XXXII. XXXVI. XLV. Insignia autem stemmatum nonnulli repetunt ex attributis Jacobi filiis symbolis *Genes.* XLIX, 9. 14. 17. 21. 24. 27. ampliatis a Mose *Deuteron.* XXXIII, 8. 17 19. 20. 22. 24. *seq.* 29. Conferantur indumenta Aaronis *Exod.* XXXIX, 1-31. vexilla 4 tribuum *Numer.* I, 52. II, 2. Leones Salomonis *1 Reg.* X, 19. 20. & Cherubini *Exod.* XXV, 18-22. XXVI, 1. *Ezech.* I, 4-28. X, 1-22. *Apocal.* VII, 6. 7. 8. Apud Romanos insignia nobilium erant aureus annulus, equus publicus, clavus angustus; senatorum autem latus clavus, & in magistratu lictores cum fascibus, sella curalis, *cæt.*

§. 210.

Jura & privilegia nobilitatis gradibus ipsius respondent ex arbitrio collatorum; ideoque pro illis variant in eadem civitate eodem tempore; variant quoque diverso tempore in eodem gradu, tum in eadem, tum in diversa civitate multo magis. Omnis enim dignitas civilis nascitur ex certis juribus, quæ uni præ aliis conceduntur (§. 205. *P. VIII. Jur. nat.*), hoc est ex privilegiis concessis (§. 853. *ibid.*). Communia quidem his dignitatibus sunt jura titulorum & præcedendi (§. 765. *ibid*), quibus accedunt reditus sustinendæ dignitati pares (§. 208). Enimvero quia tituli non sunt nisi nomina honorifica (§. 763. *P. VIII. Jur. nat.*); verba autem honoris, æque ac alia, valent uti numi, pro genio populi, linguæ, ac sæculi, experientia magistra: perspicuum est, titulos, sive macilentos spectes sive pingues, non posse non variare pro genio linguarum, poqulorum & sæculorum.

Privilegiorum nobilitatis diversitas unde sit?

Si vero quoque a nudo titulo recedamus, & jura rerum & ad rem, privilegia & immunitates Nobilium consideremus: nituntur illa quidem generali Juris naturæ præcepto & officio, curandum esse in rep. ut bene de eadem merentes a cæteris honoren-

norentur, diſtinguanturque præmiis (§. 761. *P VIII. Jur. nat.*). Sed quoniam illud fieri poteſt modis diverſiſſimis, & in hoc caſu ex rerum præſentium ſeu civitatis facie & habitu ad alias vicinas ſtatuendum eſt, quid præferri mereatur (§. 176 & 978. *ibid.*): fieri aliter vix ac ne vix quidem poteſt, quam ut pro facie civitatis ejusque cum aliis nexu horum quoque jurium, privilegiorum & immunitatum multum diſcrepet, prout collatoribus earum, recte & acutius, an perperam & obtuſius judicantibus, conſultius apparuit.

Præterea quoniam cuique non tribuendum eſt, niſi quod meretur (§. 747. *ſeq. P. I. Jur. nat.*); omnes vero non poſſunt nec ubivis gentium, nec quolibet ævo idem mereri; quid? quod nec unus idemque ſemper idem meretur: diverſis meritorum gradibus in nobilitate diverſa quoque reſpondere debent jura & privilegia perſonarum & rerum. Hinc & eidem perſonæ ob majores meritorum gradus poſtea majora debentur præmia publica in eadem civitate, quam antea, ubi merita conſiſtebant intra gradus inferiores. Multo igitur magis diverſis perſonis, & in diverſis civitatibus alii atque alii nobilitatis gradus, & cum his alia atque alia jura & privilegia debentur. In quibus omnibus eorum, quibus eſt jus nobilitandi, arbitrium ſapienter eſt adhibendum, ut ſua cuique tribuantur, ſua civitati, ſua & ſingulis bene de illa merentibus pro meritorum gradu, & eorundem ac aliorum ad æque aut præclarius poſthac merendum incitamento. Ita vero ſenſim fit, ut tituli ac jura paulatim creſcant, nec omni ævo eadem uſurpentur vel in eadem civitate; multo ergo magis in civitatibus diverſis.

Dilucidandis hiſce inſerviet recordatio, hic agi de nobilitate, tanquam dignitate civili, quæ inter homines in ſtatu naturali æquales inæqualitatem introducit, quæ niſi pacto, ideoque libero mutuo conſenſu juſta eſſe nequit. Pacta vero omnia ſunt liberæ volun-

voluntatis conventiones, ideoque ab arbitrio pendent uti eorum, qui optant ejusmodi jura & privilegia sibi tribui, ita præsertim eorum, quibus jus conferendi illa in civitate est concessum, ne eodem præcipitantia quadam abutantur in detrimentum publicæ salutis.

In Aula Byzantina quatuor erant dignitatum gradus, nempe perfectissimi, clarissimi, spectabiles & illustres. Ad primam cuivis aditus patebat, qui non esset sordida conditione, & secundum *Lactantium V. 14.* omnes gradus virtutis implebat. Illustres habebant jus dicendæ sententiæ in summo senatu; spectabiles erant magistratus provinciarum, uti proconsules, augustales, comites orientis &c; clarissima dignitate potiebatur filius, quem, antequam senatorium honorem indeptus fuerat, genuerat decurio, jamque ejusdem curiæ functionibus tradiderat. *L. 74. Cod. Theod. de Decurion.* Supra illustres esse quidem dicebantur Consules, & Patricii, non autem in novo dignitatis gradu. Descendit illustrium dignitas a senatu romano, in quo *illustres & splendidi* dicebantur, qui non demum sua virtute in senatum allecti erant a censoribus, uti Varro, Cato, Cicero, sed jam nati erant ex majoribus senatoria dignitate inclutis. Vnde in atriis illorum imagines & statuæ majorum collocabantur, quando magistratus gesserant curules, quorum primus erat ædilitas.

Romæ Senatores dicebantur patres conscripti, & patres patriæ, de salute publ. in senatu sententiam dicendi & suffragandi jure gaudebant, primi sedebant in Theatris, utebantur jure epularum publicarum, summis belli pacisque muneribus præficiebantur, jus dicebant, fungebantur legationibus, poterant ludos gladiatorios aliaque spectacula populo dare aucupandæ gratiæ ergo. Expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera. Dein æreis clypeis argenteæ inerant facies. *V. Plin. Hist. nat. L. 35. c. 2.* Eorum filii antequam togam sumerent, prætexta utebantur & calceis lunatis, *&c.* Equites romani gaudebant equo publico, quo in bellum erat proficiscendum, sub equitum magistro, annulo aureo, & angusto clavo; in Theatris destinata

ipſis erant 14 ſubſellia a ſenatoribus proxima; hinc *ſedere in quatuordecim*, notabat equitem eſſe; gaudebant trabea; poterant eſſe publicani; ex illis eligebantur ſenatores; judiciis vel ſoli vel cum ſenatoribus præerant; ob res bene geſtas, accipiebant cornicula, torques, armillas, fibulasque aureas, haſtas, phaleras &c. Monebantur tamen nobilitatem non imaginibus fumoſis, ſtatuis &c. ſed virtute & meritis propagari.

Anglorum major nobilitas creatur literis regiis patentibus, donatur jure ſuffragii in ſenatu regni ſuperiori, ornatur in capite coronulis aureis, pro gradu ſuo diverſis, quod dicunt fieri ad conſulendum regi & patriæ tempore pacis; accingitur vero ipſis gladius, ad defendendum regem & patriam tempore belli; Proceres amiciuntur palliis diverſæ dignationis, appellantur a rege conſanguinei (couſins), aliisque etiam titulis ab aliis diſcernuntur, ut duces a gratia denominentur, uti olim reges, dicanturque Celſiſſimi Præpotentes & Nobiles Principes; marchiones tantum Nobiliſſimi, Honoratiſſimi & potentes principes; Comites præpotentes & nobiles proceres &c.; barones non niſi vere nobiles proceres. Sunt hi proceres non niſi regi ſubjecti, unde epiſcopi & barones aliis ſubjecti non audiunt proceres (Lords); ſunt conſiliarii Regis hæreditarii; immunes ab omni detentione & cuſtodia, niſi feloniam, violationem pacis, proditionem regis aut regni admiſerint, aut in ſenatu comitiorum condemnati ſint; nequit actio contra illos inſtitui, niſi apud proceres regni; non adiguntur ad jusjurandum, ut alii judices; neque ad cautionem pro recte gerendo officio, ſufficit ſi id promittant aſſeverate, ſeu fidem ſuam interponant (*upon their honour*); immunes ſunt a cruciatu corporis ad confeſſionem criminis eliciendam; ob legitimam abſentiam in ſenatu ſuffragium ſuum alii committunt ferendum; contra ipſos non valet ullum teſtimonium niſi juratum; ipſorum autem teſtimonia, & reſponſa, (ut dicunt) ſuper honorem data, valida cenſentur, niſi graviſſimæ obſiat rationes; in cauſa civili ne quidem ob contumaciam capi poſſunt; nobiles non ſuſpenduntur ut plebeji, ſed capite truncantur, excepta admiſſa felonia; Proceres in aulam

regi-

regiam, vel ad comitia vocati, possunt in aditu & reditu feram unam vel alteram in regiis saltibus necare; nequeunt ipsorum ædes & res, librorum prohibitorum, conventiculorum & similium causa a judicibus pervestigari, nisi signato regis jussu per sex consilii intimi membra, quorum 4 sint proceres; gaudent jure creandi vicarios pastores (Chaplairs), quisque dux 6, quisque baro tres, qui indultu archiepiscopi pluribus frui possunt reditibus sacris. Destituuntur vero jure, quo (grandes) Magnates Hispaniæ gaudent, caput coram rege tegendi; destituuntur quoque immunitate ditionum & terrarum suarum a tributis, qua Galliæ proceres eminent. Transeo privilegia minoris nobilitatis. Conferri meretur *Crusius de præeminentia & universo jure προεδρίας, Breme 1665. ed.*

§. 211.

Nobilium inopiæ uti subveniendum?

Opera quoque danda, ut qui sine culpa sua opibus destituuntur, nobiles aliunde honeste alantur, & ut vel ipsa nobilitas, vel aliæ similes dignitates haud sint sumtuosæ. Revera enim non ex splendore externo, pompa & magno sumtu faciendo genuinus honor metiendus est, sed ex virtutum præstantia, quæ per se, non autem per opes earumque impendia insolita, æstimari merentur (§. 538. *P. I. Jur. nat.*). Quum in se sola virtus nobilitet (§. 804.), nobilitas subsistere absque opibus potest, nec minorem meretur laudem, dum honesta paupertate, quam dum opulentia recte utitur. Efficiendum igitur est, ut vulgus quoque discat ex meritis, non vero ex pompa exteriori æstimare, quod obtinetur, si rex vel princeps ipse ab inani pompa alienus non amet sumtuosos sed virtutibus exsplendescentes, & quam minimis fieri potest sumtibus utatur, ac suos uti doceat; splendore tunc tantum adhibito, quando ejus peculiares & graves adsunt rationes. Vbi vero splendore opus est, iis rex utetur nobilibus, qui & opibus abundant, & splendorem modicum amant, ut se tum ostentare possint.

Paupertati vero nobilium honestæ consulendum est vel ex ærario publico, e quo alantur, vel aliis dignitatibus & functionibus decoris & lucrosis, vel ex nobilium legatis & institutis ad sublevandam nobilium, orphanorum in primis inopiam (§. 398. *P. II. Polit.*).

Quoniam omnes pro meritis ditari nequeunt, quorum tamen virtus spectata vel ulterius accendenda est in ipsa nobilitate & extra illam est: instituendæ quoque sunt dignitates civiles, ad quas & nobiles & ignobiles virtute eniti possint, nec opulentia indigeant ad eam dignitatem sustinendam, quæ non nisi personales erunt (§. 206.). Quo omnes & superiori & inferiori nobilitate præditi, & cæteri virtute illis suppares eniti ad illam in utroque sexu ament, ipsius regis seu monarchæ faciet autoritas, dum illius est caput & antesignanus; & in altero sexu regina ipsius est Magistra.

Hujusmodi adjumenta inopum nobilium passim sunt usitata, ut v. g. in aula recipiantur in regios alumnos, vel ut tanquam emeriti gratuitis reditibus alantur in collegiis quibusdam, vel extra illa. Sic equites Mariani in Prussia emeritos & ægros alebant in conventibus suis ex publico reditu suo. Inter equites S. Georgii in Anglia pariter aluntur in collegio, qui aliis vitæ præsidiis carent, propter merita militaria, & ut preces fundant pro salute regis & regni. Vid. *Chamberlaynes present state of England Lond. 1694. p. 430.* Idem quoque in aliis dignitatibus civilibus curandum, ne inopia immerita illis fraudi sit.

§. 212.

Quomodo majorum virtutis ratio sit habenda?

Fovendæ amplificandæque virtuti inservit institutum insignes honorum aut præmiorum gradus non impertiendi, nisi his, quorum virtus majorum vestigia egregie premit. Habet enim nobilitas & quævis alia dignitas civilis hæreditaria peculiaria ad virtutem intendendam invitamenta, quæ sua multitudine fortius incitare solent,

lent, ac perſonalia, & tamen cum his recte conjunguntur (§. 207.). Quare cum virtutis majorum ratio in civitate ſit habenda, ut pro re nata vel parentibus & cognatis ob præclare merita in liberis & cognatis beneficium reddatur (§. 659. *P. VIII. Jur. nat.*), vel pœna horum mitigetur & remittatur (§. 660. *ibid.*): nonnulli honorum & præmiorum gradus, vel nonnulla privilegia merito illis tribuuntur, qui non degenerant a majorum virtute, qui aliis negantur, quorum majores nullo ſimili merito excelluere. Fovendæ igitur amplificandæque virtuti conducit & dicandum eſt inſtitutum civile, certos & inſignes honorum præmiorumque gradus non impertiendi, niſi his, quorum virtus majorum veſtigiis egregie inſiſtit. Cumque majorum multi dentur gradus & generationibus æſtimandi, & diverſa meritorum ſeu multitudine ſeu magnitudine; opera quoque danda eſt, ut debita diverſitatis graduum horum ratio habeatur.

Ita uſitatum eſt, ut quædam jura nobilitatis non concedantur niſi his, quorum generis antiquitas & virtus explorata habetur, qui ſedecim & pluribus generoſis majoribus ſuos debent natales. Eodem ex fundamento ſurgere quoque poſſent ſuperiores nonnulli gradus honorum illis vindicandi, qui totidem majoribus, bis, ter & ulterius ſumtis inſignes eſſent, modo & ipſi illorum virtutem eſſent æmulati. Quanquam ideo, quia naſcendi ſors non eſt in poteſtate humana, hoc in veris meritis poni nequit; non eſſet tamen abs re, ſi huic naturali providentiæ divinæ beneficio aliud adderetur civile ex eorum genere ſaltem, quæ levioris ſunt momenti, & in titulis, & aliquo ordine & loco priori in certis caſibus, v. c. in ludis exercitiisque equeſtribus (equiriis) in honorem majorum ſimul & reip. commoda inſtitutis & adornatis, quantum fieri poteſt ſine ſumtu inani. Hoc ipſum vero non in ſola nobilitate, ſed quoque in aliis dignitatum & virtutum generibus obſervandum eſſet, quemadmodum

olim usitatum est, ut viri celebres cujuscunque generis certis præmiis & honoris monumentis pariter sui ac majorum causa afficerentur, exemplo numinis divini *Exod.* XX, 5.6. & XXXIV, 7.

§. 213.

Quid sint societates honorificæ.

Societates, quæ honoris virtutibus tribuendi causa ineuntur, dici possunt *honorificæ*. Quia virtutes humanæ sunt finitæ, ideoque semper incrementorum capaces: societates honorificæ partim præmiis mactant virtutes insignes luculenter testatas, partim alimenta præbent ad conservandas eas perficiendasque, & invitamenta ad præstantissimas æmulandas, augendas & amplificandas. Vnde dici possunt dignitates civiles (§. 205. *P. VIII. Jur. nat.*), & seminaria virtutum heroicarum saltem egregiarum, earumque simul *templa honoris* & præmia honorificentiora, &, quando summum gradum indepta sunt, honorificentissima, institutaque gloriosissima. Quia ab imperatoribus regibusque instituti solent, non abs re *augustea* vel sodalitates augustales, & *augustalitates* dici possent.

Notum est ab Augusto institutos, ut primos ordines in bello ducerent, dictos esse augustales, teste *Vegetio rei militaris L. II. c. 7.* Inde legitur in antiquis inscriptionibus: magister augustalis, decurio augustalis; leguntur & ludi augustales, vel augustalia, de quibus *Tacitus Annal. I. c. 54.* audiendus: idem annus novas cærimonias accepit, *addito sodalium augustalium sacerdotio*, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Titios instituerat, *sorte ducti e primoribus civitatis unus & viginti. Tiberius, Drususque & Claudius & Germanicus adjiciuntur.* Ludos Augustales tunc primum cœpta turbavit discordia, ex certamine histrionum. Indulserat ei ludicro Augustus, dum Mæcenati obtemperat &c. Hinc legitur in Lapide: Neroni Cæsari, Germanici F. Ti. Augusti N. divi Augusti Pron. Flamini augustali, sodali augustali. Quod munus dictum fuit augustalitas in *Grutero p. 215. n. 2. Qui ad munus augustalitatis*

com-

compellentur; &, *Huic ordo Decurionum ob merita ejus honorem augustalitatis gratuitum decrevit. Templa honoris* diceres *atque virtutis* cum *Cicerone pro Sext. c. 54.* in quibus honos habetur virtuti. Qualia Marcellus Romæ dedicavit, teste *Livio L. 27. c. 25.* & *Symmaccho Epist. L. I 21.* bene ac sapienter majores nostri ædes honori atque virtuti gemellas junctim locarunt, commenti, quod in re videmus, ibi esse præmia honoris, ubi sunt merita virtutis.„ Negabant recte, alium patere aditum in templum honoris, quam per virtutis templum.

§. 214.

Societates honorificæ quando publica autoritate institutæ sunt, dicuntur *publicæ*, quando tantum privato coalescunt consensu, *privatæ*. Ratione virtutum, quarum causa instituuntur, vel sunt *sacræ* vel *sæculares*, & hæ vel *aulicæ* vel *literariæ*. Sacræ occupantur excolendis virtutibus erga Deum, & dicuntur *ordines ecclesiastici* vel religiosi (geistliche Orden), *equestres* (Ritter-Orden); & aulicæ plerumque dicuntur *ordines* sæculares (weltliche Orden), dicantur virtutibus erga alios homines earumque præmiis, literariæ autem sunt illæ societates & academiæ scientiarum & artium, de quibus supra egimus. Quando hæ societates sunt, quod esse debent (§ 213.), in illas non recipiuntur, nec in illis tolerantur, nisi virtutibus insignes, & *hæ solæ sufficiunt ad earum consortium merendum.* Dantur autem ordines cum ecclesiastici tum aulici utriusque sexus, qui indumentis discernuntur & regulis officiorum, ut & hic nullus ordo regulis carere possit. Ordines religiosi masculini seu viriles habentur in variis ordinibus monachorum & fratrum religiosorum; fœminini seu muliebres in ordinibus religiosarum, & monialium. Ordines aulici viriles sunt equestres illi vel equitum varii generis; muliebres sunt ordines matronarum seu reginarum & imperatricum (Damen-Orden). Miscentur interdum ac conjunguntur officia sæcularia & religiosa, qui ordines

Divisio harum societatum.

dines mixti vocari possunt, cujusmodi est ordo equitum teutonicorum, olim Prussiæ dominorum.

Exhibet *Philip. Bonanni* ordines religiosorum ultra centum, religiosarum non pauciores, & ordines equitum 120, & nonnullos ordines illustrium matronarum; præter quos alii plures supersunt, & si nonnulli pereunt, alii illorum loco rursus nascuntur & instituuntur. Optandum vero, ut non solum ad genuinum scopum instituerentur, sed & ab illo nunquam desciscerent, vanitatique potius inani otio & vitiis quam virtuti litarent.

§. 215.

Quomodo civitati conveniant ordines equestres.

Expedit civitati, si in ea dentur societates honorificæ, & ordines equestres, & ad genuinum scopum dirigantur. Etenim societates honorificæ partim præmiis mactant virtutes, partim invitant ad eas ulterius perficiendas æmulandasque (§. 213.). Atque ad eundem finem quoque comparari possunt ordines equestres (§. 214). Jam in rep. curandum est, ut qui ad legem naturæ servandam proni sunt, juventur, nec ab aliis impediantur (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*), & instituenda sunt quæcunque facilius reddere possunt virtutum studium & exercitium, & obligationem civilem inducunt, ubi illa deprehenditur esse consulta (§. 396. *seq. ibid.*). Sed ad præclara in remp. merita nemo civiliter obligari potest, nisi dignitatibus civilibus (§. 771. *ibid.*). Et dignitatibus civilibus, iisque præcipuis accenseri merentur hæ dignitates honorificæ (§. 213.), ordinesque equestres (§. 214.). Quo circa cum virtutes solæ sufficiant ad ordinem ejusmodi merendum (§. 214.), & in civitate opera danda sit, ut idoneis institutis insignes honorum gradus non impertiantur, nisi virtute excellentibus (§. 212.), & ut illi vel nobiles vel alii, qui sine sua culpa opibus carent, aliis dignitatibus haud sumtuosis ornentur (§. 211.): conficitur inde, expedire admodum civitati, si in ea instituantur & foveantur societates honorificæ, ordi-

ordinesque equeſtres, modo caveatur, ne a janua templi honoris aberrent, hoc eſt a virtutibus egregiis, & degenerent in vitia quantumvis ſplendidiora.

Quemadmodum ſocietates & academias ſcientiarum civitatibus proficuas & moraliter neceſſarias eſſe oſtendimus (§. 407. *P. II. Polit.*): ita hic quoque alias ſocietates honorificas eisdem expedituras eſſe, modo fiant atque ſint, quod eſſe debent, nullo fere negotio perſpicietur. Debent enim ſodalitates hæ & magiſteria neutiquam fieri eſca malorum, ſed partim auctoramentum præclare factorum inſigniumque virtutum, partim illecebræ & fomites majorum meritorum. Neque tantum ſubſiſtendum eſt in fortitudine bellica & heroica remuneranda & amplificanda & perpetuanda; ſed idem quoque in reliquis virtutibus erga alios & commune bonum, ad ſublimiorem gradum evehendis, eſſet applicandum, uti ſodalitates artium & ſcientiarum diffundendas eſſe per omnem, qui ipſis patet, campum, docuimus. Neque abs re foret, ſi vel qui ſummæ rerum præſunt, ut in ordinibus equeſtribus, primos ſibi in his honores primasque partes ſumerent reapſe tuendas, ut & cæteræ ſodalitates honeſtæ ſublimitatis virtutum viva haberent exempla, in quæ intuerentur. Quid enim magis majeſtatem decet, quam virtutum quarumcunque, quanta in hominem cadit, ſublimitas (§. 339. *P. I. Polit.*). Nec parum expediret civitati, ſi & reliquæ ſodalitates auguſtales dici & auguſtalitate exſplendeſcere poſſent, æque ac ordines equeſtres. Ignorari nequit, cur de religioſis ſocietatibus ordinibusque nihil attulerim: cum ordines clericorum, qui proſtant, chriſtianæ ſint religionis, cujus principia revelationi divinæ debentur, e quibus & ordinum illorum indoles eſt metienda. Licet enim nonnihil ordinum religioſorum & naturalis religio & habuerit paſſim quamvis degener, & ſincera quoque admitteret; hæc tamen ſeponenda iisque relinquenda duxi, qui omnem illius ambitum excutiendum eſſent ſumturi. Quomodo præſertim ordines equeſtres ad ſalutem reip. accommodandi ſint, id generatim liquet ex eorum ſcaturigine & natura ſuperius expla-

nata. Nomina vero eorum inſignia & diſcrimina ſunt in arbitrio poſita, & pro nationum atque temporum conditione variare poſſunt.

§. 216.

Quomodo cavenda ſit eorum degeneratio?

Ne aberrent a ſcopo ſuo honorificæ dignitates civiles ordinesque equeſtres, ſapientes ipſis præſcribendæ ſunt leges, diligenterque obſervandæ. Quidquid enim bene & ſecus habere poteſt, illi opus eſt regulis & legibus, ad quarum normam agentes, a ſcopo non aberrent, ſed potius eundem aſſequantur (§ 475. *Ontol.*) & (§. 131. *P. I. Phil. pract. univ.*). Sed in ſodalitatibus auguſtalibus, ordinibusque equeſtribus, experientia duce, quæ fiunt, bene & ſecus ſe habere poſſunt. Quapropter illis ſapientes præſcribendæ ſunt regulæ, qui earum conſortes eſſe velint. Ne vero leges inutiles ſint, ſi violentur pro lubitu, addenda ipſis eſt obligatio civilis (§. 982. *P. VIII. Jur. nat.*), per quam legibus obtemperantes in magno habeantur honore, illis vero repugnantes, cenſura ſtato tempore inſtituta excidant gradu honoris vel & ordine ſuo, non ſine ignominia promerita.

Proſtant variorum ordinum equeſtrium regulæ in deſcriptionibus eorum, unde exempla peti & dijudicari poſſunt, cujusmodi ſint. Indidem perſpicere licet, quod ex neglectu & violatione legum detrimenta, ignominia vel interitus ordinis naſcatur. Licet vero nobilitas plerumque militaribus virtutibus originem debeat; leges tamen illæ non ad ſolas has virtutes ſunt reſtringendæ, quæ non niſi belli tempore requiruntur, ſed præſertim cæteris quoque virtutibus erga alios pacis tempore in ſublimiori gradu excolendis ſunt dicandæ. Neque in bello militia per ſe nobilitat, ſed virtutum cæterarum præſtantia, qua milites gregarios antecellunt viri inſignes, gradum ipſis ad nobilitatem munit. Parva enim ſunt foris arma, niſi ſit conſilium domi & qui conſilio juvat, plus juvat, quam qui armis. *V. Cicero Lib. I. de offic. c. 22.* ubi refellit eos, qui res bellicas majores eſſe, quam urba-

urbanas opinantur. Sic nolebant copiæ Davidis, ut ipſe cum illis in prælium exiret, ipſum pluris facientes decem millibus, malebantque ipſum ſibi opitulari ex urbe. 2 *Samuel.* XVIII, 3.

§. 217.

Denique premia virtutum publica in opibus donatis contineri pos- ſunt, nec raro debent, ſive promiſſa fuerint præclara perpetraturis, ſive minus. Præter gratiam enim & dignitates habentur bona ex- terna in opibus poſita (§. 185.). Enimvero hujusmodi præ- mia poſſunt in anteceſſum promitti, ſive præclara facturis in genere, ſive ea conſequuturis, quæ nominatim proponuntur, quemadmodum in re literaria problema propoſitum ſoluturis (§. 433. *ſeq.* & §. 442. *P. II. Polit.*). Poſſunt vero etiam, ſi nulla promiſſa ſint præclare meritis, exhiberi, tum grati animi decla- randi cauſa, tum remunerandi & accendendi ulterioris ſtudii cauſa, & in meritorum autore ejusve poſteris & cognatis, & in aliis eum imitaturis (§. 659. *P. VIII. Jur. nat.*). Cum quod recte fieri poteſt, etiam fieri debeat, quando graves adſunt rationes: iſta quoque præmia, in donis publicis exhibenda ſunt ſalutis publicæ ergo, ſive promiſſa fuerint præclare merituris, ſive minus.

Præmia publ. opifera vel promiſſa vel non.

Quo jucundior eſt hic modus obligandi eo, qui in pœnis ha- betur; quo propius ille ſummam Dei benignitatem, indefeſſe omnibus omnia largientem bona, imitatur; & quo melius vir- tutes excitare, fovere & amplificare valet: eo frequentior am- pliorque in civitatibus illius eſſe debet uſus, ſapienter admini- ſtrandus, quoties locum habere poteſt. Diſpiciendum enim, quid conſultius ſit, & ſalva rep. fieri poſſit, ut in quovis caſu præferatur id, quod præferri meretur.

§. 218.

Si meritum conſiſtit in actu ſingulari, fortuito, nunquam aut perraro iterando, illi reſpondebit donum ipſo dignum ſemel aut æque raro

Ratio præ- miorum ſta-

torum & cæterorum. *datum; si vero habitu nititur in dies fere exercendo aut erepto propter salutem publicam, præmium quoque est perpetuandum statumque in reditum referendum.* Præmia enim, quæ opes bene merentium augent, ut alia, respondere debent meritis, vel talia & tanta esse debent, quæ observantiam legum totam appetitui commendent, efficiantque, ut is rationi obsequatur (§. 54. *P. VII. Jur. nat.*). Quare si actus est transitorius, nec nisi semel aut raro necessarius, ejusve successus potius a fortuna quam arte pendet; non aliud quoque ipsi conveniet præmium, quam ratione temporis eodem modo comparatum.

Si vero actus est frequenter aut tantum non in dies repetendus, ideoque habitum requirit egregium: continuandum quoque eo magis erit ejus præmium, quo plus & sæpius illius præstandi causa officia erga se ipsum sunt postponenda (§. 610. *P. I. Jur. nat.*) & (§. 268 *seqq. P. IV. Jur. nat.*). Quapropter in hoc casu reditus stati præmii loco erunt adhibendi. Idem quoque valebit, si quis officio reip. præstando in eum redactus sit statum, ut deinde sibimet ipsi prospicere nequeat (§. 919. *P. VIII. Jur. nat.*). Nam si aliis civibus, qui morbo aliove fortuito casu impares facti sunt officiis erga se ipsos, necessaria vitæ præsidia præstanda sunt a civitate (§. 734. *P. VIII. Jur. nat.*); multo id magis præstandum est his, qui bene de rep. meriti sunt, quamdiu valuere, & forsitan in istum statum miserum non delapsi essent, si officiis privatis vacassent.

Militibus, qui fortiter in prælio steterunt & victoriam adepti sunt, sæpe congiaria & donativa sunt data, aut præda ab hostibus reportata, idque ab antiquissimo ævo. *Genes.* XIV, 21. 24. & *1 Sam.* XXX, 21-25. Vid. *Livius L. 37. c. 57. Sueton. in Nerone 8.* & *Curt. L. VI. c. 2.* De his enim *Cicero* recte *pro Marcello* Cæsarem placaturus *c. 2.* ait: Certe in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus, multum juvant. Maximam vero partem quasi suo jure fortuna

sibi

ſibi vindicat, & quidquid eſt proſpere geſtum, id pæne omne ducit ſuum. „ Hujusmodi munera conſiſtere ſolent in pecunia, aliisve rebus pretioſis, cimeliisque varii generis.

Altera pars hujus §. illuſtratur reditibus, vel nunc demum datis, vel auctis, in penſionibus gratuitis annuis, item in auctis ſimul honoribus & reditibus, uti vel Apoſtolus inquit, qui præſunt aut deſerviunt bene, eos ſibi gradum bonum adquirere, & munire ad altiora *1 Timoth.* III, v. 13; & uti in antecedentibus oſtendimus dignitates cum reditibus connexas. Plura de his addere jam ſuperſedemus.

§. 219.

Vtriusque generis præmia diverſa cum magnitudine, tum raritate, gradibus meritorum ſunt attemperanda. Præmia enim non debentur, niſi meritis (§. 295. *P. I. Phil. pract. univ.*), præſertim haud vulgarium remuneratio eſſe debent (§. 182.). Quare & opifera præmia publica egregiis debentur in remp. meritis. Sed merita illa gradu multum differunt, uſu rerum magiſtro. Et hæc quoque præmia gradui meritorum reſpondere debent (§. 218.). Hoc aliter fieri nequit, quam ut magnis meritis magnum reſpondeat donum, & minoribus meritis minus munus. Item raris meritis rarius donum, vulgaribus vulgare ſatisfaciet. Quo igitur merita ſunt majora, & rariora ſeu inſigniora: eo quoque majus & rarius, haud tamen indecorum, conveniet donum ſeu honorarium. Qua in re cum temporis ratio nihil mutet, ſive temporaria ſive perpetua ſint hæc præmia, utrobique gradibus meritorum eorum magnitudo & raritas erit conformanda.

Ambo ſunt gradui meritorum conformanda.

Præter magnitudinem donorum ſpectanda quoque videtur eorum multitudo & frequentia. Sed hæc frequentia aut anniverſaria, ſemeſtris, aut trimeſtris eſt, & ſic continetur in reditibus ſtatis, qui ſimul penſiones gratuitæ & remuneratoriæ eſſe posſunt; aut tantum magnum donum particulatim confert, & ita

magnitudini ineſt. Cæterum uti merita dantur rara, ita quoque rara dona reperiuntur, quibus raritas & affectio pretium addit, quod alias non haberent. Hæc ergo rarioribus inſignioribusque meritis tribui poſſe, ſi nihil obſtet, facile eſt intellectu. Calebus promittebat filiam ſuam Achſam Sepheram expugnaturo *Joſuæ* XV, 16. 17. Saulis promiſſa Goliathum trucidaturo leguntur. *1 Sam.* XVII, 25. Donum Naamanis Eliſæ deſtinatum legitur *2 Reg.* V, 5. Haſaëlis *2 Reg.* VIII, 9. Promiſſa Nebucadnezaris habentur *Dan.* II, 6. 48. *ſeq.* Belſazaris *Dan.* V, 7. Profana exempla in qualibet civitate obvia non indigent commemoratione.

§. 220.

Et cæteris donationum regulis.

Habenda quoque eſt prudenter ratio ærarii publici, conditionis eorum, quibus & quorum gratia donatur, & modi donandi. Etenim quod in privata liberalitate eſt patrimonium, cujus ratio ita eſt habenda, ut donatio deceat ejus menſuram (§. 374. *P. V. Ethic.*): hoc eſt in munificentia publica ſtatus ærarii non minus conſulendus. Vti in privatæ donationis determinatione ſpectanda eſt conditio accipientis (§. 376. *ibid.*): ita in remuneratione publica reſpiciendum eſt, quid deceat conditionem & accipientis, & illius civitatis rectoris, a quo miſſus eſt. Denique uti privata donatio tempeſtive, prudenter & perhumaniter facta antecellit eam, quæ ſecus fit (§. 277. & 418. *ibid.*): ita & in publica remuneratione prudenter diſpiciendum, quid accipienti præ cæteris ſit placiturum, quis temporis articulus ac modus donandi illi, ejusve ſuperiori, ſi eſt peregrinus, futurus ſit gratiſſimus? Hunc enim, & quidquid ita comparatum deprehenditur, prudenter anteferri nemo dubitabit.

§. 186.

Cujusmodi eſſe debeant pœnæ?

Ex adverſo petulantes legum violatores ſapienter coërcere debet pœna promerita, quantum datur, ad cohibendam legum transgreſſionem ſuffectura. Civitati enim jus eſt, puniendi eum, qui ipſam læſit

(§. 579.

(§. 579. *P. VIII. Jur. nat.*), quocunque admisso maleficio (§. 580. *seq. ibid.*). Quoniam vero maleficia multis modis differunt & gradibus, sapienter constituendæ sunt leges pœnales, ne cuiquam infligatur, quam non promeruit, pœna. Coërcenda igitur non sunt nisi pœnis promeritis, & quantum fieri in perversitate hominum potest, ad cohibendam legum transgressionem suffecturis (§ 585. *ibid.*). Hinc tantæ pœnæ sunt licitæ, quantæ ad deterrendos nocituros a maleficiis plerumque sufficiunt; unde si appareat, leviores non sufficere, gravioribus uti licet (§. 637. *ibid.*), modo salvum maneat discrimen, inter graviora & leviora delicta & crimina quoad qœnas observandum (§. 839. & 626. *ibid.*).

Scilicet, ubi cogi homines possunt, ad omittendam aliorum læsionem v. c. exsecutione solutionis, subhastatione &c.; ibi his compellendi ad officia externa modis recte utuntur superiores. Sed ubi ignoratur, quando alii sint alios læsuri & damnis affecturi, ibi aliter arceri læsiones humana opera non possunt, nisi pœnis propositis, illisque, quorum turpiter & injuste facta infecta fieri nequeunt, infligendis, ut si non ipsimet, saltem alii ab iis transgressionibus legum absterreantur.

§. 222.

Quoniam pœnis capitalibus utendum est, quando sine illis crimina frequentia coërceri nequeunt (§. 638. *P. VIII. Jur. nat.*); & variæ admodum sunt pœnæ capitales (§. 602. *seqq. ibid.*): ex nocumentis & periculis civitati imminentibus, & per pœnas arcendis (§ 625. *ibid.*), ex frequentia (§. 629. *ibid.*), ex malitiæ gradibus (§ 632. *seqq. ibid.*), cæterisque momentis in delicto aut crimine attendendis (§. 627. 630. 635. *ibid.*), *æstimandum est, quænam suppliciorum genera his vel illis delictorum & criminum generibus plerumque sint convenientiora, vocata quoque in subsidium experientia.* Ea ut absterrere in antecessum sceleratos *Modus supplicia recte adhibendi.*

pos-

poſſint ſanctionibus pœnalibus cum maleficiis ſunt connectenda ſic, ut male facturi ſciant, tale ſupplicium ſibi certo eſſe ſubeundum, niſi a maleficio abſtineant animum, ideoque *pœnæ, maleficiis ſubeundæ, ſunt illis promulgandæ*, quando latæ ſunt leges (§. 662. *ibid.*), item promulgatio, quando opus videtur, repetenda; & emergente maleficio, cui illæ propoſitæ ſunt, *malefico comperto omnino infligendæ*. Sed quoniam ſingulares occurrere poſſunt rationes, ob quas pœnæ vel exaſperandæ, vel mitigandæ aut remittendæ ſunt (§ 656 *ibid.*): nemo pœna capitali plectendus eſt, niſi ea a ſuperiori confirmata ſit aut mutata (§. 845. *ibid.*).

Nimis ſeverus Draco fuerat in ultimo ſupplicio omnibus ferme delinquentibus dictando, cujus ideo pœnas Solon abrogavit, homicidarum ſupplicio excepto.

§. 223.

Nil capitalius eſt læſione majeſtatis.

Quia crimen læſæ majeſtatis eſt factum admiſſum contra jura majeſtatis, & committitur, ſi quis adverſus perſonam ejus, qui ſummum imperium habet, quidpiam moliatur, quo jus quoddam majeſtatis ejusve uſus, vel totum imperium ſummum eidem eripitur, ut ſi perduellione ad everſionem reip. & interitum rectoris civitatis vergat (§. 1065. *P. VIII. Jur. nat.*): ſummus ejusdem gradus, quo rector civitatis vel imperio exuitur vel & vita privatur, aut integræ reip. exitium infertur, ſummo utique ſupplicio dignus (§. 1066. & 1068. *ibid.*). Dantur tamen & alii gradus, pœnam capitalem merentes, uti vulneratio regis doloſa, conſpiratio adverſus eundem, interemtio intimorum conſiliariorum, ſeditio, proditio, uſurpatio juris monetam cudendi, falſorum confectio privilegiorum, violatio ſtatuarum Principis publicarum, &c.

Læſæ majeſtatis reis lege Caji Julii Cæſaris aliisque antiquioribus ultimum ſupplicium recte infligitur: quam ob rem David

Sauli

Sauli sæpius necem sibi machinato tamen pepercit *1 Sam.* XIX, 1. 2. 10. 15. XX, 30. *seqq.* XXIV, 7. *seqq.* XXVI, 9. *seqq.* & qui sauciatum jam confecerat ipsius nutu, necari jussit ob manus violentas regi illatas, *2 Sam.* I, 14. *seqq.*, & Isbosethi interfectores graviori supplicio affecit, manibus pedibusque truncatos & suspensos *2 Sam.* IV, 12. Vt plurimum gladius, dissectio in 4 partes, ignis adhiberi supplicio solet, pro gradu atrocitatis, bonorum confiscatio, & memoriæ condemnatio seu infamia æterna.

§. 224.

Cum majestas divina sit infinita (§. 1004. *P. I. Theol. nat.*): *De pœna* ejus læsio quoque infinitam meretur pœnam, quam solus Deus *blasphemiæ.* infligere potest. Licet ergo blasphemiæ omnium maxime lege naturali prohibitæ sint (§. 1158. *P. I. Jur. nat.*); in statu tamen naturali nemini jus est eam puniendi (§. 1159. *ibid.*), sed tantum convincendi blasphemantem sui peccati (§. 1160. *ibid.*). Aliter vero res habet in statu civitatis, ubi & illi actus vitiosi puniri possunt, qui privatum quidem alium non lædunt, attamen in ipsam civitatem mala devolvunt & ignominiam, nisi puniantur (§. 653. *P. VIII. Jur. nat.*). Vnde fornicatio & scortatio, ebriositas, impietas & blasphemia in civitate recte puniuntur, ne plures ejusmodi sceleribus & vitiis se dedant, & civitati præter malam famam aliorum corruptio & vindicta numinis metuenda sit (§. 45. *Jur. Gent.*) & (§. 1081. *seqq. P. I. Theol. nat.*). *Est ergo & blasphemia* dolosa *punienda*, non quidem quatenus animo clausa manet, sed *quatenus in verba & facta in Deum contumeliosa erumpit* (§. 286. *P. III. Ethic.*).

Sacra polluere præsertim in Minervæ & Cereris arce, quæ rex & regina procurabant, maximum nefas Athenis habebatur. Sic Alcibiades accusatus, quod in domo sua mysteria faceret, absens capitis damnatus est, bonis publicatis, teste *Nepote* in *ejus vita.* De Archia, sacrorum antistite, & Theogene ob in-

genii ſimplicitatem vix veniam culpæ adepto, Vid. *Demoſthenes contra Neæram.* Andocidem religionum contemtorem *Lyſias* accuſat, id eſſe crimen atrociſſimum, capitis pœna luendum, contendens. Solo obtentu hujus criminis damnatus eſt ad cicutam bibendam Socrates, idolis tantum & caute id non tribuens, quod vulgus. Lege Moſaica Deus juſſit blaſphemum lapidibus e medio tollere *Levit.* XXIV, 11-16. Hodieque pro diverſo gradu gladio, fuſtigatione & relegatione paſſim punitur. *Conſt. Crim. Cardin. art. 106.* &c.

§. 225.

Alia crimina & delicta capitalia. Præterea homicidii & infanticidii doloſi, furti, X Vallentes aut 5 aureos excedentis, raptus & ſtupri violenti pœna capitalis injuſta non eſt, ſi iſtiusmodi crimina pœnis mitioribus coërceri nequeunt (§. 840. *P. VIII. Jur. nat.*). Ex paribus cauſis plagium; pactum abnegationis Dei cum cacodæmone initum; perjurium in capitalibus factum; vis publica; adulterium duplex; inceſtus in linea recta & proximorum laterali; Sodomia; incendiariorum delictum & rapina, ſacrilegium & peculatus, latrocinium, veneficium, aſſaſſiniumque, ultimum ſupplicium plerumque merentur.

Draconis leges Athenienſibus latæ, ob rigorem ſuppliciorum non atramento ſed ſanguine ſcriptæ dicebantur. Licet vero a Solone iſte rigor multum temperaretur, tamen ex *Demoſthene* & *Aeſchine* diſcimus, capite pœnas dediſſe, quisquis vel populum, vel ſenatum vel judicium promiſſis circumvenerat & corruperat, quisquis violatæ pœnæ cinædorum impudicitiæ erat convictus, vel lenocinii, vel eorum criminum, propter quæ in vincula abripi licebat; quisquis e Lycæo, ex academia aut cynoſarge veſtem aut lagunculam, aut quidquam aliud minimi pretii, aut vaſculum e Gymnaſiis aut partubus ſurripuerat, ſupra X drachmas.

Plagium commiſſum in libero homine ſcienter emendo vendendoque, capitale dicitur *l. 1. ff. de plagiariis.* Jure Codicis pœna

pœna gladii dictata est *l. fin. C. h. t.* nec minus Jure Mosaico *Deuter.* XXIV, 7. Lege Mosaica forensi lapidebatur, qui die sabbathi ligna collegerat *Numeror.* XV, 35. Capitalis erat labor die Sabbathi *Exod.* XXXI, 14. *seq.* incestus, adulterii cujusque admissio, exsecratio & verberatio parentum, Sodomia pæderastia *Levitic.* XX, 9. *seqq.* Scortatio filiæ sacerdotis *Levit.* XXI, 9. furtiva rerum abolendarum amotio *Josuæ* VII, 13. *seqq.* idololatria, & illius persuasio vel a vate facta *Deut.* XVIII, 20. & XIII, 5. Nimius quidem pœnarum rigor fugiendus est, tanquam a legibus naturalibus & humanitate alienus; ubi tamen gradus malitiæ & criminis id requirit, ibi merito & supplicii gradus augetur pœnam solitam exasperando (§. 610. *P. VIII. Jur. nat.*), sive ante sive post illatum supplicium: uti forcipum candentium laceratione, crurifragio, implicando cadaver rotæ, palo impositæ &c.

§. 226.

Si qua delicta supplicium non merentur, nec tamen mulcta cohi- *Ubi affligen-*
beri possunt, ibi statuendæ sunt pœnæ corpus affligentes, quarum gradus *do doloribus*
delicto respondeat. Si enim nimia est pœna capitalis, illa non est *corpore opus*
promerita, nec ideo infligenda (§. 221. *seq.*). Si mulcta co- *sit?*
hiberi delicta nequeunt, illa non sufficit ad coërcendam legum transgressionem (§ 222.) aut & dari nequit. Quare cum adhibendæ sint pœnæ cohibendo delicto suffecturæ (§. 221.); sed præter mulctam & supplicium dantur pœnæ corpus dolore affligentes (§. 589. *P. VIII. Jur. nat.*): sequitur in dictis casibus adhibendam esse corporis afflictionem, ut dolore corporis perferendo deterreantur a delicto scelerati. Manifestum igitur est, ubi nec supplicio, nec mulctæ locus est, ibi ad corporis coërcitionem esse deveniendum in compescendis delictis.

Enimvero, quia cavendum, ne major pœna, quam culpa sit, nec gravioribus uti licet, nisi appareat, non sufficere leniores (§. 637. *P. VIII. Jur. nat.*); quia in doloribus corpori infligendis æque varii dantur gradus ac in delictis illos merentibus,

tibus, uſu ipſo teſte: non aliis utendum eſt corporis afflictionibus, quam quæ gradui delicti reſpondere intelliguntur.

Hujusmodi pœnæ ſunt flagellatio; verberatio; carceris ſqualor, fuſtigatio, ergaſtulum, manuum pedumque vincula & compedes vel clauſtra; damnatio ad opera publica, uti ad remos, metalla, munimenta, piſtrinum &c; mutilatio membrorum & quæ his ſunt ſimiles, v. c. tormenta cauteria & ſtigmata inuſta. Huc pertinent Judæorum flagra tria terdecies inflicta, *Diuteron.* XXV, 2. *ſeq.* & jus talionis *Exod.* XXI, 24. *ſeq.* & *Levit.* XXIV, 19. *ſeq.*

§. 227.

Caſus potiores cruciandi corpus.

Corpore affligendo aut mutilando luunt non ſolum, qui dictatam mulctam ſolvere nequeunt, verum etiam perjuri in cauſa civili, doloſi digami, falſarii, qui capitalium delictorum penitus convinci nequeunt; aut leviorum furtorum comperti, aut quidem graviorum, ſed quorum reſtitutio facta non relinquit ſummam capitalem (§ 225.), qui ætatis, imbecillitatis animi, affectus, dignitatis, & meritorum, vel ſeductionis adjumenti & conſortii tantum levioris excuſatione in criminibus capitalibus mitigationem pœnæ merentur, rei criminum attentatorum duntaxat, & capitalis delicti propemodum convicti, ſed frivole id negantes &c.

Perjurii convictis digiti in jurejurando præſtando erecti in pœnam abſcindi conſueverunt; ſed Agyptiorum lege olim perjuri capite multabantur, tanquam qui duplici tenerentur ſcelere, cum & pietatem in Deos violarent & fidem inter homines tollerent, maximum vinculum ſocietatis humanæ, uti refert *Diodorus ſicul. L. I. c. 6.* Nonnulla delicta apud alios mulcta, apud alios dolore corpori inflicto rectius puniuntur: prout vel delinquentium conditio, merita & animi indoles requirit; aut hoc vel iſto genere pœnæ facilior correctio obtineri poſſe intelligitur. Supplicia & corporis cruciatus infamiam plerumque, ſaltem ignominiam pariunt, quoties ex merito infliguntur (§. 619.

619. *seq. P. VIII. Jur. nat.*). Quorsum etiam referuntur numellæ aliæque pœnæ ignominiosæ, uti sepultura asinina &c. (§. 621. *ibid.*).

§. 228.

Inter pœnas corpus affligentes & mulctas medium quasi locum tenent, quæ jura civitatis cuncta aut potiora aut nonnulla adimunt. In pœnam enim adimi possunt res & jura quælibet sive in perpetuum, sive ad certum tempus (§. 589. *P. VIII. Jur. nat.*). Sed pœnæ, quæ in ademtione rei pretiosæ aut pecunia consistunt, dicuntur mulctæ (§. 590. *ibid.*); quæ autem corpori dolores creant, corpus affligunt (§. 611. *ibid.*). Vix autem quisquam erit, qui sanitatem, integritatem membrorum & libertatem & integritatem famæ non redimat, si fieri possit, pecunia aliisque rebus ad opes pertinentibus, quanquam emendicatione parandis, experientia teste. Quare liquet, & mala corporis præcipua & jurium civitatis insignium graviora statui jactura quorundam bonorum, qua mulctæ absolvi solent. Collocantur igitur haud abs re pœnæ, quæ jura civitatis, si non quævis, saltem potiora adimunt, medio veluti loco inter afflictiones corporis & mulctas.

Quo loco censeantur pœnæ jura civitatis adimentes?

Quid non darent multi divites medicis, si eos liberare morbis & doloribus possent, quos perpetiuntur? Inservit sanitas usui cultuique plerarumque virtutum, ideoque magno haberi pretio meretur. Sed & libertas civilis, amicitia, fama honesta, cæteraque jura civitatis, cum ad exercitia virtutum, tum ad fructum salutis publicæ, tranquillitatis securitatisque vitæ multum conferunt. Horum ergo civitatis jurium ademtio, seu ex integro, seu ex parte fiat, paulo minor est sanitatis & integritatis membrorum insigni jactura; major tamen pendenda quadam mulcta. Hujusmodi sunt captivitas, carcer privatus aut publicus, relegatio perpetua aut ad tempus, deportatio in locum molestum, & interdictio eodem exeundi, & alia loca convenientiora adeundi infamia quæcunque (§. 595-600. *ibid.*).

Athenis infamis erat (ατιμος), si quis donis aut pollicitis aliquos corruperat, aut corrumpi se passus erat ad nocendum populo, & miserius judicabatur apud suos ignominiosum vivere, quam apud exteros exulare, teste *Isocrate* & *Demosthene*. Item si quis pæderastiæ impudicæ convincebatur; si qua uxor cum adultero fuerat deprehensa, cui & vestimenta & ornatum dilacerare & diripere in fanis permittebatur. Si quis patrem aut matrem verberarat, aut non aluerat, aut expeditiones non obierat, aut clypeum abjecerat, aut meretricium fecerat quæstum, aut patrimonium luxu absumserat, ei ad populum verba facere non licebat e suggestu. Hujus generis quoque erat Romanis usitata capitis diminutio triplex, minima familiæ, media civitatis, & maxima, cum familiæ & civitatis, tum quoque libertatis amissio. Quia utendum est pœnis, coërcendo delicto suffecturis (§. 221.), & dispiciendum est, quænam genera pœnarum in dato casu convenientiora sint futura (§. 222.): de his quoque pœnis, quibus jus est pœnarum, statuendum erit, quænam pro re nata sit præferenda, cui dignitas, autoritas, existimatio, civitas ipsa sit abroganda, vel & ignominia, contumelia aut infamia irroganda? Illis, qui sibimet ipsis violentas intulere manus, aut in alios & remp. graviter peccarunt, denegari solet, honesta sepultura, & vel nulla vel asinina tantum tribui.

§. 229.

Vbi mulctis sit utendum? *Mulctarum genera ibi sunt sapienter adhibenda, ubi nec affligendi corporis ratio prævalet, nec ignominia aut infamia locum habet.* Graviora enim sunt pœnarum genera, quæ in corpore coërcendo & cruciando, item in civitatis juribus auferendis exseruntur, nudis mulctis (§. 228.). Quare ubi propter neglectum officium nec corpus est castigandum, nec civitatis jura minuenda aut adimenda: ibi mulctis sed tam sapienter utendum erit, ut genera earum respondeant fini, obtinendo gradui culpæ sortique personarum (§. 221.).

§. 230.

Mulctæ vel publicæ sunt vel privatæ. Publicæ injunguntur & exiguntur a superiore, cui earum jus est in civitate. Privatæ autem inter contrahentes pacto statuuntur, ne quid contra contractum fiat. Vnde & privatim mutuo consensu sanciuntur, ideoque pactitiæ dici possunt. Quia pactis standum est (§. 789. *P. II. Jur. nat.*): si quid adversus ea fiat, quibus pœna pacto est statuta; pœna conventa erit solvenda (§. 52. *P. VII. Jur. nat.*) & (§. 606. *seq. P. III. Jur. nat.*). *Mulctæ vel sunt publicæ, vel privatæ.*

§. 231.

Mulctarum gravissima est confiscatio & publicatio bonorum, ad supplicium pro meritis augendum faciens; *a qua haud longe distat majoris bonorum partis pœnalis ereptio; ademtio redituum publicorum, vel præmiorum; deinde variæ mulctæ minores, seu legibus jam determinatæ, seu arbitrio judicis pro re nata definiendæ.* Confiscatio enim bonorum est actus, quo omnia, quæ delinquens habet, eidem adimuntur in pœnam & fisco attribuuntur (§. 593. *P. VIII. Jur. nat.*). Ad quam evidenter prope accedit majoris bonorum partis mulctatio. Si patrimonium vel exiguum sit, vel nullum; publicorum redituum, præmiorum & pensionum gratuitarum ademtio vel diminutio mulctæ ingentis rationem habebit. De minoribus mulctis, non est, cur sigillatim agamus, quas ex lege, aut consuetudine, aut arbitrio pro personarum & rerum, de quibus agitur, ratione, denique conventione judicis & mulctandi determinare diversitas casuum rerumque publicarum jussit. *Mulctarum publicarum gradus.*

Scilicet, ubi limitata est reip. forma, ibi populus libertatis suæ studiosior pœnarum moderamen, & mulctarum mediocritatem sui ipsius causa suscepit, & vel legibus definivit, vel suo reservavit consensui. Quemadmodum in forma absoluta ab affectibus imperantium facile nascitur rigor pœnarum peccans exces-

exceſſu ſuo: ita in limitata facile indulgentia & contemtus pœnarum vitiis delictisque fores aperit defectu debitæ juſtitiæ, niſi utrumque ſolicite caveatur, & gradibus pœnarum rite conſtituendis, opera navetur (*§. 626. ſeqq. P. VIII. Jur. nat.*).

§. 232.

Quid in mutatione pœnarum obſervandum?

Cum pœnarum finis in pœna dictanda infligendaque ſit reſpiciendus, ut cohibenda legum transgreſſio, quoad ejus fieri poteſt, obtineatur (§. 585. *P. VIII. Jur. nat.*), & in magnitudine pœnæ determinanda attendendæ ſint delinquentis qualitates, quæ pœnam vel graviorem vel leviorem ſeu faciunt ſeu requirunt (§ 635. *ibid.*); ideoque graviores tum demum licent, quando leviores non ſuffecturæ eſſe intelliguntur (§. 637. *ibid.*): poſſunt quidem ſuperiores pœnas ſalutis publicæ & æquitatis cauſa remittere aut mitigare (§. 658. *ibid.*), ideoque ſupplicium in corporis afflictionem, & hanc in mulctam, & vice verſa, convertere, modo graves id urgeant cauſæ, & affectuum pravitati errorique nihil detur. *Etiam igitur atque etiam examinandum eſt conſilium mulctam in afflictionem corporis, ſive hanc in illam; aut ſupplicium in afflictationem corporis, ſive hanc in illud mutandi, & generatim pœnam vel augendi vel minuendi, ne quid in eo admittatur ſaluti publicæ adverſum.*

Valet & hic tritum illud: deliberandum eſt diu multumque, quod ſtatuendum eſt ſemel. Facile enim quod admiſſum eſt, vertitur in exemplum, quod veras cauſas neſcientes in ſuam interpretantur rem, tanquam in caſum ſimilem; & niſi idem obtinent, quod ob diverſitatem cauſæ ſæpe nequeunt obtinere, ſuperiores criminantur redduntque ſaltem apud imperitum vulgus ſuſpectos. Ad quas criminationes elidendas, cauſarum diverſitas, & meritorum animorumque diſparitas ob oculos eſt ponenda.

§. 233.

§. 233.

Quia licet suam vitam (§. 1013. *P. I. Jur. nat.*), res suas (§. 699. *P. II. Jur. nat.*), & pudicitiam suam in statu naturali defendere cum strage aggressoris, raptoris & stupratoris violenti (§. 355. *P. VII. Jur. nat.*), quoties aliter periculum evitari nequit: *quando in statu civili pœna publica locum habere nequit* (ut in tali loco, aut tali tempore, quo auxilium aliorum & magistratus copia deficit), *impunis esse debet ista defensio naturalis, vel cum internecione violenti invasoris facta* (§. 533. *seqq. P. VIII. Jur. nát.*). *Quando locus pœnæ privatæ dandus?*

In casu necessitatis defendendi se, suos, sua jura, resque suas, licet malum inferre injusto aggressori propter officium erga se & alios, cui aliter satisfieri nequit (§. 572. *P. VI. Jur. nat.*). Necesse tunc est, ut vis vi repellatur, ideoque si aliter depelli nequeat, ut vel vulneretur vel mutiletur, vel interficiatur. Vbi enim par malum imminet, nobis potius, quam aliis consulendum (§. 574. *seq. ibid.*). Talis vero casus necessitatis & in civitate adest, quoties & copia magistratus, & aliorum deficit adjumentum. Lege Solonis si quis noctu quidpiam surripuerat, eum & occidere, & inter persequendum vulnerare fas erat, secundum *Aeschinem in Orat. Timocrat.* In *Timarchea* idem ait, quis aut grassator, aut fur, aut adulter, aut homicida, aut gravissimorum scelerum designator, modo occulte facinus patret, pœnas dabit? Inter hos enim illi, qui in ipso facinore deprehenduntur & fatentur, statim occiduntur; qui autem clam patrarunt & infitias eunt, in judicium adducuntur, deque iis veritas verisimilibus conjecturis est indaganda.

SECTIO I.

CAPUT IV.

DE

Cura ſapienter perficiendi juſtitiam & æquitatem privatam, præſertim in pactis actibusque beneficis.

§. 234.

Juſtitia & æquitas privata uti promovenda.

Probitas publica & juſtitiam privatam & æquitatem civium ſapienter procurat ſaltem in actionibus externis manifeſtisque. Probitas enim publica exercet & procurat juſtitiam æquitatemque civium inter ſe, quantum fieri poteſt (§. 172.); ideoque ſapienter bene & male factis tribuit quod juſtum eſt & æquum (§. 173.). Quæ cum in civitate perquam ſit ad ſalutem publicam utilis & neceſſaria (§. 169.): utique in rep. eſt ſapienter procuranda (§. 160.), atque opera danda, ut eam colentibus melius ſit, quam neglecturis (§. 170.) Quia virtutes hæ ſapienter quidem inculcandæ, & quibus fieri poteſt argumentis, doctrinis, exemplis, adhortationibus & incitamentis provocandæ ſunt fovendæque (§. 3. *ſeqq.*); ſed quatenus obtineri nequeunt, ſaltem externi actus earundem ſunt requirendi exigendique (§. 161.): probitas quoque publica, ubi pravitas animi corrigi ſe non patitur, ſaltem id ſapienter curat, ut in actionibus civium externis manifeſtisque officia juſtitiæ & æquitatis erga ſe invicem obſerventur.

Oſtenſum ſupra eſt, omnes virtutes erga alios in rep. eſſe perficiendas (§. 160.): quare oppido patet, cum juſtitia & æquitas ſint virtutes erga alios exercendæ (§. 164. 166.), eas quoque, ut religio & imperium ſui, eſſe in rep. promovendas (§. 165.). Dum probitas publica aliis debita exigit, urget quoque charitatem

tatem aliis debitam, justitiam & æquitatem (§. 163.). Quibus modis hæ virtutes intus in mente & actionibus internis perficiendæ sint, patescit ex §. 168; patescit quoque ex iis, quæ de pietate & imperio sui enucleata sunt (§. 165.). Licet igitur æquitatis officia tam perfectum jus aliorum non contineant, ac officia justitiæ strictius dictæ, quæ perfecta præbet jura (§. 240. *P. I. Phil. pract. univ.*); involvit tamen justitia latius accepta ipsam quoque æquitatem erga alios, tanquam virtus, jus suum cuique tribuens (§. 921-926. *P. I. Jur. nat.*), ideoque constantem & perpetuam voluntatem inferens, jus suum (sive perfectum sit, sive imperfectum) cuique tribuendi (§. 328. *P. I. Phil. pract. univ.*). Videlicet quod ratione aliorum hominum, qui ignorant id in casu singulari, imperfectum vocatur jus; id nec ratione Dei, nec in se, nec ratione ejus, qui alteri obligatur, imperfectum est, sed perfecta nititur obligatione interna conscientiæ (§. 656. *P. I. Jur. nat.*). Proinde justitiæ universalis est, etiam id, quod æquum est, alteri præstare (§. 934. *P. I. Jur. nat.*), quia & illud convenit legi naturali (§. 240. *P. I. Phil. pract. univ.*), & eadem præceptum est (§. 935. *P. I. Jur. nat.*). Hinc & privatis petere licet, quod æquum est, & postulare, quod fieri debere manifestum est, etsi cogere alterum, ut faciat, non licet (*not.* §. 933. *P. I. Jur. nat.*).

§. 235.

Vti justitia & æquitas privata inter cives promovenda est (§. 234): ita *injustitia & iniquitas privata, quantum civilibus institutis sapienter fieri potest, impedienda est & compescenda.* *Injustitia vero & iniquitas coërcenda.*

Impar quidem est civitas omni injustitiæ iniquitatique avertendæ, præsertim quatenus utraque animo inhæret. At hic quoque sufficit, si actibus utriusque extrinsecus erumpentibus & erupturis, quantum sapienter fieri potest, occurratur, uti (§. 234.) monetur. Idem quoque valet de decoro, legibus naturæ commendato (§. 192. *seqq. P. I. Phil. pract. univ.*).

§. 236.

Num ad æqua statui possit perfecta obligatio?

Quia ex eo, quod imperfecte debetur, fieri potest lege civili perfecte debitum, quando salus civitatis id postulat (§. 977. P. VIII. Jur. nat.); *salute publica id flagitante imperari quoque civibus potest, debetque, quod naturalis est æquitatis & humanitatis officium; prohibendum autem in eodem casu, quod iniquum esset, inhumanum & indecorum* (§. 235.). Vnde injuncta legibus civitatis æqua, & prohibita iniqua, perfectam inducunt obligationem civilem, illa agendi, hæc fugiendi.

§. 237.

Inter parentes & liberos.

Si parentes erga liberos, vel liberi erga parentes se præbeant iniquiores, magistratus injungere ipsis potest æquitatem, & ad eandem invitos adigere, iniquitatem autem admissam punire. Flagitante enim salute publica imperari potest ac debet civibus, quod naturalis æquitatisque humanitatisque officium est, & prohibendum contrarium (§. 234. & 235.). Civium numero vero continentur quoque parentes & liberi, nemine diffitente. Ea propter si vel parentes erga liberos, vel hi erga illos se præbeant iniquiores, implorata magistratus autoritas intercedere potest ac debet, injungendo æquitatem observandam, & injunctam nondum adimplentes adigendo ad illi satisfaciendum, & ad abstinendum ab iniquitate; persistentes vero in iniquitate puniendo (§. 236.).

Aequum est, ut parentes consentiant in honestum vitæ genus, ad quod liberi naturali ingenio & instinctu feruntur, nec invitos prorsus compellant ad aliud, a quo abhorrent. Aequum est, ut iidem consentiant in honestum conjugium liberorum, nec frivole & abusu patriæ potestatis illos ab eodem retrahant, denegata dote & ope parentum. Aequum est, ne eos prohibeant sequi & adipisci honores ac reditus, quos merentur, licet forte parentum majores. Quibus in rebus si morosius repugnant offi-

officio, nec precibus ac per amicos ad officium revocari ſe patiuntur: nil obſtat, quo minus adeatur magiſtratus, & qua par eſt modeſtia imploretur, ad flectendos, uti ſapienter fieri poteſt, parentes, ad locum æquitati erga liberos innocentes relinquendum. Vice verſa ſi liberi parentibus non præſtent, quæ poſſunt & ex grata mente & æquitate debent, imploratus a parentibus magiſtratus his quoque conſulet, imperando liberis, quod æquitas & pietas erga parentes ſuadet poſcitque.

§. 238.

Quia tutores ac curatores vitrici & novercæ parentum vicibus fungi debent, pupilli autem & curandi ac privigni &c. partibus liberorum (§. 439. & 575. *Oecon.*): *quæ de parentibus & ſimilesque liberis oſtenſa ſunt* (§. 237.), *applicanda quoque ſunt ad tutores & curatores, vitricos &c. pupillosque & curandos, quoties ſalutis publicæ ratio æquitatis rationem haberi, & innocentibus ſubvenire jubet.* Idem quoque valet de æquitate inter præceptores & diſcipulos, quocunque nomine compellentur, procuranda. *Inter tutores & pupillos, similesque cæteros.*

§. 239.

Neque minus inter conjuges, conſanguineos & affines cuſtodia æquitatis procuranda. Arctior enim conſuetudo, quæ inter conjuges intercedit, & intercedere debet (§. 473. *P. VII. Jur. nat.*), exigit, ut omnia officia, quæ homo homini præſtare poteſt, uſus rerum omnium, quas habent, ac omnes caſus, tam ſecundos, quam adverſos inter ſe communicent (§. 471. *ibid.*). Hinc mutua charitate ſe aliis hominibus præferre (§. 83. *Oecon.*), arctiſſimaque amicitia & æquitate ſe mutuo proſequi debent (§. 98. *ſeq. ibid.*). Quod ni faciant, ſed conquerendi de ſe apud magiſtratum anſam dent, utique magiſtratus erit, innocenti opitulari, iniquitatem rigoroſe inhibere, & immorigerum pœna coërcere promerita (§. 236). *Inter conjuges, conſanguineos & affines.*

Quoniam inter consanguineos & affines itidem frequentius commercium dari solet, quam inter alios homines, idque charitate insigni & æquitate mutua suavius est reddendum (§. 856. *Oecon.*): oppido perspicitur, si quis iniquior sit in cæteros, ubi hi, frustra tentatis mitioribus avocamentis, magistratus auxilium implorare coguntur, id ipsis esse impertiendum. Est ergo & inter hos tranquillitatis publicæ causa fovenda & protegenda æquitas naturalis.

Inprimis quando de divisione communis patrimonii, aut de fructuum & usuum illius, quod in communione manet, agitur; aut quando alii in communione manere volunt, alii nolunt: opus est, ut magistratu & legibus iniquitati obviam eatur, & concordia inter dissidentes procuretur & stabiliatur.

§. 240.

Aequitas & b. f. inter cives promovenda.

Certum est, remp. eo esse feliciorem stabilioremque, quo plura in ea se recte habent, & quo rectius se habet unumquodque (§. 246. *P. I. Polit.*), & recte se habere illa, quæ conveniunt cum lege naturali (§. 242. *ibid*). Quare cum Deus & lex naturæ jubeat præferre meliora, & sectari optima, quæ haberi possunt (§. 241. *ibid.*), cum salus minorum societatum in rep. non tantum salva esse, sed & iis augeri debeat bonis, quæ non nisi conjunctis civitatis viribus haberi possunt (§. 250. *ibid.*): *procurandum est*, *ut* quemadmodum inter plures civitates commercantes bona fides & æquitas pretiorum est adhibenda (§. 446. *ibid.*), ita quoque *non tantum inter cives sed & inter exteros & cives, sive commercia tractantes, sive quævis alia negotia habentes, bona fides & æquitas sancte observentur* (§. 455. *ibid*), *mala fides vero & iniquitas pro virili coërceatur & proscribatur* (§. 236.).

Studendum nempe est, ut cives sint & cives & viri boni ac probi, h. e. si Festo credimus, prohibi, qui se a delinquendo prohibent, vel si *Ciceronem* sequi malumus *in Lælio*, qui ita se gerunt,

gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur fides, integritas, æquitas, liberalitas; nec ſit in eis ulla cupiditas vel libido, vel audacia, ſintque magna conſtantia, hos viros bonos appellandos putamus. Qui ideo ita vivunt, ut probentur ab illis, cum quibus & apud quos vivunt, & *Lib. I. de offic. c. 7.* ex juſtitia boni viri appellantur, & ex huic conjuncta beneficentia, quam vel benignitatem vel liberalitatem appellare licet. In hoc naturam ducem debemus ſequi, & communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter ſe ſocietatem. *Cap. 9.* addit, bene præcipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites æquumne ſit, an iniquum. Aequitas enim lucet ipſa per ſe; dubitatio cogitationem ſignificat injuriæ; & *cap. 13.* totius injuſtitiæ nulla capitalior eſt, quam eorum, qui tum maxime, cum fallunt, id agunt; ut viri boni eſſe videantur. Vbi poſtea *cap. 14. ſeq.* cautiones affert beneficentiæ ac liberalitatis, ſubjicitque: de benevolentia autem, quam quisque habeat erga nos, primum illud eſt in officio, ut ei plurimum tribuamus, a quo plurimum diligimur . . . ſin autem merita, ut non ineunda ſed referenda ſit gratia, major quædam cura adhibenda eſt. Nullum enim officium referenda gratia magis eſt neceſſarium. Quodſi ea, quæ utenda acceperis, majore menſura, ſi modo poſſis, jubet reddere Heſiodus: quidnam beneficio provocati facere debemus? An imitari agros fertiles, qui multo plus afferunt, quam acceperunt? Etenim ſi in eos, quos ſperamus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre, quales in eos eſſe debemus, qui jam profuerunt? Nam cum duo genera liberalitatis ſint, unum dandi beneficii, alterum reddendi: demus, nec ne, in noſtra poteſtate eſt; non reddere viro bono non licet, modo id facere poſſit ſine injuria. Acceptorum autem beneficiorum ſunt delectus habendi; nec dubium quin maximo cuique plurimum debeatur. In quo tamen inprimis, quo quisque animo ſtudio, benevolentia fecerit, ponderandum eſt . . . ſi in collocando beneficio; certe & in referenda gratia, ſi cætera paria ſint, hoc maxime officii eſt, ut quisquis maxime

opis

opis indigeat, ita ei potiſſimum opitulari, quod contra ſit a plerisque. Hujusmodi boni viri Ciceroni digni eſſe dicuntur, cum quibus in tenebris mices. *Platoni in Gorgia* nec adverſus Deum nec adverſus homines iniquum dicentes aut facientes, viri boni ſunt. Quoniam ad æquitatem in legibus civitatis reſpiciendum eſt, *Cicero in Topic.* jus civile dixit æquitatem conſtitutam iis, qui ſunt ejusdem civitatis.

Perſæ, teſte *Xenophonte in Cyropædiæ L. I.* ſi quem videbant gratiam non referre cum poſſet, in eum ſevere animadvertebant. In Athenarum urbe adverſus ingratos actio erat conſtituta ſecundum *Valerium Max. L. V. c. 3.* item apud Macedones, teſte *Seneca de Benef. L. III. c. 6.* Quia tamen frequentiſſimum eſt ingratorum crimen, eique fora omnia vix ſufficiant, ſæpe manet impune, quia difficilis eſſet illius æſtimatio & probatio: improbatur tamen, nec penitus impunitum eſt, dum odio damnatur, inviſum eſt cunctis, & inter ea relinquitur, quæ ad Deum vindicem mittuntur. *ibid. & c. 7. ac 17.* Sic legibus XII. Tabularum & in judiciis requirebatur, ut ex fide bona ageretur, in arbitrio rei uxoriæ hæc verba excellebant: *melius, æquius;* & in fiducia, ut *inter bonos bene agier* oporteat. *Cic. de off. III. 15.* Nec tantum erga bonos, ſed & erga pravos (§. 808. *ſeq. P. I. Jur. nat.*), & in ipſis quoque pœnis, quibus afficiendi ſunt, æquitas eſt obſervanda (§. 1065. *ſeq. ibid.*). Idcirco *Seneca de Clem. L. I. c. 18.* In mancipio inquit cogitandum eſt, non quantum illud impune pati poſſit, ſed quantum tibi permittat æqui bonique natura, quæ parcere etiam captivis & pretio paratis jubet.

§. 241.

Aequa litis compoſitio uti ſit procuranda?

Dum controverſiæ naturaliter ſopiri poſſunt amicabili compoſitione, vel transactione, vel ſorte, vel conciliatione & compromiſſo in arbitros (§. 869. 878. 885. 923. 945 & 1099. P. I. *Jur. nat.*); & in ſtatu civili opera danda eſt, ut ad legem naturalem ſervandam proni adjuventur, nec ab aliis impediantur (§. 395. P. *VIII. Jur. nat.*), & ut legum naturalium cuſtodia

ad

ad ſalutem publicam adquirendam & perpetuandam adhibeatur (§. 41. *P. I. Polit.*): *concedenda eſt civibus facultas amico modo controverſias ſuas componendi, uti in ſtatu naturali fas eſt, eaque amica & æqua compoſitio, vel a magiſtratu tentanda, ſuadenda & concilianda eſt, antequam judicium ſubeatur, præſertim in caſibus magni momenti, difficilioris diſcuſſionis, & ubi leges civitatis quidpiam permittunt, naturali legi non ex aſſe conveniens aut ab eadem recedens.* En rationem publice curandi æquitatem.

Res levioris momenti ordinarie ex æquo & bono amicis modis componi, in omni fere civitate receptum eſt. Neque minus concedi ſolet, ut in rebus gravioris momenti, quæ magno ſumtu in litis proceſſu ſunt ſtaturæ, diſſidentes vel inter ſe amice tranſigant, vel adhibita arbitrorum aut judicum autoritate. Sic in Saxoniæ Curiis provincialibus graves nobilium, cæterorumque, qui illis ſubſunt, controverſiæ primum amicis perſuaſionibus & argumentorum ponderibus conciliantur, ſi fieri poteſt, & oſtenſis remediis conciliatorum, qui ſimul ſunt judices futuri, relinquitur locus. Tum demum, quando conciliationis ſpes decollat, res ad judicialem cauſarum diſquiſitionem deciſionemque remittuntur. (**Sie werden von der Güte zum Recht verwieſen**). Ita haud raro evitantur litigiorum & tædia & impendia, quibus alter alterum vexare, exhaurire & eo adigere nititur, ut victoriam locupletiori relinquat. Perinde eſt, utrum hæc tacita lege ſive conſuetudine, an diſertis legum verbis concedantur. Sufficit illi locum dari, quod legi nat. eſt conſentaneum, & ad cavenda incommoda & nocumenta publica æque ac privata ſalutare. Id vero, quod leges civiles permittunt, non ideo approbant, ſed aliis modis convenientibus arcent, ac conſcientiæ curæ ac vindici relinquunt.

§. 242.

Si quis rixator alterum, qui ſe æquum illi præbet, aperte litibus vexare aut perdere velit, eum magiſtratus ſuperior adigere poteſt, ad æquas conditiones accipiendas. Eſt enim æqua litis inter cives obor- *Aut & extorquenda interdum.*

obortæ compoſitio vel ope magiſtratus concilianda (§. 241.). Si jam altera pars conditiones æquas offerat alteri, non ſolum facit, quod ſui eſt officii, ſed & magiſtratus, judicium laturus, idem ſtatueret arbitri ad inſtar (§. 963. 965. & 973. *P. V. Jur. nat.*). Quas ſi altera pars aſpernatur, & aperte iniqua poſtulat; neceſſum eſt, ut id ipſi ob oculos ponatur & idoneis argumentis ab iniquitate avocetur. Quibus ſi ſe ad æquitatem adduci non patiatur, magiſtratus eſt, æquam diſſidentium partem juvare & tueri, iniquam autem vi adigere, ut ſaltem actiones externas ad legem naturæ componat (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*). Neque enim pervicax adverſarius ſic tantum iniquus eſt, ſed & litibus alterum vexaturus aut plane perditurus, ſumme injuſtus in ipſum fieri conatur. Quod cum ferendum non ſit, ſed judex ſuum cuique jus tribuere debeat, ac unumquemque defendere adverſus injurias aliorum (§. 538. *ibid.*): manifeſtum eſt, ſi quis altercator alium æquum civem litibus juridicis vexare & perdere velit, magiſtratum ſuperiorem illum adigere debere, ad æquas conditiones accipiendas (§. 566. *ibid.*).

Coëunt homines in civitatem, ut felicitate eo ampliori ac tutiori potiantur (§. 39. *P. I. Polit.*). Quæ cum ſine virtutibus & cuſtodia legum naturalium haberi nequeat (§. 40. *ſeq. ibid.*): conjunctis viribus operanda eſt in civitate, ut legibus naturalibus ſatisfiat, atque compeſcantur, qui illis ſatisfacere detrectant. Quæ partes cum magiſtratui ſint demandatæ, inprimis ſuperiori, illius eſt, refractarios adigere ad locum æquitati & juſtitiæ relinquendum.

§. 243.

Quando concedenda ſit appellatio, ſupplicatio &c?

Quia lege civili ſtatuuntur rationes probatu faciles, & valde difficiles naturales non attenduntur (§ 986. *P. VIII. Jur. nat.*); læſionibus quibusdam auxilium in foro denegatur (§. 988. *ibid.*), & admittuntur nonnulla legi naturæ non ex aſſe conſentanea (§. 989. *ſeq. ibid.*): libera eſſe debet civibus appel-

latio ſuperioris judicis, quando ſe ſententia judicis vel legitima gravatos ſentiunt (§ 549. *ibid.*), item querela de judice iniquiore (§. 550. *ibid.*), & ſupplicatio (§. 551. *ibid.*), ut ſententia adverſus ipſos lata, ob rationes, quæ non videntur rite expenſæ, aut necdum antea expoſitæ ſunt, vel e novis documentis aut teſtibus demum innotuerunt. *Aequitatis cauſa igitur eſt, ubi admittendæ ſunt appellationes, querelæ, explanationes gravaminum* (Leuterungen) *& ſupplicationes.*

§. 244.

Nequaquam impediendi, ſed promovendi potius ſunt in reip. ſalutem contractus actusque benefici idoneis inſtitutis. Actus enim beneficus eſt actus ſimplex, ex quo alter tantum percipit utilitatem quandam, alter vero nihil viciſſim recipit (§. 3. *P. IV. Jur. nat.*); isque vel mere beneficus, qui & intelligitur, quando ſine hoc addito, actus beneficus dicitur, vel obligatorius, cui mutua adhæret obligatio perfecta (§. 4. & 5. *ibid.*), quem & contractum beneficum nuncupari conſtat (§. 417. *ibid.*). Quoniam naturaliter homines ſibi invicem obligantur ad beneficia mutua, quantum in poteſtate eſt (§. 23. *ibid.*); & in rep. opera danda eſt, ut ad legem naturæ ſervandam proni juventur, nec ab aliis impediantur, cæteri autem vi adigantur, ut minimum actus externos ad legem naturæ componant (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*): eluceſcit veritas, actus contractusque beneficos nequaquam impediendos, ſed potius in ſalutem reip. provehendos eſſe, idoneis eam in rem inſtitutis.

De beneficis actibus & contractibus promovendis.

Non abs re diſcernuntur actus benefici & contractus benefici, cum hi perfectam utriusque obligationem inducant, illi neutiquam obligent ad quidquam, licet mutuo conſenſu illico peragantur. Si pauperi donatur eleemoſyna, quam ſtipem latini vocant, & is eam accipit, nec donans amplius perfecte obligatur, nec donatarius pauper. Si ſponte gratias agere, aut gratus

esse nolit, cogi ad id proprie nequit, nec compelli plerumque solet. Inde talis donatio actus quidem est beneficus, & conventio duorum, ob consensum in idem placitum vel præstandum (§. 698. *seq. P. III. Jur. nat.*). Peracta autem conventione, qua una idem decrevere, nulla restat externa obligatio, actionem in foro dans (§. 701. *ibid.*), sola restat obligatio interna ad gratum animum erga benefactorem (§. 91. *seqq. P. IV. Jur. nat.*). Contractus autem benefici non illico in præsens absolvuntur, sed complectuntur ulteriorem promissionem in futurum prominentem (§. 16. *ibid.*), & obligationem perfectam, donec absolvantur. Vti qui rem suam alteri in certum tempus commodat, is obligatur ad usum destinato tempore concedendum: commodatarius vero obligatur ad rem salvam relinquendam & finito usu reddendam commodanti.

§. 245.

Libertas licitæ donationis bonorum omnium provehenda.

Libera manere debet cuique donatio vel omnium bonorum suorum, quando licita est, h. e. illa neminem lædit, sed facit ad officio cuidam erga Deum, nos & alios satisfaciendum. Licitæ enim sunt donationes, quæ faciunt ad satisfaciendum officio cuidam erga nos, vel alios, vel erga Deum (§. 124. *P. IV. Jur. nat.*), ideoque nulli officio repugnant, nec quemquam lædunt (§. 125. *ibid.*) & (§. 669. *P. I. Jur. nat.*). Donari vero possunt res tam incorporales, quam corporales quæcunque, sive mobiles sint, sive immobiles (§. 49. *P. IV. Jur. nat.*). Proinde & omnium bonorum donatio fieri poterit, quando illa nemo læditur, sed officium expletur hoc actu benefico seu beneficio (§. 17. *ibid.*). Inter quæ officia non postremum est evitatio abusus & procuratio legitimi usus bonorum alienatorum. Cum actus benefici in civitate non sint impediendi, sed potius in reip. salutem idoneis beneficiis promovendi (§. 244.): patet, liberam cuique relinquendam esse donationem suorum bonorum vel cunctorum, idoneisque institutis adjuvandam, ne a quoquam impediatur,

diatur, neque ab ipſo donatore temere & illicite fiat (§. 104 *cit. P. IV.*).

Quo majoris momenti eſt donatio omnium bonorum, eo magis illud cimelium civibus ſalvum eſſe debet in civitate, eoque diligentius cavendum, ne illicite illa fiat, quocumque ſeu errore, ſeu dolo cujusquam. Qui enim mali finis conſequendi cauſa donaret, ejus donatio foret illicita (§. 123. *P. IV. Jur. nat.*), & quidquid vitiat promiſſionem, id quoque vitiat donationem (§. 80. *ibid.*). Opus ergo eſt, ut illud civibus notum fiat, quod vitiare ejusmodi donationem poſſet, ut ſecure ſuo jure uti poſſint citra ullius læſionem.

§. 246.

Quia libertas licitæ donationis bonorum vel omnium in republica provehenda eſt (§. 245.); donatio vero inter vivos eſt donatio ſimpliciter dicta ſtatim valens, eaque irrevocabilis (§. 148. *P. IV. Jur. nat.*): *libera quoque civibus eſſe debet donatio licita vel omnium bonorum inter vivos, ſive ſtatim tradantur, ſive uſufructu reſervato acceptio aut exactio eorum ſuſpendatur a morte donantis* (§. 146. *ibid.*). Quia donatio facta inter vivos ſub conditione, ſeu ante ſeu poſt mortem donantis eventura aut abfutura, evaneſcit quatenus illa deficiente non eſſet facta (§. 156. *P. IV. Jur. nat.*): *ipſa quoque omnium bonorum donatio ſub conditione facta evaneſcet, ſi conditio vel per ſe manifeſta, vel diſerte expoſita, contrario ſuo eventu irritam declaret donationem.* *Tum inter vivos.*

Sit donationis exactio dilata in mortem donantis. Moriente donatario ante donantem, irrita fit ipſa donatio, quia ſat aperte includit conditionem, ſi donatarius poſt mortem donantis ſuperſtes fuerit. Sit facta ſub conditione, ſi filius cœlebs moriatur, is vero matrimonium init; vel ſi donatarius donantis neptem ſibi matrimonio jungat, ac ut par eſt, amet; qui eam peſſime tractat.

§. 247.

Tum mortis causa.

Mortis causa vel omnia bona licite donantur ea lege, ne donatio fiat irrevocabilis nisi per mortem donantis, quam donationem civitas recte tuetur. Omnis enim donatio mortis causa vel in statu naturali tacitam continet reservationem juris revocandi donationem, quando officium revocationem flagitabit (§. 140. *seqq. P. IV. Jur. nat.*). Ideoque res jam traditæ ad convalescentem donatorem revertuntur, nondum vero traditæ demum post fata donatoris donatario sunt tradendæ (§. 144. *ibid.*). Quocirca & in civili statu licita donatio mortis causa ea fiet lege, ne donatio fiat irrevocabilis nisi morte donatoris.

Cum vero donationes in statu naturali licitæ, vel officii causa prorsus necessariæ, in rep. sint conservandæ & provehendæ (§ 244. *seq*): donationem licitam omnium bonorum civitas quoque recte tuetur, ut firmam & reip. salutarem, tum ne cui jus illius præter rem denegetur, neque vi aut dolo extorqueatur, tum ne post mortem donantis ejus donatio recte facta violetur. Illicitam vero rescindet & irritam declarabit (§. 246.).

L. 13. *ff. de donat. mortis causa dicit Julianus: sic quoque potest donari mortis causa, ut nullo casu sit ejus repetitio, ideoque nec si convaluerit quidem donator.* Sed hujusmodi donationem rectius nomen donationis inter vivos sortiri notat *Godofredus.* Qui enim ita statuebant, mentionem aut suspicionem mortis donatoris aut alterius, in donatione factam, arbitrabantur sufficere ad donationem mortis causa, quod accurate dici nequit, & ad summum romanis raro usitatum dici posset. Respexere, qui cum Juliano faciebant, procul dubio hoc, donationi respondere capionem, ne irrita sit, uti venditioni emtio. Sed includit donatio perfecta donatarii consensum in donum accipiendum, ideoque pariter non opus est mortis causa capione; ac inter vivos capio, vel commodati capio &c. per se intelligitur, & sufficit donantem ac dona-

donatarium, commodantem & commodatarium &c. diſtingui. Si quis tamen cum Vlpiano, Juliano, *cæt.* tam lato ſenſu accipere mortis cauſa donationem velit, ut ſit donatio propter cujusquam mortem, & ut ſit mortis cauſa capio acceptio ejus, quod propter alicujus mortem obvenit *l. 1. & 9. ff. de mortis cauſa donation.* eidem ſtatuendum erit cum Juliano *l. 18. cit. Tit.* mortis cauſa donari & capi non tunc ſolum, cum quis ſuæ mortis cauſa donat, ſed & ſi id faciat propter alterius mortem. Præterea videbit, ne fruſtra nominet mortis cauſa capionem, cum *Cicerone* autore *c. 8. Topicor.* nec deditio nec donatio ſine acceptione intelligi poſſit. Non autem fruſtra nominatur mortis cauſa capio, ſi eam notat ſpeciem, quæ fit mortis alterius cauſa atque ſic donationem mortis alterius cauſa includit, nonnullo verborum compendio. Apud eosdem romanos ita donare poterant, quicunque poterant contrahere, uti filii quoque familias, uſurarii &c. Vivus ibi cum vivo agebat, valebatque donatio, etiamſi nemo eſſet hæres, vel indignus, vel incapax; & abſens ita donabat per procuratorem vel nuntium, vel literas &c. Præterea romani & modum donandi valide mortis cauſa præſcribebant, *v. c.* ut 5 teſtes eſſent adhibendi, ut ſubſtitutio in ea valeret, etiam fideicommiſſaria, & jus accreſcendi inter conjunctos, ut contra hæredes ex ea actio detur, ut valeret inter conjuges, ut ob capitales inimicitias revocata cenſeretur, ut hæ donationes legatorum inſtar per omnia haberentur. *Inſtit. de donat. l. 1.* & Paulus *l. 15. ff. de mort. cauſ. cap.*

§. 248.

Quid legibus cavendum circa donationes?

Ne quid temere & illicite fiat in donationibus omnium aut quorundam honorum ſeu inter vivos, ſeu mortis cauſa, frequentiores caſus legibus ſunt definiendi, ut conſtare donaturis poſſit, quinam, cui, quid, quantum, cur & quomodo valide donare poſſint cauteque. Legibus enim civilibus docendi & obligandi ſunt cives ad id ſequendum in ſuis actionibus, quo bonum commune ſeu ſalus civitatis obtinetur (§. 969. *P. VIII. Jur. nat.*), & quod officiis naturalibus reſpondet (§. 973. *ibid.*). In iis vero, quæ pluribus modis fieri poſſunt,

ſunt, præcipere poteſt ſuperior eum, qui cæteris præſtantior occurrit (§. 978. *ibid.*) & (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ*), item præmiis pœnisve humanis cives obligare, ad eum obſervandum (§. 979. *ibid.*). Quam ob rem & in donationibus quibuscunque vel omnium vel quorundam bonorum conſulendum eſt publicæ ſaluti ope legum civilium, quibus frequentiores caſus dilucide definiantur ſecundum juſtitiæ naturalis normam, ut conſtare donaturis poſſit, quinam, cui, quid & quantum ac quomodo valide cauteque donare ſecundum licitum ſcopum poſſint aut debeant. Ne vero negligantur leges, obligandi quoque ſunt cives ad earum obſervantiam additis præmiis pœnisque civilibus, ſaltem his generalibus, ut legitima donatio habeatur rata & exſecutioni detur, quando ea eſt opus; illegitima autem irrita declaretur. In cæteris, quæ lege comprehendi non potuerunt, ſuperiores, ad quos ea diſcuſſio pertinet, legi & æquitati naturali locum dabunt, ne quid temere & illicite fiat.

E diverſitate caſuum, in quibus hæ donationes fieri ſolent, præcipuam attentionem & legum ſubſidium efflagitarunt donationes pupillorum, minorum, feminarum, nuptiarum cauſa, (ſive dotis loco, ſive donationis propter nuptias,) ægrotorum, luctus cauſa, &c. item revocationes & reſciſſiones donationum, quatenus licent. Huc pertinent quoque donationes ſuæ proſperitatis cauſa factæ, ut ſi quis felicis matrimonii, magni lucri, amplæ ſpartæ, victoriæ cauſa donaria det militibus, amicis, domeſticis, v. c. veſtitum & mundum propter nuptias, donum læto nuntio &c. Pariter legibus ſtatuendum, quæ donationes eſſe debeant judiciales, & quid circa illas in caſu neceſſitatis, aut ope privilegii conceſſum eſſe debeat; quæ vero, quousque & quomodo privatim fieri poſſint, ut in foro approbentur? Quæ cum variare multis modis poſſint, & ſoleant; nimis prolixum foret, omnia percenſere. Fundamenta patent ex *juris naturæ P. IV.* Cætera ex natura civitatis, legibusque & conſuetudinibus,

bus, in similibus aliis civitatibus majori cum fructu receptis, quam quæ alibi vigent, peti, & ope prudentiæ ad præsentem rerum faciem applicari debent. Reliquæ donationes erga egenos, colligendæque stipes a magistratu pro re nata civibus indefinite sunt imperandæ, & a concionatoribus ulterius commendandæ argumentis idoneis, ut scopo satisfiat. Idem quoque tenendum est de donis ad pias causas aliaque publica emolumenta, ædificia publica, vel sacra vel profana, in quibus liberalitas publici boni causa est exercenda. Interdum & ipsis regibus dona communia debentur.

§. 249.

Mortis causa capio strictius dicta, requirit donationem inter vivos mortis alienæ causa factam, ac fieri potest sub conditione, ut restituatur, si alter convaluerit; uti generatim fortunæ causa capio infert donationem intuitu fortunæ alienæ factam. Est enim hæc mortis causa capio adquisitio rei donatæ intuitu mortis alienæ, sed non ex bonis defuncti (§. 203. *P. IV. Jur. nat.*). Quare cum capere rem donatam nemo possit, nisi donetur, manifestum est, mortis causa capionem stricte dictam (§. 247. *in not.*) requirere & includere donationem. *De mortis aut fortunæ causa capione.*

Quæ cum non fiat propter mortem donatoris, nec ex defuncti bonis, sed ab alio ex ipsius bonis; revera est donatio inter vivos. Includit ergo mortis causa capio donationem inter vivos.

Quia dominium transferri potest quacunque licita conditione (§. 11. 14. *P. III. Jur. nat.*); & donatio transfert dominium rei donatæ in donatarium (§. 675. *P. II. Jur. nat.*): hinc apparet, donationem quoque fieri posse, sub quacunque lubet licita conditione, ideoque & mortis causa capionem, ex donatione propter mortem alicujus, qui non est donator, oriundam.

Vti mortis, sic & fortunæ alienæ causa donatio fieri potest ac solet. Cum fortuna vel sit prospera vel adversa (§. 540. P. I.

P. I. Theol. nat.): quæ donationes tum in fortuna ſecunda, tum in adverſa, ſeu ferendæ ſint in civitate ſeu faciendæ, civibus non eſt diſſimulandum, ne luxui & vitiis aliis locus detur, quæ facile irrepunt, ni leges obſtent. Inde & fortunæ cauſa capiones indigent legum civilium norma, quæ convenientiam cum naturalibus involvant.

Hujus generis ſunt dona, quæ dantur ab hærede aut legatario illi, qui ipſi mortem teſtatoris aut legantis annuntiat. Satis antiqua eſſe hujusmodi dona, patet ex *L. II. Samuel. IV, v. 10.* ubi mors Saulis annuntiata fertur Davidi ſpe præmii inſignis reportandi. Ita hodieque propter res ſecundas Regum ipſorum miniſtri inter exteros, & cives domi gaudii teſtandi cauſa varios ſumtus impendere ſolent, in convivia, ſpectacula, ludicros ignes, illuminationes &c. Neque deſunt inter eos, qui aliorum ſubſunt imperio, qui ob res ſecundas conjugum, liberorum, aliorumque conſanguineorum, affinium & amicorum liberales ſunt erga alios ſive amicos, ſive domeſticos, ſive egenos. Et quis neſcit, vel ob fata conjugum, liberorum, cognatorumque lugubria his donari veſtimenta, &c. qui in partem luctus vocandi videntur. Vbi iterum legibus ordo & modus eſt præſcribendus, ad vitandos exceſſus.

§. 250.

De hæreditatibus & legatis.

Ad actus beneficos referuntur quoque teſtamenta, ſucceſſio ab inteſtato, & legata, quorum illis bonorum univerſitas, his quædam bona defuncti, in alios transferuntur aut abſolute aut ſub æquis conditionibus. Eſt enim teſtamentum ultima hominis res ſuas alienantis voluntas, ſeu declaratio expreſſa voluntatis de translatione vel donatione univerſitatis rerum poſt mortem ſuam relictarum, non niſi poſt mortem ſuam accipienda (§. 994. *P. VII. Jur. nat.*): uti legatum ſimiliter fit de parte rerum ſuarum, vel eſt donatio rei cujusdam ultima voluntate facta (§. 1003. *ibid.*); & ſucceſſio ab inteſtato fit ex præſumta voluntate defuncti, vel ex tacito veluti

luti teſtamento (§. 1032 *ibid.*). Jam quia nec hæres, nec legatarius quidquam dat defuncto pro iis, quæ accipit, nec defuncto proprie quidquam reddere poteſt, tanquam nullius rei terreſtris indigenti: is actus, quo moriturus ſua bona, ſeu omnia, ſeu quædam, cuiquam donat, ut ea poſt mortem accipere poſſit, eſt actus mere beneficus, & verum donum, ſive expreſſa ſive tacita voluntate defuncti nitens.

Quoniam dominium rei transferri poteſt, quomodo donanti lubet, vel ſimpliciter, vel ſub quacunque licita conditione (§. 11. & 14. *P. III. Jur. nat.*): teſtamenta quoque, tanquam donationes bonorum univerſitatis, & legata tanquam donationes nonnullius rei, fieri poſſunt uti abſolute, ſic & reſtricte ſub licita conditione & lege adjecta.

Tacita defuncti ultima voluntate nititur ſucceſſio ab inteſtato, in qua ex æquitate moriturus judicatur voluiſſe id, quod vel lex naturæ, vel illam explicans & applicans civilis injungit. Tacita quoque dantur legata, v. c. ſi quis moriturus debitori chirographum, quo redditionem pollicetur, remittat, vel comburat, vel dilaceret, aut debita ejus ex debitorum catalogo ita expurgat, uti reddita expurgere conſuevit. Sufficit vero ſi unum eorum fecerit, ex quo voluntas ejus indubie apparet, licet alterum neglexiſſet. v. g. ſcit debitor ex narratione amici, creditorem ſuum ipſo præſente debitoris chirographum ſcientem volentemque deſtruxiſſe, licet nomen ejus oblitus ſit extinguere aut cancellare inter debitores.

§. 251.

Quousque libertas teſtamentorum civibus permittenda, & promovenda?

Quia naturaliter teſtamentum facere licet (§. 999. *P. VII. Jur. nat.*), quo quis ea vult, quæ poſt mortem ſuam fieri debent, & dominium rerum ſuarum in alium transfert ea lege, ut non niſi poſt mortem ſuam acceptetur (§. 992. 996 *ibid.*); & imperium civile non includit dominium rerum, quæ ſunt civibus (§. 103. *P. VIII. Jur. nat.*); niſi quando ſalus publica impedi-

pedimentum ejus abusus, vel usum eminentis dominii licitum requirit (§. 110. *seqq. ibid.*): *libertas testamentorum faciendorum & mutandorum in civitate salva manere civibus debet* (§. 717. & 722.), *quoties salus publica aliud non flagitat.* Id quod raro contingit, scilicet quando deficit usus rationis & libertatis, aut quando in pœnam criminum bona fisco recte addicuntur &c.

Idem quoque inde patet, quia finis civitatis quoque est tranquillitas & securitas (§. 11-13. *P. VIII. Jur. nat.*), involvens vacuitatem a metu injuriarum & vis externæ; & quoniam domino jus est de alienatione rerum suarum statuendi pro arbitrio suo (§. 118. *P. II. Jur. nat.*), ita ut permittendus eidem sit rerum suarum abusus, quam diu nil facit contra jus (perfectum) alterius (§. 169. *ibid.*). Quid? quod non obstante jure perfecto liberorum & parentum, utrinque recte se gerentium, tamen ob merita testandi & prælegandi quoddam jus domino superest, tam ratione consanguineorum, quam extraneorum (§. 975 982. 1002. 1005. & 1007 *seq. P. VII. Jur. nat.*); immo jus exhæredandi eos male se gerentes, qui a vita scelesta sese revocari minime patiuntur (§. 988. 1000. & 1014. *ibid.*).

Nec tantum concedendum est civibus jus naturale testamenta faciendi ac mutandi, sed & *illius usus genuinus salutis publicæ causa in civitate reddendus est facilior, melior, certior & tutior, ac futurus esset, in statu naturali* (§. 41. 192. 270. *P. I. Polit.*) & (§. 395. *seqq. P. VIII. Jur. nat.*). Neque enim alium in finem civitates ineuntur, quam ut unusquisque jure suo quiete fruatur, quod ipsi ab aliis debetur, tuto consequatur, nec a quoquam impune lædatur, & ut omnes ac singuli conjunctis viribus se suaque adversus vim aliorum defendant (§. 2. *ibid.*), & quia actus benefici sunt promovendi (§. 244.), modis optimis (§. 243. & 250.).

§. 252.

§. 252.

Quia dominus non aliter re sua uti debet, quam ut satisfaciat obligationi naturali (§ 167. *P. II. Jur. nat.*), & eadem abutitur, quoties contra obligationem suam quidquam facit (§. 168. *ibid.*); abusus vero rerum suarum lege naturali est prohibitus (§. 170. *ibid.*): *ne peccet dominus, donaturus, testamentum facturus, vel legaturus res suas, abusu alienationis, & ipse cavere, & civitas eum juvare debet idoneis legibus institutisque* (§. 243. *seq.* 248. & 251.). *Cavendus testamentorum legatorumque abusus.*

§. 253.

Sicut donatio non valet, nisi sit licita (§. 241.): ita *nec testamentum & legatum*, semper continens donationem (§. 250.), *& legata valere debet, nisi sit licitum in se, & licite fiat.* Idcirco ob turpem causam aut finem factum, erit illicitum (§. 123. *P. IV. Jur. nat.*), & rescindendum Neque valere poterit, si sit inofficiosum & injustum, ut si hæredes naturales in eo prætereantur, nec justa de causa exhæredentur (§. 1015. *P. VII. Jur. nat.*); si posthumus nascatur (§. 1022. *ibid.*); si legitima sit læsa, quæ hæredibus debebatur, aut si in fraudem creditorum aliorumve donatio facta *Testamenta sint licita.*

Quia licite quoque fieri debent, hoc est licito modo; fieri non debent a destitutis usu rationis & libertatis, ab ebriis, a delirantibus morbi causa, nec vi, metu, dolo, extorqueri, nec modo in civitate repudiato & pro invalido declarato. Hinc & irrita erunt, si inani & fraudulenta persuasione, promissis dolosis elicita, aut metu incusso & vi extorta, aut corrupta vel subdititia sint.

Turpes hæredipetas seu captatores testamentorum legatorumque passim offert ætas antiquior recentiorque, sæpe sub amicitiæ & pietatis specie fallentes. Vnum commemorabo Regulum; de quo hæc narrat *Plinius L. II. Ep. 20.* Verania Pisonis graviter jacebat. Ad hanc Regulus venit. Primum impudentiam

tiam hominis, qui venerit ad ægram, cujus marito inimicissimus, ipsi invisissimus fuerat. Proximus thoro sedit, quo die, qua hora nata esset interrogans. Vbi audivit, componit vultum, intendit oculos, movet labra, agitat digitos, computat nihil, nisi ut diu miseram exspectatione suspendat. Habes, inquit, climactericum tempus, sed evades. Quod ut tibi magis liqueat, auspicem consulam, quem sum frequenter expertus. Nec mora, sacrificium facit, affirmat exta cum siderum significatione congruere. Illa ut in periculo credula, poscit codicillos, legatum Regulo scribit. Mox ingravescit (morbus), clamat moriens, hominem nequam, perfidum, ac plus etiam quam perjurum, qui sibi per salutem filii pejerasset! Facit hoc Regulus non minus scelerate, quam frequenter, quod iram deorum, quos ipse quotidie fallit, in caput infelicis pueri detestatur . . . Hæc in ea civitate, in qua jam pridem non minora præmia, immo majora nequitia & improbitas, quam pudor & virtus habent. Aspice Regulum, qui ex paupere & tenui ad tantas opes per flagitia processit, ut ipse mihi dixerit, quum consuleret, quam cito sestertium sexcenties impleturus esset, invenisse se exta duplicata, quibus portendi, millies & ducenties habiturum. Et habebit, si modo ut cœpit, aliena testamenta ipsis, quorum sunt, illa, dictaverit. Addi possunt plura, quæ ibidem addit, ejus nequitiæ documenta.

§. 254.

Quomodo futurus bonorum donandorum abusus sit præcavendus?

Præcavendus quoque est, quantum datur, futurorum abusus dominorum, in quos bona relicta transferuntur, præsertim si proprio marte & virtutis studio sunt quæsita. Ipsum hominis dominium non infert alium usum, quam quo obligationi naturali satisfit (§. 167. *P. II. Jur. nat.*). Vnde nec ipse iis abuti debet, nec aliis permittere, ut eis abutantur (§. 170. *ibid.*) vel eis ansam dare illis abutendi, quia eo ipso peccaret. Quisquis non impedit factum alterius, quod impedire poterat, ei illud imputatur (§. 678. *P. I. Phil. pract. univ.*), & quo magis factum alienum a nostra

nostra voluntate dependet, eo magis imputatur (§. 651. *ibid.*) quoque majora sunt bona vel mala, quæ ex facto tali emergunt, eo magis imputatur (§. 652. *ibid.*). Cum omnis culpa agenti imputetur (§. 722. *ibid.*) & improvidentia sit culpa, qua animus non attendit ad malum eventurum, quod prævidere poterat (§. 764. & 768. *ibid.*), & omittuntur ea, quæ ad malum declinandum fieri poterant ac debebant (§. 765. *ibid.*), æque ac imprudentia, qua non fit, quod in præsenti rerum facie consultius erat (§. 777. *ibid.*): qui conscientiam suam custodire non nisi recte agendo cupit, ei omnis culpa, etiam improvida & imprudens quæque actio est evitanda (§. 637. *P. II. Phil. pract. univ.*), omnisque danda opera, ut quemcunque facultatum suarum usum, quem habere possunt, quam optime præstet (§. 642. *ibid.*). Quare dominus & testaturus & donaturus in genere, seu inter vivos, seu mortis causa, seu legata, mores eorum diligenter scrutari ac intueri debet, quibus bona sua vel omnia, vel nonnulla est relicturus, ne illa relinquat immeritis ac iis, quos prævidere sat probabiliter potest, iisdem esse abusuros. Ideoque talibus vel nihil relinquere seu donare debet, ne se reddat illorum abusus participem & correum, vel si quid officium ipsis tribuere jubet, id iis circumscribendum est conditionibus, substitutionibus, fideicommissis, pœnis, quibus abusus quam optime caveatur (§. 350. *seqq. Ethic.* & (§. 1058-1064. *P. VII. Jur. nat.*).

Inde denuo liquet, testamenta, legata &c. libera esse civibus debere, ut secundum conscientiam rerum suarum usum futurum genuinum procurent, ne magistratus nimiis curis distrahantur, & tamen vix pares sint istis disquisitionibus debite peragendis. Bene meritis igitur tantum & bonæ spei dominis bona sunt relinquenda vel donativa (§. 1005. *P. VIII. Jur. nat.*).

Id quod eo magis erit obſervandum, ſi bona relinquenda non ſint avita, quæ quodammodo familiæ progenitorum deberi dicantur ex ipſorum voluntate & legibus, familiæ conſulentibus ſaluti; ſed proprio virtutis ſtudio quæſita, & a Deo in uſus optimos non præſentes tantum, ſed & futuros conceſſa. Cui obligationi ut ſatisfiat, uti omni, ita & ultima voluntate eſt proſpiciendum (§. 412. *Oecon.*). Quanquam & ea pars bonorum avitorum, quæ cuiquam obtigit, ex eodem majorum officio haud ſecus donata eſt & donanda, alii cuicunque, vel propterea quia eorum dominium rite in nos eſt devolutum; itaque itidem ac a nobismet parta, bene adminiſtranda ſunt, & futuræ quoque bonæ non malæ & turpi adminiſtrationi credenda (§. 1014. *not. P. VII. Jur. nat.*), & (§. 454. *Oecon.*).

Notum eſt imputationem actionum noſtrarum etiam ibi valere, ubi vel caſualem eventum evitare noſtræ eſt opis (§. 639. *P. I. Phil. pract. univ.*), ita ut obligemur ad omittendam actionem, e qua vel caſu prævidendo oriri poteſt eventus malus (§. 640. *ibid.*). Hujusmodi caſui æquiparari poteſt prævidendus abuſus bonorum per illos, quibus ea ſumus donaturi. Præcavetur autem abuſus, ſi eis, qui abuſuri non vane prævidentur, aut parum vel nihil donatur, aut quod donatur ipſorum poteſtati non permittitur, ſed aliis adminiſtrandum datur, qui ipſis tantum dent, quæ ad officia explenda ſunt neceſſaria, ſimili fere modo, ac prodigorum bona curatoribus adminiſtranda dari ſolent, ut ex uſufructu pro ipſis ea ſolvant, quæ honeſta alimenta, veſtimenta & his ſimilia vitæ præſidia requirunt.

§. 255.

Quid in civitate ſtatuendum ſit circa exhæredationem?

Ne ipſa exhæredatione cuiquam injuria fiat, juſtæ exhæredandi cauſæ civibus ſunt propalandæ, iisdemque injungendum, ut diſerte eas adducant, quibus ſunt inducti ad hoc officium, niſi ſint notoriæ, ne irrita fiat exhæredatio. Maxima enim civium pars ſolet eſſe rudis, & con-

confuſa cognitione facile aberrare ab officio, niſi experientiæ fidem derogamus. Quare non docendi tantum ſunt cives, ut, qui velint, officia ſua diſcere poſſint, ſed & legibus obligandi ad ea, quando naturalis obligatio negligitur ſeu ab ignaris, ſeu ab indulgentibus temere affectibus ſuis (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*). Quare ne neſciant juſtas exhæredandi cauſas, valide exhæredaturi, docendi eas ſunt, & ut de veritate illarum judicari poſſit, obligandi, ut eas commemorent breviter (§. 1018. *P. VII. Jur. nat.*), niſi per ſe ſint notoriæ, ſeu antea in forum deductæ. Obligantur vero hoc ipſo, ſi exhæredatio illorum nulla aut irrita declaretur, quando vel nullas cauſas adduxere exhæredationis, vel cauſæ allatæ falſæ eſſe aut non ſufficere deprehenduntur (§. 1019. *ibid.*), vel tacite tantum liberi parentesve prætereuntur. (§. 1015. *ibid.*)

Generalis quidem ratio exhæredationis patet e Jure naturæ, ſcilicet ſi quis ſciens volensque e diametro contraria agat officio proximorum conſanguineorum in linea præſertim recta, nec a vita turpi & ſceleſta ſe avocari patiuntur (§. 1000. & 1014. *P. VII. Jur. nat.*). Talis quoque caſus eſt, ſi quis turpi vita opes ſuas profundat, vel jam obæratus ſit, in anteceſſum abliguriens futuram, quam ſperat, hæreditatem. Præſtat tamen graviores violati officii caſus diſerte commemorare, cujusmodi ſunt, inſidiarum vitæ præparatio, ipſumque parricidium ſaltem tentatum, violentæ manus injuſte & crudeliter illatæ, atrox injuria, calumnia & contumelia, accuſatio & delatio criminis nefaria, violenta prohibitio teſtamentum condendi, aut debite inſinuandi, violatio thori teſtatoris malitioſa, denegatio auxilii in periculo vitæ, v. c. furioſi, ſubmerſi in aqua, inter hoſtes cæt. denegata redemtio e captivitate hoſtium, atheiſmus & hæreſis, aliaque vita flagitioſa, luxurioſa, prodiga, corrigi neſcia, & conſortium cum peſſimis maleficis &c. conf. *Novella* 115. *c.* 3. Immo vocat Juſtinianus extraneum ad ejus hæreditatem, qui furioſum, a ſuis imploratis neglectum ſuſcepit ſuisque ſum-

tibus usque ad finem vitæ fovit diligenterque adjuvit. *ibid. n.* 12. Sic & negligentes e captivitate redimere parentem ante quam in ea decedat, *n.* 13. excluduntur ab illius hæreditate, quæ ecclesiæ patriæ adjudicatur pro redimendis captivis aliis. Neque mirum foret, si civitas loco indignorum hæredum pro dictis officiis defuncto præstitis, aut ad aliorum redemtionem præstandis, aliasque similes pias causas, ingratos hæredes excluderet, sibique hæreditatem vindicaret: uti pro prodigo declarare eum potest patrio velut officio, qui post parentum fata ita degenerat, ut patri idem fuisset faciendum. Nec iniquum foret, magistratum in aliis exhæredationis causis occupare parentum defunctorum officia, quæ morte præventi explere non potuerunt, citra ullius injuriam, in pœnam vitiorum, virtutumque emolumentum.

§. 256.

Quid circa modum testamenta & legata condendi?

Quo testamenta similesque donationes quam validissime fiant, cives legibus docendi obligandique sunt ad tutiorem observandum testandi donandique modum, qui civitati præ cæteris arrisit. Si quid enim pluribus modis fieri potest, civitas illum eligere & civibus præscribere potest, quem judicat esse meliorem (§. 978. *P. VIII. Jur. nat.*), ac debet (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*). Quare cum testamenta quoque & similes donationes variis modis fieri soleant: consultum est, ut civitas eum civibus suis rudioribus præscribat modum, quem judicat legi naturæ & saluti publicæ præ cæteris consentire. Ne vero frustra leges ferantur, obligandi quoque sunt cives ad eum, quem leges præscribunt, modum servandum, irrita alioqui acturi, nisi peculiares rationes alia mitiora in quibusdam casibus seu statuere seu permittere suadeant, v. c. ut tantum eatenus non valeant, quatenus legibus adversantur.

Ad modum rite faciendi testamentum, legatumve, requiritur, ut autor sit usu rationis præditus, liber, nec jure testandi per pœnam privatus. Unde testari nequeunt furiosi, mente capti,

agonizantes, impuberes, prodigi, banniti, &c. Athenis testamenta fiebant coram Astynomo & Archontibus, & vel consignatæ tabulæ tradebantur, vel nuncupabatur hæres. Apud Romanos testamenta olim fiebant in comitiis calatis, aut per æs & libram, adhibito libripende & familiæ emtore cum 5 testibus, aut in procinctu a militibus ante prælium coram duobus vel tribus testibus; aut simpliciter scripto indubitato. Postea in locum testamenti in comitiis, quo testator coram populo hæredem suum declarabat, successit testamentum principi ab ipsomet testatore oblatum, ut scriniis inferatur, ejusque autoritate sustineatur; & actis insinuatum seu judiciale, ubi nullæ requirebantur solennitates, nulli testes, publica autoritate privatam supplente, & æque omnem fraudem excludente. Quod per æs & libram fiebat: imaginariam continebat venditionem & velut mancipationem. Dein ex edicto prætoris nulla mancipatio requirebatur, sed sufficiebant 7 testium idoneorum signa. In testamento cœci requirebantur 8 testes, in rustici saltem 5; sine testibus valebat etiam militare seu procinctum & parentale. In Prussia & passim alibi judicialia requiruntur testamenta, aut si testator in consessu judicum comparere nequeat vel nolit, actuarius cum duobus testibus, saltem duo testes sufficiunt, ad illud jurato quam primum ad judices perferendum. Codicillorum, quibus legata, in primis ad pias causas, relinqui solent, similis fere securitatis ratio haberi & statui solet. Caveri simul solet, ut par est, ne quid errore aut affectu præjudicii inferatur hæredibus suis, aut scriptis, aut postumis &c. Si enim de voluntate testatoris liquido constet, nec ea injuriam continet irreparabilem, tuenda illa est & curandum, ut reparetur officio adversum. Est utique æquitatis naturalis, ut suum cuique dominium relinquatur ejusque usus, modo is tollatur abusus, qui fieret in fraudem tertii aut civitatis.

§. 257.

Testamenta reciproca vocantur, quibus is, qui ab altero hæres instituitur, eundem vicissim suum facit hæredem, sic nempe *Quid sint testamenta reciproca?*

nempe hæres fit is, qui altero moriente & mortuo superstes manet; antequam id fiat, uterque alterius hæres futurus jure appellari potest. Ita amici familiares, cognati, conjuges, affines &c. reciproca condere possunt testamenta, sive quis ita testetur conscio altero & jamjam consentiente in acceptionem, sive inscio ipso, ac ut fieri solet, demum post mortem alterius id comperiente.

§. 258.

Curanda circa testamenta reciproca.

Admittenda quoque sunt testamenta reciproca, quatenus nihil continent illiciti. Appellantur enim testamenta reciproca, quibus is, qui ab altero hæres instituitur, eundem quoque sibi vult esse hæredem, si ipse præmoriatur. Hinc uterque potest & hæres esse, & testator, at exitus docet, uter sit revera superstes, ideoque hæres; nisi ambo simul moriantur, eoque casu neuter debeat esse hæres, sed testamentum irritum in hoc casu statuatur (§. 257.). Quia libertas testandi naturalis in civitate salva manere debet, quatenus salutis publicæ non obvertitur (§. 251.), ideoque quatenus nil continent illiciti: manifestum est, admittenda quoque esse in civitate testamenta reciproca, nil illiciti complexura, immo & eorum usum genuinum in civitate reddendum esse faciliorem, tutiorem ac certiorem, quam foret in statu naturali, aut barbara civitate (§. 251).

Cum frequentiora esse soleant testamenta & legata conjugum reciproca, præsertim hæc quoque promovenda sunt in rep. & legibus circumscribenda, ne facile ab officio erga alios remque publicam aberrare possint. Recte enim consulitur civibus, quando legibus docentur, & obligantur ad ea, quæ propria felicitas & aliorum salus communis in ipsorum officiis ponit.

§. 259.

§. 259.

Testamenta reciproca, mutuo consensu expresso condita, continent pactum, cujus exsecutio suspenditur a morte ejus, qui prior est moriturus. Si enim testamenta reciproca inita sunt mutuo consensu, uterque scivit se ab altero electum & institutum esse hæredem ea lege, si ipsi sit præmoriturus, uterque sub ea conditione voluit esse alterius hæres. (§. 257.) Sed mutuus ille consensus in idem præstandum est pactum (§. 788. *P. III. Jur. nat.*), & continet hoc casu promissionem mutuam & acceptationem (*ibid.*), sed cujus perfecta obligatio differtur, in diem mortis ejus, qui alterum superstitem est relicturus, ideoque & conditionem includit, & in diem fit certum, ante quem non est adimplendum (§. 792. *ibid.*). Liquet inde, testamenta reciproca, mutuo consensu expresso condita, complecti pactum, cujus adimpletio suspenditur a morte ejus, qui prior est moriturus (§. 565. *P. III. Jur. nat.*).

Quando & quale includant pactum.

Summa scilicet promissi pro lubitu paciscentium & officio remitti potest in diem, quando id compleri per alia officia rectius potest. Unde & alienatio universitatis bonorum seu patrimonii recte differtur in diem, quo ea per cætera officia domini rectissime fieri potest. Is tunc adest, quando illis non amplius indiget, hoc est quando mortem oppetiit. Planum autem per se est, si testamenta reciproca expresso mutuo consensu condantur, ea differre ab his, quorum alia est ratio, ut si absens absentem, cui nil tale antea significavit, hæredem scribat; ideoque idem omnino de utroque statui non posse. Erunt ergo hujusmodi testamenta reciproca nuda testamenta, & actus benefici, mutabilesque dum spirat testator, quoniam nec scit hæres, se fore hæredem, nec accipere potuit ignota.

§. 260.

Testamenta reciproca mutari possunt, tum dissensu mutuo, tum jure officii causa reservato, si vel mutuo consensu in præsens declarato nitan-

De mutatione testamentorum

torum reciprocorum. *nitantur; tum multo magis, si consensus demum post mortem accedere possit.* Etenim si testamenta mutuo consensu, invicem jam declarato, nitantur, complectuntur pactum & promissum, quod exigi nequit, nisi testatore mortuo (§. 259.) Ideoque ut promissio in diem facta & accepta statim debetur, sed exigi nequit, nisi postquam dies venit præteriitque (§. 501. *P. III. Jur. nat.*). Mors testatoris est conditio, certo extitura, ideoque tempus designat adeundæ hæreditatis (§. 502. *ibid*). Uti mutuo consensu initum est hoc pactum, æque ac aliud quodvis (§. 819. *ibid.*): ita quoque mutuo dissensu rursus dissolvitur (§. 840. *ibid.*).

Quoniam promissarius plus juris habere in re nequit, quam ipsi est promissum (§. 362. *seqq. ibid.*), & in promissoris voluntate est, quid, quantum & qua lege alteri promittat, salvis officiis erga se & alios (§. 394. *ibid.*); si quid juris promissor sibi reservavit officii sui caussa, id promissario non debetur, sed promissori integrum manet. Uti non debentur promissa sub conditione non eventura (§ 465. *seq. ibid.*). Proinde & reciprocum testamentum ex jure officii causa reservato mutari potest (§. 259).

Si nullum jus mutandi testamentum reservatum est, sed potius id ademtum est diserte, unius voluntate tolli testamentum reciprocum nequit, nisi causa legitima emergat & prorsus manifesta, quæ tacitam parit reservationem.

Quando quidem obligatio promissionis vel puræ valida non est, nisi postquam a promissario est accepta (§. 365. *P. III. Jur. nat.*); & in testamento reciproco, ignoto hæredibus ante mortem testatoris, promissio testatoris, seu hæreditas accipi nec potest nec debet nisi post testatoris mortem (§. 257): oppido patet, hujusmodi testamenta reciproca mutari semper posse, quamdiu testator est vivus.

Jure

Jure Culmensi reciproca donatio mariti & uxoris nequit excedere $\frac{1}{4}$ sui patrimonii; attamen ususfructus totius patrimonii relinqui potest superstiti, donec vivit, vel non transit ad aliud matrimonium; vid. *Jur. Culm. L. III. Tit. 3. c.22.* modo hæredibus futuris cautio præstetur idonea, ne quid detrimenti capiat patrimonium. Causæ, ob quas testamentum reciprocum mutare liceat, non aliæ erunt, quam ob quas hæredes suos exhæredare fas est, licet clausula adjecta sit de testamento sine alterius voluntate non mutando. Utrobique enim jus est perfectum quidem, sed in diem mortis demum validum, nec sine gravi causa adimendum. Considerandā tamen est voluntas v. c. conjugum, an potius testari, an pacisci de hæreditate inter se voluerint. Si testandi voluntas sit manifesta, alter conjux invito altero, seu vivo seu mortuo, suum testamentum mutare potest; quod non æque procedet, si instar pacti vel contractus sit declarata, ubi altero invito mutari conventa nequeunt, nisi causa justa & aperta postea accesserit, quæ tum non est prævisa nec opinata, & nisi reservatum sit jus officii causa mutandi destinata, aut fideicommissum adjectum &c. Quod inprimis contemplandum est, quando conjuges jam anticiparunt destinationem non sui tantum patrimonii sed & illius, quod ex hæreditate mutua ipsis est obventurum, ut dicatum manere debeat iis usibus, quibus mutuo consensu ab ipsis est consecratum.

§. 261.

Quæ de testamentis ostendimus, valent quoque de fideicommissis, quæ tolli possunt consensu eorum, quorum interest, ne tollantur. Potest enim naturali jure hæres institui ea lege, ut hæreditatem vel integram vel ejus partem alteri jussu testatoris restituat; idemque valet de legatis (§. 1069. *P. VII. Jur. nat.*). Quare cum licita sint fideicommissa cum universorum tum quorundam bonorum (§. 1070. *ibid.*), & fideicommissa familiæ ipsius salutis & splendoris causa (§. 1071. *ibid.*): illa æque consideranda, libera relinquenda, & promovenda ac tuenda erunt in civi-

Quid circa fideicommissa curandum?

civitate ac teſtamenta & legata; æque etiam cavendum erit, ne vel contra ſalutem publicam, vel jus perfectum tertii, & leges naturales in iis peccetur (§. 251. *ſeqq.*).

Quoniam fideicommiſſa non tantum licita eſſe & licite fieri debent (§. 253.), ſed & ad commune civitatis & familiæ bonum comparari debent; poſteris liberum eſt relinquendum, ut mutata rerum a teſtatore ſpectatarum facie, unanimi eorum conſenſu, quorum intererat, ne tollantur, tolli poſſint (§. 798. *P. VIII. Jur. nat.*); idque etiam civili lege ratum habeatur & promoveatur.

Fideicommiſſa Romanis vel erant de univerſa hæreditate, vel de parte ejus alii reſtituenda. Priora dicebantur hæreditas fideicommiſſaria, & hæres dicebatur fiduciarius; is vero, cui fieri debet reſtitutio, fideicommiſſarius & ſubſtitutus, poterantque & ſubſtitutis alii ulterius ſubſtitui. Poſteriora non tantum de parte hæreditatis quotacunque, verum & de legatis, rebusque ſingulis valebant, ideoque & hæredi & legatario injungi. Liberum quoque eſt, vel pure, vel ſub conditione, aut ex certo die relinquere fideicommiſſum, neque minus obligat fideicommiſſum, ſi quis rogetur, ut hoc vel illud det, quam ſi id ipſi imperetur. Si hæres rogatus erat, ut cum primum poſſit, hæreditatem adeat, eamque ſejo reddat, concedebatur hæredi fiduciario, ne eam adire negligeret, quarta ejus pars ipſi ex lege falcidia tribuenda, ut onera hæreditaria ſuſtinere poſſet. Si & ſic ut damnoſam repudiabat hæreditatem, fideicommiſſarius juſſu prætoris eam adire ut hæres valebat, juribus & actionibus fiduciarii in ipſum devolutis. Melior quoque erat conditio fiduciarii ſponte, quam non ſine compulſu magiſtratus adeuntis hæreditatem. En ſpecimina promotæ fideicommiſſorum tutelæ, juſtitiæ, & cum ſalute publica conciliationis! De fideicommiſſis familiæ prudenter condendis quæ dicenda forent, peculiarem disquiſitionem merentur.

§. 262.

Eodem juris civilis præsidio digna quoque sunt pacta successoria, quoties nihil habent juri quæsito tertii & saluti publicæ adversum. Naturaliter enim valida sunt pacta inita de hæreditate (§. 1072. *P. VII. Jur. nat.*), quæ quia successionem in bona post mortem relicta involvunt, successoria appellantur & in diem facta (§. 259.) Uti ergo testamenta reciproca (§. 258): ita & pacta successoria reciproca admitti in rep. & ad illius salutem sapienter dirigenda, firmanda ac tuenda sunt (§. 716. *P. I. Polit.*). Quod & in pactis conjugum, & familiarum diversarum successoriis, privatim & publice usu venit (§. 1073. *ibid.*).

Quid statuendum sit de pactis successoriis?

Si qua autem duorum pacta successoria juri cujusdam tertii perfecto ac jam quæsito, aut saluti publicæ adversa inirentur, illicita forent (§. 170. *P. I. Jur. nat.*) & (§ 170. *P. I. Phil. pract. univ.*). Sed promissio illicitorum valida esse nequit (§. 495. *P. III. Jur. nat.*); quæ vero valide promittuntur, de iis etiam valide paciscimur, & quæ valide promitti nequeunt, de illis nec pactum valet (§. 800. *ibid.*). Inde cum naturaliter illicita fieri nequeant licita in civitate, sed ubi illa permittuntur, tantum civilis impunitas & omissio impeditionis habetur (§ 975. *seq. P. VIII. Jur. nat.*): digna non sunt juris civilis præsidio pacta successoria, nisi quando licita, ideoque nullius juri quæsito, h. e. perfecto adversa deprehenduntur.

De publicis pactis successoriis, cujusmodi sunt, quæ pacta confraternitatis hæreditariæ dici solent, & inter principum familias obtinent, strictim egimus (§. 716. *P. I. Politicæ*), ubi & nobilium pacta ganerbinatus huc pertinere innuimus. Sunt & hujusmodi pacta vel universæ hæreditatis, vel partis cujusdam causa inita. Prioris generis exempla habentur §. *cit.*; posterioris exemplum fuit inter duces Saxoniæ, & principes Hennebergicos, a Carolo V. Imperatore confirmatum a. 1555, vi cujus comitatus Hennebergicus 1583 ad duces Saxonicos est devolu-

tus. Privatorum in Belgio & alibi passim usitata sunt pacta dotalia familiæ conjugum successoria, sive ante nuptias inita, sive post illas, item in unione prolium, adoptione &c. Neque privatis deneganda forent pacta successoria personarum & familiarum.

§. 263.

Libertas accipiendi itidem salva sit cuique.

Quemadmodum bona relicta transferendi in alium libertas salva esse debet in rep. ita quoque *libertas accipiendi bona relicta, sub quovis titulo juris, integra est servanda, ne quid officio publico aut privato contrarium cuiquam obtrudatur.* Sive enim quacunque donatione, sive testamento, fideicommisso, sive pacto quodam successorio bona relicta in diem mortis eorum domini alienentur, unius consensu id absolvi nequit, sed necesse est, ut & alterius nempe accipientis consensus accedat (§. 662. *P. II. Jur. nat.*). Verum non tantum promissor, rem suam alienaturus, dispicere debet, ne quid ulli officio suo contrarium admittat, sed & promissarius probe expendere debet, num re, quam ipsi offert promissor, aut jam obtulit olim, indigeat, & anne alius, qui jus ad id, quod offertur, sibi a promissore acquirere poterat, eodem magis opus habeat; vel etiam non nisi incommodo suo hoc præstare possit promissor, & num in accipiendo promisso forsan desit cuidam officio erga se ipsum, vel erga alios (§. 394. *seq. P. III. Jur. nat.*). Quapropter cuique etiam integra esse debet libertas accipiendi, prout ipsi placet, aut non accipiendi, sed abdicandi bona ab alio sibi relicta (§. 974. *P. VII. Jur. nat.*), modo provideatur, ne quid officio seu publico seu privato repugnans irrepat & ratum habeatur (§. 200. *P. IV. Jur. nat.*).

A voluntate uniuscujusque pendet, utrum hæreditatem sibi delatam suscipere, an repudiare velit, (§. 973. *P. 8. Jur. nat.*). Quisquis enim hæreditatem adit aut pro hærede se gerit, omne quoque onus cum hæreditate conjunctum, v. c. solutionem æris alie-

alieni, aut præstationem conditionis adjectæ &c. una in se suscipit (§. 967. *ibid.*). Examinanda igitur sunt omnia, quæ cum hæreditate connexa sunt onera seu personalia seu realia, ut statuere possit, num accipienda sit, an repudianda. Quid enim se deceat, quid præstet in eo casu, deliberandum est, antequam voluntas declaretur. Neque invito vel beneficium obtrudendum est, multo minus onus præstandum, quo mavult supersedere.

§. 264.

Cautelæ in adeunda hæreditate.

Quoniam libertas accipiendi bona relicta cuique salva esse debet (§. 263.): *concedendum quoque est hæredi*, legatario, donatori aut successori *sufficiens deliberandi spatium*, *quid se deceat*, ideoque *& inquirendi in vires hæreditatis* & conditiones adjectas, an operæ pretium sit futurum aut damnosum hæredium, vel molestia cum eo conjuncta, *saltem non accipiendi*, *nisi hac lege*, *ne ultra vires hæreditatis æri alieno obnoxiæ cuiquam obligetur.* Si enim æs alienum superat massam hæreditatis, hæres naturaliter ultra ejus vires non tenetur, nec alio animo eam suscepisse censendus est, quam ut ultra vires hæreditatis non teneatur (§. 968 *seqq.* P. *VII. Jur. nat.*). Quod ut eo magis liqueat, & de animo hæredis nullum supersit dubium, aperte declarari præstat, quam tacendo speciem præbere animi donaturi ea, quæ vires hæredii excedunt.

§. 265.

Ratio restringendi spatium deliberandi.

Ne tamen justo diutius extrahatur spatium deliberandi, aut interim usus relictæ hæreditatis & continuatio operarum mercaturæ, artis, opificii, agriculturæ &c. negligatur, *restringendum est illud spatium ad modicum tempus*, *quod sufficere possit sub pœna jacturæ juris quæsiti* (§. 395. *seqq.* P. *VIII. Jur. nat.*).

§. 266.

Quid statuendum

Si hæres vel successor repudiat hæreditatem vel successionem, *devolvetur illa ad substitutum*, *vel ad hæredes ab intestato*, *vel his defi-*

de hæreditate & successione repudiata?

cientibus, ad fiscum; id quod legibus in hujusmodi casus rariores sapienter definiendum est. Ideo enim recte substituitur hæredi vel successori ex pacto alius, aut alii plures, vel simul, vel ut in locum deficientis aut detrectantis surrogentur, (§. 1058. *seq. P. VII. Jur. nat.*). Quamobrem deficiente quacunque de causa hærede aut successore ex pacto, devolvetur hæreditas aut successio secundum tenorem factæ substitutionis.

Deficiente vero quacunque de causa hærede vel successore instituto aut substituto, præsumendum est, cujusnam esse hoc casu voluisset defunctus bona post mortem relicta, ideoque ex præsumta voluntate secundum leges civiles successio ab intestato in civitate recepta & legibus naturalibus conformata valebit (§. 1030. *seqq. ibid.*). Devolvetur igitur tum hæreditas vel successio ad hæredes ab intestato.

His hæredibus quoque deficientibus, in statu naturali bona relicta cedunt occupanti; sed in statu civili justum est, ut communi bono civitatis, in qua defunctus ea adquisivit, & cui plus debet, quam ulli vel extraneo, vel privato civi familiari aut vicino, relinquantur (§. 1035. *ibid.*) & (§ 18. *seqq. P. VIII. Jur. nat.*). Id quod ideo recte præsumitur, quia nihil de bonis suis relinquendis statuit, nec ea in re sua uti voluit libertate. Quare cum communi bono destinatum sit ærarium publicum (§. 781. *P. VIII. Jur. nat.*), cujus loco in universitate & collegio & in monarchia est fiscus (§. 591. *seq. ibid.*): patescit, nostro casu ad fiscum devolvi hæreditatem, hæredibus & successoribus potioribus destitutam, ex defuncti præsumta voluntate legibus declarata, quibus defunctus ut civis fuit subjectus.

Uti ergo alia officia naturalia civili quoque obligatione & lege sunt promovenda, ut eorum observatio reddatur expeditior certiorque (§. 251.): ita quoque fieri par est, in his casi-

casibus, quanquam ideo rarioribus, quia ad dona a vivis & mortuis accipienda prona esse solet plerorumque natura, ut & eorum, qui per ætatem, amentiam, vel morbum, nondum accipere possunt, acceptio merito præsumatur, & jus in re donata, hæreditaria, vel legata, adquiratur ipsis eo momento, quo moritur ejus donator (§. 1044. *seq. P. VII. Jur. nat.*).

§. 267.

Num idem statuendum sit de peregrinis?

Peregrinis quoque salva esse debet facultas pacifcendi, testandi, legandi, donandi in diem mortis suæ bona sua, quæ vel secum habent, vel ubi moriuntur, lucrati sunt, vel alibi, præsertim ubi cives aut indigenae sunt, possident. Variis enim de causis contingit, ut homines peregrinentur, aut inter exteros degant negotiorum suorum causa, nec ibi jus civitatis adquirant, ideoque ibi maneant peregrini (§. 7. *P. VIII. Jur. nat.*). Licet ergo a civitatis voluntate dependeat, utrum extraneum in civitatem suam recipere velit, nec ne, & qua lege eum recipere velit (§. 409. *ibid.*); item utrum eum velut civem æqualem, aut inæqualem, an vero tantum ut incolam recipere, aut permittere duntaxat velit, ut in ea instar advenæ aliquamdiu commorari & rem suam agere possit (§. 410. & 413. *ibid.*): nemo tamen utcunque in ea recipi cupiet, nisi salvo rerum suarum præsentium ac futurarum dominio, utpote quod imperium civitatis non includit (§. 103. *seqq. ibid.*). Enimvero domino jus est res suas urgente officio pro arbitrio suo alienandi & derelinquendi (§. (§. 256. & 665. *P. II. Jur. nat.*), ejusque dominii exercitium nullo modo est impediendum (§. 655. *ibid.*). Quare & peregrino salvum manere debet exercitium dominii rerum suarum, sive eas secum habeat, sive alibi; sive eas ibi adquisivit, ubi ut peregrinus degit ac moritur, sive alio quovis loco (§. 329. *Jur. Gent.*). Salva igitur ipsi quoque esse debet facultas paciscendi, donandi, testandi, legandi bona sua in diem mortis

ſuæ, prout officium flagitat, & illud firmiſſime ac validiſſime fieri poteſt, & ſecundum leges civitatis fieri debet.

§. 268.

Quid dicatur jus albinagii?

Jus albinagii dicitur jus civile, quo peregrinis denegatur jus teſtandi & ſuccedendi (§. 328. *Jur. Gent.*). Hinc ipſorum bona, præſertim immobilia & ibi parta ab inteſtato cedunt fiſco. Latius acceptum jus albinagii notat jus excludendi peregrinos a juribus civium potioribus; vid. *H. de Coceji Juris publ. prud. c. 31. n. 27.* v. g. jus denegandi ipſis adquiſitionem bonorum immobilium, honorum & ſuffragiorum publicorum. Latinius utrumque diceretur jus peregrinorum, vel peregrinitas, pro ſorte & ſtatu peregrini accepta, & quoque jus hoſpitum & hoſpitii (das Gaſtrecht) involveret.

Albinus ex Albanus, & hoc ex alambannus græcorum deſcendit, quo inſigniebant Alemannos. Dioni & aliis deinceps albani ſunt peregrini generatim: unde albinagium vel albanagium in diplomatibus *Spelmanni*, *Cangii* &c. notat peculium peregrini; & jus albanagii jus regis in bona peregrini defuncti. §. 328. *Jur. Gent.* quidem id ponitur in jure exteros excludendi a ſucceſſione; ſed reliqua includuntur. Gallis vocatur droit d'Aulbaine vel nunc d'Aubaine, quod ipſi explicant per jus regis ſuccedendi in peregrinorum non-civium bona in regno parta. Aubain ſcilicet dicunt un étranger, qui s'eſt établi, & qui n'a point pris de lettres de naturalité; ita & in Anglia all Land of aliens, dying before Naturalization or denization are lapſed to the King; quæ ſunt verba *Eduardi Chamberlayne in Angliæ notitia, ed. Lond. 1694. p. 84.*

§. 269.

Quando id ſit iniquum?

Jus albinagii iniquum eſt, niſi retorſionis cauſa adhibeatur. Adimit enim jus albinagii peregrinis facultatem de rebus ſuis in caſum mortis ſuæ teſtandi prout officium flagitat, item jus ſuccedendi ſaltem in bona ibi, ubi moriuntur, parta (§. 268).

Sed

Sed peregrinis salva esse debet facultas paciscendi, donandi, testandi, legandi bona sua in casum mortis suæ (§. 267.) Quare cum adimat peregrinis innocentibus peculium legitime partum & jus naturale de eo pro lubitu statuendi, iniquum non abs re censetur, & communi gentium juri adversum (§. 330. *Jur. Gent.*)

Enimvero quia retorsio juris non est illicita (§. 584. *Jur. Gent.*), si qua in civitate peregrinis ademtum est jus succedendi & testandi, ipsius civibus vicissim idem illud negari potest, ut illius iniquitati resistatur, & ad naturalem æquitatem revocetur. Quamdiu enim ipsa æquum putat, peregrinis denegare facultatem hæreditatem vel legatum capiendi aut tribuendi, tamdiu iniquum dicere nequit, quando cives sui alia in civitate, ubi ipsi peregrini sunt, non meliori conditione utuntur. Liberum tamen manet alteri civitati, an retorquere velit vel nolit, v. c. ea lege, ut vicissim suis civibus par æquitas promittatur præsteturque.

Licet enim restringatur successio fisci in bona peregrini ad casum, quo bona immobilia, vel & mobilia in ea civitate sibi comparavit suo ære, labore, artisque usu, antequam jus civitatis adeptus est; non pendet tamen jus legitime bona donandi & alienandi a jure civitatis, sed est juris naturalis & in dominio licite parto continetur. Sufficit jus peregrinorum lucrandi restringi sic, ne civitati & civibus noceat, & ne plane ejusdem aut melioris sint conditionis, quam cives ipsimet. Quod obtinetur, si commercia exercere nequeant cum peregrinis, sed a civibus emere & civibus vendere oporteat; item si non nisi civium bonis immobilibus uti & frui possint, citra ullius civis fraudem; si plus oneris ferant, quam cives, ideoque & minus lucrari possint; nisi quando peculiaris salutis publicæ ratio aliud interdum suadet. Inde & jus albinagii in paucis tantum civitatibus superest. Ita de Gallia docet *Baquet des Droits d'Aubaine,*

ne, c'eſt un droit, par le quel le roy ſuccede aux étrangers, qui ſe ſont établi dans ſon roiaume, qui yont acquis du bien, & qui n'ont pris aucunes lettres de naturalité du Róy. Ce droit eſt inalienable. Les ſuiſſes, les Portugais, ni les Ecoſſois ne ſont pas ſujets à la loi d'aubaine. Forte quisquam opinetur, eſſe hoc jus regium loco pœnæ introductum, quoniam ita multatus neglexit petere & obtinere jus civitatis. Sed dantur loca, ubi quantumvis petens & caro emturus jus civitatis, id conſequi nequit, ut in anglia, nec tamen ideo melioris eſt conditionis. Unde hæc vera ratio eſſe nequit, nec analogia cæterarum pœnarum ita ſtatuere permittit. Niſi retorſionem urgeas & jus reſiſtendi iniquitati, donec omittatur, & in primis forte exemplis defectum aut verorum hæredum; aut notitiæ & probationis juris proximæ ſucceſſionis, quæ exempla dein ſeu inſcitia ſeu aviditate eorum, quibus iſtiusmodi diſcuſſio incubuiſſet, ultra terminos æquitatis, uſu potius quam lege, extenſa eſt; vix reperies, quo excuſari iſta conſuetudo, quæ ſenſim in deſuetudinem abit, aliquatenus queat. Romanis olim teſtator, hæres, & teſtes non erant niſi cives, inde peregrinus nec teſtamentum facere nec hæres eſſe poterat, nec deportatus ſi hæres ſcribebatur, capere hæreditatem poterat, inſtar peregrini habitus; *cod. de hæred. l.* 1. & pœnæ genus erat in peregrinitatem redigi, teſte *Suetonio in Claud. c.* 16. *&* 25. Quæ merito ſuſtulit Antoninus *l.* 17. *ff. de ſtatu homin.* & poſtea confirmavit *novella* 164. *c.* 1. vel *authent. Cod. commun. de ſucceſſ.* ſic exordiens: omnes peregrini & advenæ libere hoſpitentur, ubi voluerint, & ſi teſtari voluerint de rebus ſuis, liberam ordinandi habeant facultatem, quorum ordinatio inconcuſſa ſervetur. Si vero inteſtati deceſſerint, bona ipſorum hæredibus tradantur, vel (illis deficientibus) in pias cauſas erogentur. En reditum ad naturalem æquitatem laudandum.

§. 270.

Neceſſitas legum ſucce- *Succeſſionis ab inteſtato, præſumta defuncti voluntate officio conſentanea nitentis, leges civiles eo magis ſunt neceſſariæ, quo hæc ſucceſſio*

cessio est frequentior ea, quæ oritur ex testamento aliove pacto. Maxima enim civium pars est rudis, officii negligens, & parum certa cognitione legum naturalium imbuta, teste experientia vulgari. Quare multis laboraret reip. litibus, turbis gravioribusque malis, nisi legibus erudirentur compescerenturque animi eorum, ut quid justum & æquum sit communis boni causa, perspectum habeant, & ad modum suæ aviditati & affectui ponendum compelli possent sua aliis lubenter prærepturi (§. 395. *P. VIII. Jur. nat*). Quamobrem, ut certa sit, & conformis officio defuncti & præsumendæ illius ipsi satisfaciendi voluntati, successio ab intestato (§.1031. *seq.* & 1048. *P. VII. Jur. nat.*), ac litibus careat, legibus sanciendum est, quod legi naturæ apprime respondet (§. 969. & 973. *P. VIII. Jur. nat.*). Dum igitur leges successionis sunt necessariæ, liquet etiam, illas eo magis esse necessarias in qualibet civitate, quo frequentiores ubique sunt successiones ab intestato, quam ex pacto aut ultima voluntate testata. *dendi ab intestato.*

Fortassis hæc aperta necessitas legum civilium de successionibus ansam nonnullis dedit statuendi, successionem in hæreditate relicta non esse legis naturalis sed civilis instituti. Urgere illi solent, dominium hominis cessare cum ipsius vita. Dum vivus ultimam suam voluntatem non declaravit ante mortem, & post illam eandem declarare nequit, perhibent, ejus voluntatem ignorari, nec præsumi posse, ideoque res illius fieri res nullius, & cedere ut derelictas occupanti. Enascitur vero necessitas legum civilium ex necessitate salutis publicæ causa observandi leges naturales. Inde tantum abest, ut illa sufficiat ad negandum jus naturale successionis ab intestato, ut potius contrarium indidem confirmetur. Lex naturæ enim nos obligat quoque, ad id, quod melius est, præferendum (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*). Nec confundendæ sunt res post mortem relictæ, cum derelictis ita, ut prior dominus eas abdicare & res nullius

fieri voluerit ſat certis documentis. Cum nnusquisque vivens ſit moriturus, rerum autem ſuarum univerſarum dominium transferre in eos debeat, quibus præ cæteris debeatur, id ei quidem liberum relinquendum, ut ipſe eligat. Sed quando id facere non potuit, morte præventus, aut id ſequendum cenſuit, quod plerumque præſtat; tum leges civiles recte injungunt, id eſſe ſequendum, quod velle debuit, & præſumitur tacite voluiſſe, dum contrarium probari nullo modo poteſt. Si autem id noluit ac ab officio receſſit, meretur pœnam, qua irrita & nulla declaratur ipſius ultima voluntas, quatenus legibus eſt adverſa.

§. 271.

Quæ ſit norma legum ſucceſſionis ab inteſtato?

Leges civiles ſucceſſionis ab inteſtato exigendæ ſunt ad officia conjugum & conſanguineorum & officiorum ordinem, quatenus citra nimiam moleſtiam judicibus creandam fieri poteſt. Sunt enim leges civiles conformandæ naturalibus, quantum fieri poteſt, ut ſalus civitatis obtineatur (§. 969. & 973. *P. VIII. Jur. nat.*): idem igitur quoque de legibus ſucceſſionis ab inteſtato pronuntiandum erit. At ſucceſſio ab inteſtato nititur præſumta defuncti voluntate (§. 1030. *ſeqq. P. VII. Jur. nat.*), ſatisfaciendi mutuis conjugum & conſanguineorum officiis debito ordine, bene ſibi faciendi & perficiendi ſeſe invicem ſtatumque ſuum externum, præ aliis, quantum eſt in poteſtate (§. 836. 735. 737. & 744. *ibid.*). Per hæc nempe charitatis arctioris officia ipſis conſtans & perpetua eſſe debet voluntas, omni ſtudio id agendi, ut evadant felices, & cavendi, ne evadant infelices (§. 617. *P. I. Jur. nat.*). Quapropter legibus ſuccedendi ab inteſtato procurandum eſt, quam optime fieri queat, ut mutuis conjugum, parentum & liberorum, cæterorumque conſanguineorum erga ſe invicem pro meritis, tum in vulgari ſeu ignobiliori, tum in eminentiori ac nobiliori ſorte, uti provehendæ civium virtuti dignitatique convenit, debito ordine ſatis fiat. Ordine autem naturali

turali ob majorem obligationem primi in ordine ſucceſſionis ſunt deſcendentes; ſecundi adſcendentes: tertii denique collaterales, cæteris paribus (§ 984. & 1033. *ſeq. P. VII. Jur. nat.*). In quovis ordine ratio habenda eſt graduum, ut propiores defuncto præferantur, uti par eſt, remotioribus (§. 1031. *ſeq.* & 1034. *ibid.*), & linearum ac vinculi diverſitatis ratio habeatur (§. 576 & 595. *ibid.*). Quando igitur conjuges, quando conſanguinei ipſimet ultimam voluntatem ſuam non declararunt, ideoque ab inteſtato ſuccedendum eſt; inſtituendæ ſunt leges ſucceſſionis civiles, quod plerumque optimum eſt ſecundum officia conjugum & conſanguineorum erga ſe invicem, præſcribentes pro diverſitate ordinis & graduum cognationis, quibus inteſtato morientes recte cenſentur aſſenſiſſe.

Quia ob exiguam læſionem litibus in foro indulgeri nequit, & loco difficiliorum determinationum admittendæ ſunt probatu faciles, quæ illis ut plurimum æquipollent (§. 986. *ſeqq. P. VIII. Jur. nat.*): leges quoque ſucceſſionis ab inteſtato non debent nimiam creare judicibus moleſtiam, unaque gaudere concordia, ideoque & in illis admittenda ſunt, quæ juri naturali ſingularum non ſint perfecte conſentanea ob publicam utilitatem (§. 989. *ibid.*): quia nimis moleſtum munus cives nollent ſubire, vel præter rem id aliis ſumtuoſum & oneroſum foret.

Uti omnes actiones humanæ ſubſunt legibus divinis, iisque ſi conformes ſint, rectæ dicuntur & bonæ; ſi difformes, pravæ & malæ: ita & actiones transmittentium rerum ſuarum dominium in alios etiam arctiſſime conjunctos, e legibus naturalibus ſuam habent & merito repetunt normam, ad quam ſint exigendæ. Sunt propterea leges civiles de ſucceſſione ab inteſtato veluti vicariæ leges naturæ, & vicaria hæredum naturalium ultima voluntas, ac teſtatio mentis vicaria, ex naturali morientis officio petita, in quam & cives conſenſere, niſi per peculiaria officia ipſis alia ſint ſtatuenda (§. 1032. *P. VII. Jur. nat.*).

§. 272.

Quid conjugi relicto debeatur.

Indigenti merentique conjugi superstiti tantum tribuendum est, quantum meretur, ac saltem, donec durat viduitatis status, ipsi sufficit ad explenda sua officia, & ad tuendum matrimonii pristini honorem, & quantum citra læsionem hæredum naturalium, liberorum in primis, *fieri potest* (§. 1075. *seq. P. VII. Jur. nat.*). Quare si alter conjux moritur intestatus, alteri amoris conjugalis & meritorum causa tantum seu bonorum seu eorum ususfructus erit tribuendum, quantum ipsi pro sorte sua sufficere potest ad tuendum defuncti honorem, ad satisfaciendum officiis suis, & quantum salvis erga hæredes naturales & alios officiis non negligendis fieri potest (§. 611. 688. & 777. *P. I. Jur. nat.*). *Hoc ipsum igitur & legibus civilibus erit injungendum* (§ 271.).

Posita communione bonorum inter conjuges, conjugi superstiti nec immerenti ab intestato dimidia hæreditas debetur, ut consonantia legum servetur. Posita autem ac recepta illatorum in conjugium bonorum norma, reportabit conjux superstes sua illata, si usufructus eorum in ferenda matrimonii onera impendendus fuit (§. 925. *seq. P. VII. Jur. nat.*), vel quantum ob merita & pro tuenda dignitate sui matrimonii mortuus aliorum similium instar daturus fuisse præsumitur, ni morte esset præventus (§. 986. *ibid.*). Iisdem quoque legibus statuendum est, quid conjugi ab intestato cedere debeat, si concurrat cum liberis, aliisve hæredibus. Jure romano *ff. unde vir et uxor*, conjugi tribuebatur pars bonorum quarta, quæ ipsis quoque jure usufructuario manebat, quoties liberorum non erant ultra tres: alias ejus rata erat filialis. Ex recepta communione bonorum alter semissis ad conjugem, alter ad alios devolvitur hæredes, vel his deficientibus aut quasi ad fiscum. Quo instituto dives brevitate matrimonii sæpius repetiti sine reparatione jacturæ bonorum redigitur ad paupertatem. Esto ejus patrimonium sub exordium primi matrimonii 50000, erit illud cæteris paribus in secundo 25000, in tertio 12500, in quarto 6000, in quinto 3000 circiter, & sic porro.

§. 273.

§. 273.

Vulgaris successio descendentium.

In successione vulgari ab intestato nihil est naturæ convenientius, quam ut proximi hæredes in linea recta ex æquo sint liberi, legitimi, morigeri, vel his æquiparandi, & æque eorumque iam defunctorum cum illis concurrens progenies, sed jure repræsentationis parentum majorumve loco æqualis habenda. Nimirum si vulgares parentes moriuntur, bona sua liberis ita relinquere debent, ut omnes similiter educentur, & si æque morigeri sint, communes pariter & æqualiter ex communi hæredio; aut paterni ex paternis, materni ex maternis bonis fortunentur (§. 975. *P. VII. Jur. nat.*). Idemque officium pertinet quoque ad parentes ulteriores seu progenitores superioris gradus erga nepotes, pronepotes &c. (§. 976. *ibid.*). Liberi ergo, & qui ab his geniti legitime sunt, sui sunt hæredes (§. 541. & 979. *ibid.*). Inde & parentes officio suo vel non defuisse censendi sunt, vel si desint, adigendi ad illud in civitate (§. 395. *P. VII. Jur. nat.*).

Si qui illegitime sunt geniti, spurii aut vulgo quæsiti, his quidem imputari nequit, quod non sint nati in justo matrimonio (§. 546. *P. VII. Jur. nat.*). Quatenus tamen parentes eorum peccarunt, illi puniendi sunt in liberis illegitimis, ne ipsis paria ac legitimis sint jura successionis (§. 834. *ibid.*), nisi vel matrimonio inito, vel multa perpessa aut gratia superiorum tempestive sint legitimati, h. e. legitimis æquiparati; vel legitimi nulli adsint. Ex lege civili vero illegitime procreati merito non admittuntur ad hæreditatem nisi maternam passim, sed tantum ad alimenta (§. 546. *ibid.*). Neque hoc ipso liberi puniuntur propter factum parentum, ad quod nihil contulere (§. 550. *ibid.*), sed sentiunt illi pœnam parentum ut calamitatem & incitamentum ad rectius agendum (§. 594. *P. VIII. Jur. nat.*).

Quia parentum hæredes naturales ſunt liberi (§. 983. P. *VII. Jur. nat.*), deſcendit hæreditas eorum non tantum ad liberos ipſos, ſed & jure transmiſſionis ad nepotes ulterioresque deſcendentes, parentum loco eo magis habendos, quo magis eo digni ſunt, etiamſi concurrunt cum liberis aut ſe propioribus gradu generationis (§. 980. *ſeq. ibid.*). Surrogantur ideo merito ac jure repræſentationis in locum parentum progenitorumve ſuorum, ſive omnes ejusdem ſint gradus, ſive diverſi.

Scilicet in vulgari ſucceſſione æqualitatis ratio habetur, ut in ſtatu naturali par eſt. Hinc dicuntur deſcendentes in diſpari gradu ſuccedere in ſtirpes; quando autem vel pares gradu ſunt omnes, non tamen in capita ſuccedunt, ſed & tunc parentum loco cenſentur: quoniam eorum parentes aut avi fuere hæredes ſui; quanquam eo dum æqualis ſunt gradus & ſpei, egeſtas æqualis & differentia ratarum exigua, in capita quoque admitti mererentur, dum nemini ob jus parentum legandi injuria fieret, & ſalus publica promoveretur (§. 271.). Antiquitatem legitimam ſucceſſionis hujus poſita rationum paritate non tantum docet jus naturæ, ſed & hiſtoria antiqua, ſacra & profana. Equidem ubi pauci tantum dantur homines & abunde terrarum eſt, unde victum ſibi & ſuis quærere poſſint, ibi cuique occupare licet, quantum libet, & educatione peracta quisque ſibi per ſe proſpicere poteſt. Sed multiplicato ſic genere humano, ut occupata jam ſint, quæ alere homines poſſunt, uniuscujusque eſt, non tantum educationi prolis ſuæ etiam remotioris, ſed & fortunæ ejus conſulere, præſertim quando ſe iſthoc beneficio non reddunt indignos. Lubecenſi jure parentibus licet liberos quosdam aut omnes, aſſignata ipſis bonorum parte ſaltem legitima, ſegregare & a ſucceſſione conjugis aut cæterorum removere. Qui ideo poſtea jure ſuccedendi carent, niſi ſublata ſegregationis cauſa. Quantum vero illegitimis ex hæreditate tribuendum, id vel æquitati legitimorum relinquendum, vel lege aut arbitrio æqui judicis definiendum.

§. 274.

Ubi in successione ab intestato ratio habenda est adquisitæ dignitatis civilis tuendæ, alteriusve oneris, aut disparitatis conjugii; ibi pro successionis scopo obtinendo justa inæqualitas in successione admittenda. Si enim in bona indispar conjugium initum est, ipso pacto conjugum inæqualis est sors conjugii & liberorum. Quare cum pacta licita servanda sint (§. 789. *P. III. Jur. nat.*): non potest liberorum conjugii primarii & secundarii par esse jus successionis, sed standum est eo, quod pacto est definitum. *Rationes successionis in bona inæqualis.*

Ita Abrahamus Ismaëlem ex ancilla genitum non admisit ad æquale jus succedendi cum Isaaco, ex Sara uxore suscepto, neque liberos Keturæ, cum qua secundarium inierat matrimonium, sed his quædam dona dedit, reservans Isaaco patrimonium, *Genes.* XXI, 10. *seqq.* XXIV, 36. XXV, 5. 6.

Olim primogeniti filii erat, ut is patris loco esset caput familiæ & rector in sacris & profanis rebus. Inde plura erant ipsius onera & officia & sumtus, quam cæterorum. Par igitur erat, ut & majorem caperet ratam hæreditatis, quam reliqui (§. 230. *P. I. Phil. pract. univ.*), quæ pro scopo hoc obtinendo dupla esse solebat, *Deuteron.* XXI, 17. ut functionibus suis par esset, & diligentius superesset (§. 192. *ibid.*). Nisi scelere quodam se reddiderat ista prærogativa indignum, dignumque poena.

Exempla prostant Isaaci, qui Jacobo imperium tribuebat *Genes.* XXVII, 29. 36. *seq.* & Jacobi, *Genes.* XLIX, 3. 4. qui post ademtum Rubeni jus primogenituræ ob incestum, nec Simeoni nec Levi, ob homicidia admissa, quanquam sub pœnarum specie illud assignabat, v. 5. *seqq.* sed Judæ imperium, Josepho autem ratæ in patrimonio præcipuum assignabat *ibid.* v. 8. *seqq.* & 22. *seqq.* & XLVIII, 22. Plura non opus est commemorare.

Quan-

Quando rite parta est dignitas quædam civilis, ea quanto major est, tanto plura jura & majores quoque sumtus requirit (§. 205. *P. VIII. Jur. nat.*). Cum meritis sit adquisita (§. 766. *ibid.*), & manere debeat præmium meritorum insignium in remp. (§. 768. *ibid.*): conservanda est a posteris, ut & hi & alii ad præclare de rep. merendum incitentur (§. 771. *ibid.*). Quare cum ea præcellentia in titulis, potentia, honoribus, jure præcedendi & meritis eminendi super alios consistat (§. 765. *ibid.*), & ideo multitudinem opum & hominum ad nutum paratorum poscat (§. 69. *Jur. Gent.*): manifestum est, dignitatis imperantium, nobilitatis & splendoris familiæ tuendæ causa ejusmodi inæqualitatem in successione bonorum, honorum &c. esse admittendam, quæ scopo potiundo respondeat ex asse (§ 405. *Oeconom.*). Dispiciendum igitur & lege stabiliendum id præ cæteris intelligitur, quod ratio commendat & usu comprobatum habetur, ideoque præferendum (§. 192. *P. I. Philos. pract. univ.*), scilicet ut patrimonium maneat unius eo digni, & cæteris peculia dentur, unde generis dignitatem tueantur. Quemadmodum & fideicommissa familiæ ex eodem fonte manabant (§. 261.), & pacta successoria eodem comparari possunt (§. 262.).

Exempla prostant in regnis successoriis & patrimonialibus (§. 155. *ibid.*) & (§. 279. *P. VIII. Jur. nat.*), & in Aristocratia patrimoniali (§. 223. *ibid.*), nec non in jure feudali & nobilitatis passim, aliarumque familiarum eximiarum.

§. 275.

De exhæredatione ab intestato &c.

Neque abs re esset, si officium exhæredandi & prælegandi ob causas notorias impeditum, seu morte præmatura, seu alia de causa, suppleret magistratus, lege in istum casum rite concepta & administranda. Uti enim successio ab intestato vicario magistratus officio supplet officium conjugum & consanguineorum (§. 271.), ex præ-

præſumta eorum voluntate; uti juſtæ exhæredandi cauſæ & rationes civibus rudioribus potiſſimum ſunt præſcribendæ injungendæque (§. 255): ita ſi de voluntate defuncti exhæredandi juſte quenquam conſtet, qui tantum morte inopinata, aut dolo, vi metuve adhibito, ne id fieret, aliave quacunque cauſa impeditus eſt, nihil iniquitatis, ſed potius ſaluti publicæ & privatæ conſentanea haberet ſtatutum, quo exhæredatio, aut prælegatum debitum, ob cauſas notorias manifeſtasque a magiſtratu nomine defuncti, ejus officia ſupplente, decerneretur dareturque exſecutioni. Itaque exhæredationem ab inteſtato, æque ac ſucceſſionem & præcipuam portionem hæreditatis ab inteſtato licitam & conſultam eſſe conſtat.

Faceret exhæredatio ab inteſtato ad eo majorem cuſtodiam virtutum liberis & in hoc caſu inſpirandam, ſubſidio pœnæ, vitia enormia manentis; æque ac præmium præcipuum virtutibus excellentium liberorum &c. eorum exacueret diligentiam & ardorem ſe aliosque rite perficiendi. Comprobant hoc leges contra prodigos latæ.

§. 276.

Hæredes deficere dicuntur, quando revera nulli dantur, ideoque quando nulli extitere, aut exiſtere deſiere, qui extiterunt. *Quaſi deficere* dicuntur, quando ſunt quidem, non vero ut hæredes, uti quando explorari nequeunt, qui forte ſuperſunt, aut qui noſcuntur ſupereſſe, jure ſuccedendi carent juſta de cauſa, aut nolunt eſſe hæredes. *Quando hæredes deficiant vel quaſi?*

Si quis nullos liberos procreavit, nulli ipſi unquam fuere hæredes deſcendentes, quando grandævus diem ſuum obit. Quando autem præmortui ſunt omnes, quos aut legitime aut illegitime ſuſcepit, idem fere eſt ratione relinquendæ hæreditatis, acſi nulli unquam ipſi fuiſſent. Deficiunt ergo in utroque caſu liberi. De aliis quibusdam hæredibus ſimiliter eſt judicandum. Si, qui adſunt hæredes, & ipſi neſciunt ſe eſſe hæredes,

& alii, aut saltem hi, qui hæreditatem assignare debent, eos explorare nequeunt, in effectu dandæ & capiendæ hæreditatis idem est, acsi deficerent, licet revera non deficiant. Sic & si qui per pœnam juste privati sunt jure succedendi, aut se eodem abdicarunt, & hæreditati valide renuntiarunt, aut jam habent ex hæreditate, quantum juste habere possunt: illi omnes pariter quasi deficiunt, seu jure succedendi carent. Sic & conjux vere vel quasi deficit.

§. 277.

Successio adscendentium ab intestato.

Deficientibus, vel quasi deficientibus in recta linea descendentibus, hæreditas, extra conjugium vel quasi, ab intestato merito devolvitur in linea recta ad defuncti proximos, qui supersunt adscendentes, quando nulla ratio exhæredationis justæ obstat. Jure enim naturali deficiente sobole, ab intestato succedunt parentes gradu propiores, tanquam hæredes improlium naturales, nisi quatenus superstitis conjugis ratio habenda (§. 982. & 1033. *P. VII. Jur. nat.*). Quum in civitate juris naturalis custodia sit promovenda (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*); & quidem in nostro casu secundum officia & præsumtam defuncti voluntatem iis satisfaciendi (§. 271.): si quis intestatus decedit cœlebs, aut cujus conjugi nullum (amplius) succedendi jus est, is deficientibus vel quasi descendentibus in recta linea (§. 275.), merito præsumitur officii sui memor fuisse erga adscendentes in recta linea parentes & ulteriores; ideoque recte lege civili statuitur, ut hæreditas ejus devolvatur ad proximos, qui supersunt, adscendentes, tanquam hæredes suos naturales ordinis secundi (§. 986. *P. VII. Jur. nat.*). Quorum si plures sint gradu dispares, merito propiores præcedunt, & excludunt remotiores; qui autem pari sunt gradu defuncto cognati, in eadem linea æquas capiunt hæreditatis partes, sed in diversa succedunt in genera, seu non succedunt in capita, sed in lineas, paternam & maternam, cæteris paribus, & nisi justa exhæredationis causa obstet (§. 275.).

Ubi

Ubi bona relicta non demum durante matrimonio parta sunt, sed ab alterutrius conjugis parentibus vel majoribus profecta, & familiæ splendoris ac dignitatis tuendæ ratio habenda est: ibi & lege successionis ad eos potissimum bona redire jubebuntur, a quibus sunt orta, & quibus non inito conjugio deberentur. Sic quoque profectitii peculii ea habenda est cura, ut revertatur ad illos majores, eorumve hæredes, a quibus est profectum, & in quos præsumta illorum voluntate legitima ab illis esset devolutum, si hoc præscivissent, & de eo ex officio statuissent ultima voluntate pactove; aut si non abiisset in peculium; modo & illi id mereantur, ad quos ita redibit. Prodigorum enim & sceleratorum vitia alere nefas foret. *Justinianus Novella* 118. *c.* 2. cum parentibus admittit fratres sororesque cum liberis; & remotioribus adscendentibus ex patre semissem, alterum ex matre paribus gradu assignat; cujus rationes alii disceptent.

§. 278.

De legitima hæreditatis statuenda.

Ne præter rationes sat graves hæreditas naturalis cuiquam eripiatur, legitima parentum & liberorum legibus civilibus secundum officia naturalia est definienda. Procuranda quippe est in civitate custodia legis naturalis, sine qua salus ejus primaria haberi nequit (§. 41. *P. I. Polit.*). Hinc & procurandum est, ut hæreditas naturalis salva maneat, cui debetur, quatenus quam officium exigit libertas testandi & legandi &c. naturalis non obstat (§. 156. *P. I. Jur. nat.*) & (§. 1002. 1005. & 1008. *P. VII. Jur. nat.*). Inde mediocris bonorum pars, seu rata quædam patrimonii definiri potest ac debet lege civili, quæ plerumque hæredibus naturalibus sit relinquenda sensu officii, nisi ad hanc quoque illis adimendam justæ dentur & evincantur causæ (§. 1000. 1014. & 1018. *seq. ibid.*). Ejusmodi autem portio hæreditatis, quæ hæredibus suis legibus adsignata est, vocatur legitima liberorum & parentum (§. 1024. *not. ibid.*). Ne igitur præter sat graves rationes justas hæreditas naturalis cuiquam

eripiatur, legitima parentum & liberorum legibus civilibus ita ſtatuenda eſt, uti plerumque convenit legi naturali publicæque ſaluti (§. 973. *P. VIII. Jur. nat.*).

Legitimam juris naturalis exhaurire omne patrimonium, quando officium erga hæredes ſuos id exigit, nec aliud cum eo colliditur, conſtat ex antea adductis, & ex *nota* §. 1024. *cit.* Sed quando officiis erga ſuos hæredes aliunde ſatis factum eſt, aut citra exhauriendum patrimonium ſatisfieri poteſt, tum debita officiorum cæterorum ratio habenda poſtulat, ut libertas teſtandi, legandi, prælegandi & donandi civibus integra relinquatur, ideoque legitima definita tantum abuſui hujus libertatis occurrat. De legitima conjugum vid. *not. ad* §. 272. Communione bonorum inter conjuges vel diſerte vel tacite recepta, legitima liberorum eſt dodrans patrimonii, quando liberi nequeunt exhæredari. Jure romano legitima eſt triens, quando liberorum non ſunt ultra 4; ſi 5 aut plures fuerint, ſemis bonorum, quæ ab inteſtato ipſis obveniſſent. Eodem jure adſcendentibus non minor legitima debetur, quam deſcendentibus. Alibi vero minor ponitur legitima adſcendentium, tum quidem recte, cum illi ea parum aut vix egent, v. c. quadrans tantum patrimonii. Læſa legitima apud romanos locum faciebat quartæ falcidiæ detrahendæ; & alibi quoque merito ſuppletur.

§. 279.

Succeſſio collateralium ab inteſtato. *Deficientibus vere vel quaſi conſanguineis adſcendentibus deſcendentibusque, vulgo laterales proximi jure ſuo ab inteſtato æqualiter ſuccedunt, quando nulla ratio legitima obſtat.* Si enim nulli ſuperſunt nec deſcendentes, nec adſcendentes conſanguinei, ſuperſtites cognati tantum ex latere eſſe poterunt (§. 590. *P. VII. Jur. nat.*). Idem quoque ſtatuendum erit, ſi illi quaſi deficiunt (§. 276.). Verum enim vero collateralibus eatenus obligamur præſtare officia humanitatis, quatenus in ipſis beneficium redditur communibus parentibus aut progenitoribus (§. 1009. *ibid.*), & qua-

tenus de nobis melius meriti ſunt, aut plus in ſe merentur, quam alii beneficiis afficiendi (§. 25. 30. & 132. *P. IV. Jur. nat.*). Jam quia naturaliter amandi ſunt ut cognati agnatique, præ aliis ſanguine alio ſatis aut jure ſuccedendi deſtitutis, & cognati ſibi invicem ad mutua beneficia obligantur, quantum in ipſorum poteſtate eſt (§. 836. *P. VII. Jur. nat.*): debetur ipſis quoque naturaliter hæreditas cognati ab inteſtato, quoties nullæ rationes juſtæ in contrarium occurrunt. Merito igitur proximis collateralibus hæreditas ab inteſtato aſſignatur, dum nulla ratio legitima obſtat (§. 974. & 1034. *P. VII. Jur. nat.*).

Cum naturaliter debitum recte habeatur pro perfecte debito, quoties non occurrit officium potius, cum quo confligat (§. 170. & 235. *P. I. Phil. pract. univ*): ſuperior ſalutis publicæ cauſa recte interpretatur defuncti voluntatem ſecundum leges naturæ, & quod in ſe imperfecte debebatur, in hoc caſu perfecte deberi, lege civili ſancit (§. 977. *P. VIII. Jur. nat.*). Neque id tantum valet, ſi ſoli ſint cognati, ſed etiam, quando adeſt conjux ſuperſtes, itidem beneficium merens.

Quia tamen cæteris paribus quo propior eſt conſanguinitas agnatorum cognatorumque, eo major, arctior & prior eſt obligatio ipſis benefaciendi, item propenſio & præſumta voluntas (§. 591. *P. VIII. Jur. nat.*), & (§. 1010. *P. VII. Jur. nat.*): inde remotiores cognati a latere recte excluduntur ab hæreditate propter propiores, & idcirco recte ſtatuuntur hæredes ab inteſtato proximi, qui ſuperſunt collaterales, paresque gradu vulgo pari ſuccedunt jure (§. 569. *P. VII. Jur. nat.*). Parium enim paria ſunt jura, & æqualium gradu cognationis æqualia (§ 989. *ibid.*). Uti vero nepotes defunctorum liberorum loco ſunt (§. 273.): ita quoque fratrum ſororumque laudabilium liberi bonæ ſpei jure repræſentationis gaudent, & parentum ſuorum

loco ad hæreditatem capiendam admittuntur ſimili modo, ſaltem in primo hoc gradu.

Si primi gradus legitimi collaterales utroque communi parente gaudent, illi tanquam fratres germani & ſorores germanæ æquali gaudent ſuccedendi jure, indeque in vulgari ſucceſſione adfamiliam ex æquo herciſcundam admittuntur. Excludunt quoque alterum ſuperſtitem parentem, quaſi deficientem ob ſuam hæreditatem jam perceptam. Aliter vero res habet in ſucceſſione nobiliori & feudali, ubi ut plurimum mares ob ſubeundas a vaſallo expeditiones militares ab immobilibus excludunt feminas: & majores natu habiles præferuntur minoribus natu nepotibusque, ut integrum maneat feudum, nec ſplendor familiæ detrimentum capiat. Si in vulgari ſucceſſione jure communi tantum concurrant fratres conſanguinei & uterini, vel sorores conſanguineæ & uterinæ, vel utrinque partim fratres, partim ſorores unius duntaxat lateris, partim quia non ſunt hæredes ſui, partim ratione communionis bonorum pari gaudebunt ſuccedendi jure in primo gradu ſecundario, & præferuntur germanorum fratrum ſimiliumque ſororum liberis. Paſſim tamen uterini tantum in materna, & conſanguinei tantum in bona paterna, h. e. a patre profecta, admittuntur, ſi ſoli ſint; ſi vero cum germanorum neptibus aut nepotibus concurrunt, hi ſemiſſem conjunctim, & hæredes uterini vel conſanguinei, immo ſi unicus eſſet, alteram capit ſemiſſem; eorum liberis tantum in capita cum illis ſucceſſuris. Ubi vero communio bonorum inter conjuges non obtinet, ibi fratres ſororesve unius lateris æquiparantur germanorum fratrum liberis, una cum his in capita ſuccedunt, & patruum atque avunculum excludunt ſaxonico jure; communi vero & romano jure germani patrui & avunculi a liberis germanorum non excluduntur. Romanis olim in collateralium ſucceſſione patrimonii paterni & materni diſcrimen attendebatur; ſed *Juſtinianus Novella* 118. *c.* 3. eo ſublato, quia creta jam hæreditas deſierat eſſe paterna aut materna, primo admittit fratres & ſorores ex utroque parente, cum præmortuorum liberis,

beris, parentum jure orbitatis solius causa non defraudandis; dein pariter jure repræsentationis germanorum fratrum liberos legitimos vel solos similiter & æque præponit fratribus ex alterutro tantum parente, et thiis masculis feminisque, sive a patre sint, sive a matre conjuncti defuncto, ac eorum parentes, quorum loco capiunt hæreditatem. *Novella 127. c. 1.* non tantum fratres & sorores, verum & præmortuorum liberos jure repræsentationis, una cum parente vocat ad eam hæreditatis partem, qua eorum parens superstes fuisset gavisurus. Dubio procul calamitati orphanorum, tanquam nepotum communis parentis, ita prospiciendum duxit, acsi eorum parentes superessent. Deficientibus germanis defuncti fratribus sororibusque, cum suis liberis, hæreditatem assignat ex alterutro tantum parente fratribus sororibusque, absque liberorum jure repræsentationis. *Nov.* 118. *c.* 3. Denique si nec fratres, nec eorum liberos relinquit defunctus, omnes deinceps a latere conjuncti capiunt hæreditatem secundum gradus prærogativam, ut viciniores gradu remotioribus præferantur, & quotquot ejusdem sunt gradus proximi, in capita succedant. Substitutio liberorum ex fratribus sororibusque germanis in locum parentum eadem nititur æquitate, qua jus repræsentationis in recta descendentium linea, dum sæpe alter parens superstes esse solet. Qui aliter statuunt, recte contendunt, non amplius nunc succedi in linea recta, sed in obliqua, ubi obligatio major respondet gradui propiori (§. 1034. *P. VII. Jur. nat.*). Adhibetur autem merito in causis hæreditariis computatio graduum civilis. In gradibus autem remotioribus adscendentes collaterales cum descendentibus in eodem gradu pari gaudent jure (§. 271.). Unde si hæredes a latere sint in gradu tertio, thii, quotquot supersunt, cum nepotibus neptibusve e fratre vel sorore superstitibus pari gaudent jure & in capita succedunt. Ubi dubium esset, quo gradu cognationis aut agnationis adscendentis vel descendentis quisquam defuncto conjunctus sit, ibi qui hæres esse cupit, sufficientibus argumentis, se ex numero proximorum hæredum esse, evincere debet.

§. 280.

§. 280.

Collaterales vel ſimplicis ſunt, vel duplicis conſanguinitatis.

Diſtinguntur collaterales merito a ſe invicem, qui utroque parente eodem, & qui tantum alterutro communi parente gaudent. Illorum enim duplex eſt cognatio ſeu vinculum conſanguinitatis; horum tantum ſimplex. Unde & illi merito his præferuntur ob arctiorem neceſſitudinem (§. 595. *P. VII. Jur. nat.*), prout fratres germani conſanguineis & uterinis ſeu dimidio, hoc eſt primo quidem ſed ſecundario, ſeu integro gradu poſthabentur (§. 279.). Sic & inter thios alii ſunt ex patre, alii ex matre, etiam in ulteriori adſcendentium gradu (§. 601. *P. VII. Jur. nat.*); item inter fratrum ſororumque liberos dantur ex patre, dantur & ex matre, & ex utroque conſanguinei ſeu conſobrini (§. 602. *ibid.*).

Ponamus duos vel plures fratres ducere in matrimonium duas pluresve ſorores ex utroque parente. Qui caſus non ſolum in liberis Adami contigit, ſed & hodie toties contingit, quoties duo fratres a & b, diverſæ prorſus familiæ duas ſorores c & d uxores ducunt, & fratrum illorum frater tertius e vel & quartus f, aut ſoror una vel altera g & h alii copulatur matrimonio. Sunto ſingulis liberi ſuperſtites, ſcilicet ipſius a filius k, ipſius b filia l, ipſius e filius m & filia n; ipſius f nata o; ſororis g filius p, & ipſius h filia q. Moriente l, erit k conſobrinus ex patre & ex matre, reliqui tantum ex alterutro parente. Ubi aperte idem eſt, acſi k duas ſiſteret perſonas tales, quales ſunt cohæredes.

§. 281.

Quid illa requirat duplicitas ſimplicitasve?

Æquum eſt, ut, ſaltem inter propiores conſanguineos, duplex vinculum ſimplici præferatur, ideoque a germanis fratribus ſororibusque excludantur uterini & conſanguinei in utroque ſexu, & conſobrinus duplex duplicem capiat hæreditatis partem. Ubi duplex eſt vinculum ſanguinis, ibi unus duplicem ſuſtinet perſonam, ac re ipſa idem eſt, ac ſi loco unius adeſſent duo in eodem gradu cogna-

cognationis hæredes (§. 280.). Cum cuique ob ſimplex vinculum ſimplex debeatur rata hæreditatis, nihil æquius eſt, quam ut illi ob duplex vinculum ſeu plane cedant alii ſimplici vinculo tantum juncti, iique integro ſaltem dimidio gradu ipſo cenſeantur remotiores ab hæreditate capienda, uti fit a germanis fratribus ſororibusque (§. 279.); ſeu duplex rata tribuatur, ſi cæteri admittendi & æque digni cenſentur, quod receptum eſt inter conſobrinos. In cæteris autem & difficilior ſæpe foret probatio, & multiplicarentur nimium lites, læſio ſi qua contingeret, foret exigua, & judici officium redderetur nimis moleſtum (§. 985 - 987. *P. VIII. Jur. nat.*). Quare quia communis boni cauſa nimia moleſtia judicibus creanda non eſt, etiam in ſucceſſione ab inteſtato (§. 271.): illa duplicis vinculi diſcuſſio in ulterioribus conſanguinitatis gradibus prorſus poteſt prætermitti, aut tunc ſolum attendi, ubi expedita eſt & illico manifeſta, nec læſio foret exigui momenti.

Duplex vinculum occurrit, ſi fratres germani ducunt in matrimonium ſorores germanas, ac procreant liberos, quos ſuperſtites relinquunt, dum frater vel ſoror ex ſuo matrimonio non relinquit liberos, niſi ex alterutro tantum parente conſobrinos. Tum enim liberi priorum ſunt ex utroque parente conſobrini (§. 280.). Contingere id quoque poteſt, quando duo tantum ſunt fratres, quorum alter aut uterque ex alio matrimonio genuit liberos ſimplici tantum, ex alio autem cum ſorore fratriæ, vel glotis, (aut ſi ſorores ſint cum leviro) liberos duplici vinculo ſanguinis gaudentes. Non quidem perfectum jus hic adeſt, cur duplex vinculum ſit præferendum, æquitas tamen par eſt & pro duplici vinculo major eſt, quam pro ſimplici, inde ex præſumta defuncti voluntate, cæteris paribus, merito præfertur duplex vinculum aut omnino, ut in primo gradu, aut ex parte, ut in ſecundo gradu. Jure Saxonico vulgari vinculum duplex in quovis gradu attenditur, & ſimplex integro gradu poſtponitur; ſed jus repræſentationis collateralibus denegatur, ut propior

ſemper excludat remotiorem, & germanus ſimplicem collateralem. Hinc frater germanus ac uterini filius, nec non patruus germanus, & avunculus uterinus & conſobrini in capita ſuccedunt. Vid. *Carpzov. P. III. Conſtit. 18. def. 4.* At patruus magnus præfertur conſobrino ex altero tantum parente, cum ejus liberis in capita ſucceſſurus. Sed electorali jure conſobrini germani præferuntur thiis, & collateralis ex alterutro tantum parente præfertur iisdem patruis, avunculis, amitis, materterisque. Item res expeditoriæ ſeu viriles maſculis, muliebres ſ. utenſiles (die Gerade) femininis hæredibus præcipue tribuuntur. Jure Lubecenſi ſi quis fratrum aut ſororum ſeparatus eſt ab hæreditate, eum excludunt nondum ſeparati eorumque liberi jure repræſentationis; uti ſeparati hæredium alteri pariter ſeparato cedit, vel potius æque ſeparatis ac inſeparatis primi gradus collateralibus. Vid. *Mevius ad Jus Lubec. P. II. Tit. 2. art. 6. §.16.* Jure feudali & nobilitatis vinculum maternum nullius eſt momenti, niſi ſit mixtum feudum (§. 190. *P. VI. Jur. nat.*), & ad agnatos cognatosve devolvendum, ſaltem qua allodia. Cæterum & hic ſed ſecundum leges feudales propior excludit remotiorem, conſanguineus in paternis, uterinus in maternis bonis, cæterisque dantur ſeu peculia, ſeu reditus & dotes, unde honeſte & ex dignitate ſua ſuſtententur & fortunentur.

Cæterum deſcendentes collaterales primi & ſecundi gradus majoris obligationis cauſa uti in linea recta per analogiam præponuntur paſſim adſcendentibus, qui procul dubio aut ſunt, aut eſſe ſæpius debent pares fortunis per ſe quærendis, quam impuberes, aut plane infantes, ſaltem minorennes collaterales. Vbi vero illi ſunt degeneres & prodigi, multo minus digni forent ſucceſſione. Quando autem bene ſe gerunt, rectius adminiſtrabunt hæreditatem, quam pupilli eorumve tutores, ideoque tunc naturaliter adſcendentes recte præferuntur collateralibus, quibus ipſi hæreditatem, ſi eam merentur, auctiorem ſunt haud ita multo poſt relicturi, & conſulturi quoque ipſorum, ut ſuorum deſcendentium ſaluti viventes.

§. 282.

§. 282.

Inceſtus (Blut-Schande) dicitur concubitus ſcientis cum perſona, cujus & matrimonium eſt legitime prohibitum. Quemadmodum naturaliter coitus eſt illicitus cum conſanguineis in linea recta (§. 826. & 828. *P. VIII. Jur. nat.*), & quanquam matrimonium inter fratres & ſorores tum non eſt illicitum, cum coitus illicitus non eſt metuendus (§. 829. *ibid.*); tamen ob præcavenda ſtupra & adulteria aliaque vitia, multiplicato genere humano, & pravitate adaucta, illa quoque matrimonia rectius illicitis, quam adhuc licitis annumerantur (*ibid. in not.*) & (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*). Similiter ob reverentiam fere paternam thiis habendam & vitrico atque novercæ, & convictum quotidianum inter hujusmodi conſanguineos & affines in hac depravatione hominum, etiam hujusmodi concubitus, adulteriis & ſtupris fores pandens, rectius interdicitur & damnatur, quam permittitur lege civili, urgente id ipſum lege naturali (§. 830. *ibid. not.*). Hinc reſpectus parentelæ, item verecundiæ & caſtitatis ratio promovenda, quantum pote, jubet, ut & matrimonia vitiis patrocinatura damnentur, coitus illicitus eorum inceſtui æquiparetur, & liberi ex inceſtu primario pariter in linea recta, ac ſecundario in obliqua & arcta affinitate ſuſcepti, *inceſtuoſi* dicantur. *Quis ſit inceſtus & inceſtuoſus?*

Inceſtus vel inceſtum derivatur ab incaſtus, quia caſtitati, pietati, reverentiæ & religioni erga admodum propinquos ſanguine & affinitate repugnat, læditque officium ipſis debitum fœdo & impudico coitu & convictu. Itaque inceſtus merito pro nefando & deteſtabili ſcelere habetur, & gravius ac alius illicitus concubitus punitur, ut fœda turpisque libido venerea & plurima ſcelera a convictu tam arcto quam optime & efficacisſime removeantur. Salutis enim primariæ cauſa opera navanda eſt in rep., ut legum naturalium cuſtodia & virtutum cultura promoveatur (§. 40. *ſeq. P. I. Polit.*), & ab ea alieni ſaltem vi

metuque pœnarum adigantur, ut minimum actus externos eosque frequentiſſimos aut quotidianos ad legem naturæ componant (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 283.

Num inceſtuoſis &c. hæreditas tribuenda?

Liberis inceſtuoſis, adulterinis, & ſuppoſititiis in pœnam parentum & exemplum aliorum recte denegatur lege civili hæreditas. Liberi enim inceſtuoſi ſunt ex inceſtu procreati (§. 282.), qui infert ſcientis concubitum cum perſona, cujus & matrimonium cum ipſo legitime eſt prohibitum (*ibid.*). Qui cum merito gravius puniatur ac alius concubitus illicitus (*not. ibid.*): parentes, qui illum turpiter admiſerunt, recte etiam puniuntur ademta penitus liberis hæreditate, qua legitimi eſſent gaviſuri (§. 273.). Ne tamen pereant in ſe inſontes, neceſſaria tantum vitæ præſidia ipſis aſſignantur (§. 946. *P. VII. Jur. nat.*).

Cum adulterium tanquam delictum grave in rep. quoque graviter ſit puniendum (§. 626. *P. VIII. Jur. nat.*), quia non minus nocet reip. ac virtuti quam inceſtum, teſte experientia; ut coërceatur parentum malitia, itidem liberi adulterini recte excludentur ab hæreditate parentum, dum ſunt ex adulterio procreati (§. 573. *P. VII. Jur. nat.*). Comparatur & hoc exemplum ad alios ab adulterio abſterrendos (§. 1062. *P. I. Jur. nat.*).

Liberi vero ſuppoſititii quia non ſunt a patre geniti ex uxore ſua, ſed vel ab hac, ſive peperit, ſive minus, vel ab alio patri obtruſi, & proles aliena (§. 538. *P. VII. Jur. nat.*), nullum jus habent cernendi hæreditatem ingratiis vel patris tantum vel & matris, ſi & hæc neſcivit, ſubditum ſibi eſſe alienum fœtum. Quare uti pater vel & mater recte negat, prolem ſubdititiam eſſe ſuam; merito etiam illam ab hæreditate ſua arcet excluditque: ita & legibus ut id fiat recte ſtatuitur in civitate, & fraude detecta merito non admittuntur ſuppoſititii ad hæreditatem, qui demum poſt fata parentum tales eſſe comperiuntur (§. 706. *P. I. Polit.*).

Non

Non eſt vero confundendus concubitus & conjugium per ignorantiam initum cum perſona, cujus matrimonium legi repugnat, cum ipſo inceſtu. Hic enim vel utriusque, vel ſaltem alterutrius concumbentis malam fidem, ſeu cognitionem legis prohibentis & perſonæ prohibitæ infert, ratione cujus inceſtus dici mereatur. Nam ratione illius, qui invincibili laborans ignorantia, matrimonium cum altero init, non committitur inceſtus, utpote qui animum peccandi non habet. Doloſus igitur ejus eſt inceſtus, ac ideo graviori pœna dignus, qui ſciens & volens inceſtum committit, ſive alteruter ſit, ſive uterque. Illius vero culpoſus erit inceſtus, qui ſuo vitio, v. c. ebrietate, & ſupina ignorantia neſcit, ſe illum committere, cujusmodi erat Lothi ebrii inceſtus. Si uterque ſcire non potuit, ſe tam arcto ſanguinis aut affinitatis nexu alteri copulatum eſſe: matrimonium non erit, nec concubitus eorum inceſtus, nec liberi inceſtuoſi, nec ab hæreditate parentum excludendi; licet, quando prohibitum eſſe id matrimonium innoteſcit, id diſſolvendum ſit. Similia quoque de adulterinorum in ſimili caſu ſucceſſione in bona parentum ſtatuenda erunt, qui revera ſunt legitimi, & haudquaquam adulterini. Cæterum error & culpa nec dolo æquiparari, nec pari pœna affici poſſunt.

§. 284.

De cavendo ſucceſſionis abuſu.

Si qua ſucceſſio per abuſum vertatur in detrimentum reip. ea legibus eſt prohibenda atque ita pœnis coërcenda, ut abuſus evitetur. Nimirum ſalus publica ſuprema omnium lex eſt in civitate (§. 86. *P. VIII. Jur. nat.*). Quapropter illa quoque ſuprema lex eſt ſucceſſionis cujuscunque in bona & jura a cive quolibet poſt mortem ipſius relinquenda aut jam relicta. Recto uſu igitur pacta ſucceſſoria, donationes, legata, teſtamenta, fideicommiſſa & ſucceſſiones ab inteſtato ita officio conformantur, ut reſpondeant publicæ ſaluti. Si quid vero in his vertatur in detrimentum ſalutis communis, id non foret niſi dominii privati abuſus (§. 646. *P. I. Theol. nat.*). Quo abuſu cum homines ſe aliosque red-

dunt infelices (§. 708. *ibid.*), atque saluti publicæ noceant in civitate, eum Deus velle nequit (§. 707. *ibid.*), sed lege naturali prohibuit (§. 170. *P. II. Jur. nat.*). Quia leges civiles ea præscribere debent, quibus bonum civitatis sive salus publica obtinetur (§. 969. *P. VIII. Jur. nat.*), & prohibitis lege naturæ lege civili adjiciendæ sunt pœnæ humanæ (§. 979. *ibid.*), determinandusque est modus, quo obligationi naturali satisfiat (§. 982. *ibid.*): idem quoque observandum est in legibus abusui successionis in detrimentum reip. opponendis. Quoniam vero pœnæ tales ac tantæ adhibendæ sunt, quæ ad cohibendam legum transgressionem, quantum datur, sufficiunt (§. 585. *ibid.*): manifestum est, si qua successio in bona & jura a cive relicta per abusum vertatur in detrimentum publicæ salutis, eam non solum legibus civilibus esse prohibendam, sed quoque sanctionibus pœnalibus ita coërcendam, ut abusus evitetur.

Variis casibus abusus se exserere potest. V. c. si quis ingens patrimonium in civitate adquisitum, hosti ejus donare, legare aut testamento relinquere vellet, quod esset contra officium boni civis. Sic si filius ad hostem transfugisset, & deinde ab intestato succedere vellet in bona parentum perampla, vel vice versa talis pater in bona filii, aut filiæ, aut fratris sororisve &c. Item cavendum, ne alienatione bonorum præsertim immobilium, onera civitati debita subtrahantur eidem. Quod cum fiat, si monasteriis, monachis similibusque cederent & eximerentur, merito antiquitus prohibitum est, ne ingredientes in cœnobia hæredes fiant bonorum immobilium, rerum expeditioni militari inservientium, aliarumve insignium hæreditatum, sed talia cæteris hæredibus civilibus relinquere cogantur, in quadam portione, alimentis circiter destinata adquiescentes.

§. 285.

Quibus denegandasit suc- Cum cavendum sit, ne successio per abusum in detrimentum reip. vertatur (§. 284.); & vergeret in detrimentum reip. si in-

ſi indignis concederetur, vel iis, quorum jus ſucceſſionis doceri nequit, qui illud proſequi negligunt, aut nimis remoto gradu cognationis defuncto junguntur: liquet, *hæreditatem relictam nec indignis & incertis hæredibus concedendam, nec ſupine negligentibus obtrudendam eſſe, vel remotis admodum præſertim peregrinis,* quorum tum cognationis veritas tum prærogativa vix ad liquidum perduci poſſet, & nimis negotii judicibus faceſſeret (§. 271.). E contrario quia juſti hæredes ſunt, qui vel expreſſa vel præſumta defuncti voluntate jure ſuccedendi liquido gaudent, *juſtis hæredibus patrimonium relictum denegandum non eſt, ſed potius tribuendum lubenter.* *cessio ab intestato, vel non sit?*

Liberos ſpurios & vulgo quæſitos quædam jura civilia non ſolum arcent ab artibus & opificiis honeſtis ſeu diſcendis & tractandis, & opificum atque artificum matrimoniis, niſi privilegio peculiari legitimis ſint æquiparati; ſed quoque velut inceſtuoſos & adulterinos aut ab omni excludunt hæreditate, aut tantum ad maternam admittunt nec ſine reſtrictione. Viciſſim ad ipſorum hæreditatem non admittunt, niſi matrem & fratres ſororesve, aut paulo plures, ut & hac in re ſint legitimis liberis inferiores. Incaute civitas hæredibus incertis traderet hæreditatem, quam dein certis reſtituere non ſine moleſtia, aut decoctam refundere compelleretur. Qui ipſimet jura ſua negligunt, indigni ſunt & jure carent poſcendi, ut civitas ipſorum negotia curet (§. 662. *P. I. Jur. nat.*). Qui criminis læſæ majeſtatis rei ſunt, itidem indigni cenſentur jure dominii ſui, vel in liberos devolvendi. Quoto gradu conſanguinitatis ceſſare debeat ſucceſſio ab inteſtato, id ex diverſa civitatum indole & vicinia aliarum æſtimandum. Ad octavum aut decimum computationis civilis graduum ad ſummum extendi jus ſucceſſionis ſolet.

§. 286.

Bona dicuntur *caduca*, quæ juſtis hæredibus carent, ſive quæ amiſſo nuper domino hæredes non habent. Latius quoque *Quid ſint bona caduca, quæ vel quaſi?*

que caduca dici ſolent ea bona, quæ dominum privatum non habent, ſive vacua ſint a domino relicta, ſive crimine illis exciderit poſſeſſor. *Jus* vero *caducum* vocant jus bona caduca occupandi. *Quaſi caduca* erunt, donec veri hæredes innotuerint.

Si quis teſtamentum quidem fecit, ſed hæredes inſtituti aut & ſubſtituti ante ipſum diem obierint ſupremum, ſive cognati fuerint ſive extranei, ut jam ex teſtamento hæres nullus adſit; nec ab inteſtato quisquam vel ſit, vel in eo gradu ſit, qui capax eſt hæreditatis, v. c. conſobrinorum nepotes vel pronepotes; vel ſi ſit, explorari aut certus fieri nequeat, vel alia de cauſa jure ſuccedendi careat, v. c. ſi illegitimus eſſet aut adulterinus, aut jure retorſionis excludendus, ut ſi eſſet peregrinus ex ea civitate, in qua ultra ſobrinos nemo ab inteſtato admittitur; vel ſi qui eſſe poſſet hæres, jus ſuum nec oſtendat, nec urgeat, nec intra ſtatutum tempus deducat: in omnibus hiſce caſibus bona defuncti relicta erunt vacantia & privato domino deſtituta, ideoque caduca. Sic ſi demortuus inteſtatus relinquat quidem vitricum vel novercam, & alterutrius liberos, ante quam cum parente ſuo matrimonium iniretur, procreatos, quos ſuos appellavit fratres aut ſorores (Stiefbrüder und Schweſtern), item privignos aut privignas & levirum vel fratriam viduam: tales omnes, quia partim affines tantum ſunt, partim ne quidem affines, carent jure ſuccedendi ab inteſtato; inde ſi alii hæredes ab inteſtato vel nulli ſint, vel prorſus ignoti maneant, ut quaſi deficiant, quia vel nequeunt vel nolunt ſuccedere, bona defuncti relicta erunt caduca. Saltem tamdiu quaſi caduca cenſenda erunt, quamdiu legitimi hæredes, an & qui ſint, ignorantur, aut dubii manent. Germanis caduca appellantur verfallene Güter, cujusmodi & derelicta ſunt, & theſauri inventi, & alia ἀδέσποτα, ſeu res nullius.

§. 287.

Cujus ſint bona caduca? *Bona caduca in civitate ſunt quidem res nullius privati hominis, nec tamen cedunt occupanti, aut collegio, cujus defunctus ſocius fuit; ſed*

sed vel jure mulctæ, vel præsumta defuncti voluntate communi bono & ærario vindicantur, nisi privilegio aliter sit statutum. Bona enim caduca & pristino domino suo & justis hæredibus carent (§. 286.): itaque nullius privati res amplius sunt (§. 6. *P. II. Jur. nat.*). Natura res omnes corporales sunt communes, quælibet autem earum est nullius (§ 7. *ibid.*). Quando vero in civitates coëunt homines, aut dominio singulari, aut universitatis res sunt subjiciendæ (§. 109. *P. VIII. Jur. nat.*). Enimvero, ut bona caduca fiant res unius vel alterius privati, sive vicini, sive amici, sive collegii, ejus ratio nulla adest, quando defunctus suam voluntatem non expresse declaravit. Præsumitur ergo voluisse, ut res ipsius relictæ publico omnium commodo cedant, & communi ærario debeantur, quia vi officii obligatur, ut civis, ad commune bonum civitatis pro virili promovendum (§. 18. *ibid.*), & ad conferendum ad vitæ abundantiam, tranquillitatem & securitatem, quidquid salvis cæteris officiis conferre valet (§. 19. *seq. ibid.*). Quod multo magis patet, quando per pœnam ærario juste addicuntur.

Verum tamen quia ordini cuidam aut collegio privilegia dari possunt (§. 869. *P. VIII. Jur. nat.*), quæ temere revocanda non sunt, sed servanda eidem (§. 870. *ibid.*), in primis si boni publici causa data sint (§. 872. *ibid.*); si cui collegio aut ordini privilegium bonorum caducorum datum fuit, id ipsi quoque erit salvum relinquendum, donec nulla ratio gravior obstat.

Fieri nempe potest, ut academicæ universitati sit privilegium capiendi bona caduca cujusdam Professoris membrive alterius (§. 356. *in not. P. II. Polit.*). Alibi Senatus emporii aut urbis bene meritæ jure caducorum bonorum ex privilegio gaudet &c.

§. 288.

Ubi locus sit successioni ærarii vel fisci?

Ubi alii hæredes desunt, ibi ultimus hæres est ærarium publicum, vel fiscus; unde successio publica ærarii communis seu fisci nascitur. Quando enim hæredes desunt aut quasi, sive ex pacto, testamento, aut ab intestato; bona illa sunt caduca (§. 286.), eaque ordinario modo lege civili ac jure æquo cedunt ærario communi (§. 287.). Quod ærarium commune cum vel publicum sit in Aristocratia & democratia, aut sola, aut prævalente in forma mixta; vel fiscus in Monarchia sola aut præpollente (§. 590. & 781. *P. VIII. Jur. nat.*): manifestum est, bona caduca devolvi merito vel ad ærarium publicum, vel ad fiscum, prout reip. leges jubent; nisi privilegio quodam nonnihil aliter definiatur (§. 267.). Quare cum in utroque casu alius non sit hæres legitimus seu ab intestato, ultimus hæres erit ærarium publicum, aut fiscus. Quorum cum tum sit successio in bona caduca; patescit, unde oriatur successio publici ærarii & fisci, seu successio reip.

§. 289.

De publica patrimonii consignatione & obsignatione.

Antequam hæredes ignoti admittantur ad hæreditatem, patrimonium defuncti publica autoritate consignandum est obsignandumque, donec hæredes suum jus successionis, idque proximum, satis comprobaverint, evictionemque præstandam legitima cautione receperint. Patrimonium tradendum non est, nisi justis hæredibus, vel ex diserta voluntate defuncti, vel ab intestato (§. 285.): ideoque antequam constet liquido, hæredipetam esse justum hæredem, hæreditas ipsi tradenda non est. Quoniam deficiente justo hærede, bona relicta sunt caduca (§. 286.), & publico ærario vel fisco vindicanda sunt (§. 267. *seq.*): ne quid detrimenti capiat patrimonium relictum, unde vel resp. vel hæres damnum incurrat; antequam constet de justo hærede, patrimonium confestim a morte defuncti obsignandum & consignandum erit publica autori-

toritate, ne a quoquam diminui possit (§. 988. *seq. P. I.* & §. 494. *seq. P. II. Jur. nat.*).

Idem quoque patrimonium tamdiu erit sartum tectumque publica autoritate servandum, donec qui hæredes fieri volunt, suum jus successionis, & ubi plures esse possent, inter quos non nisi propioribus hæredibus patrimonium est tribuendum, insuper sibi proximum esse jus successionis, satis comprobaverint. Quando quidem vero fieri assolet, ut dein alii contendant, se propiores esse hæredes, ostendantque legitima impedimenta, per quæ antea jus suum docere non potuerint: obligantur quoque hæredes, qui jus suum succedendi ita deducere non potuerunt, ut indubium sit, ipsis propiores dari non posse hæredes, antequam ipsis exhibeatur hæreditas præsertim alio asportanda, in se suscipere præstandam evictionem, si quis postea se ipsis propiorem contendat esse defuncti hæredem. Quod quum ab exteris aliter fieri nequeat, quam idonea cautione: cogitur, antequam hæredes ignoti admittantur ad hæreditatem, patrimonium defuncti publica autoritate confestim a morte defuncti esse obsignandum, & quam primum in justo inventario consignandum, donec hæredes suum jus successionis proxime satis ad liquidum perduxerint, & ante traditionem receperint idonea cautione præstandam evictionem, si ea sit opus futurum, vel si id fieri nequeat, constet bona illa esse caduca.

§. 290.

Ut justis hæredibus alibi degentibus constare possit de morte defuncti, illa non celanda sed satis publicanda est more inter vicinas civitates recepto, concedendumque illis sufficiens tempus petendi debite hæreditatem & adeundi. Si enim hæredes defuncti alibi degunt, num sit mortuus is, cujus hæreditas ipsis debetur, nec ne, nesciunt, nisi ea ipsis nuntietur, quod per se patet. Quare

De publicanda morte defuncti.

ſi mors celaretur, ne nuntiari juſtis hæredibus poſſet, fieret ipſis injuria (§. 859. *P. I. Jur. nat.*), adimereturque inſontibus jus hæreditatis petendæ cernendæque. Quæ cum ſit illicita (§. 911. *ibid.*), & damnum det doloſum (§. 488. *ſeq. P. II. Jur. nat.*), quod ſi detur utique reſarciendum eſt (§. 580. *ibid.*): oppido liquet, ut juſtis hæredibus alibi degentibus conſtare poſſit de morte defuncti, mortem non eſſe celandam, ſed potius ſatis ſuperque publicandam, ſeu propalandam.

Quod quando in exterorum & vicinarum rerump. gratiam faciendum eſt, pari utendum eſt æquitate, qua ipſæ ſeu pacto quodam, ſeu recepta conſuetudine, erga noſtram civitatem uti ſolent (§. 475-479. *P. I. Polit.*). Propalanda igitur eſt mors defuncti, cujus proximi hæredes ignorantur, more inter vicinas civitates recepto.

Cum ſæpe valde diſſita ſint loca, in quibus degunt juſti hæredes, & ubi is vitæ valedixit, cujus hæreditas eſt cernenda, experientia magiſtra: ſufficiens tempus indulgendum eſt, vel pro remotiſſimis hæredibus, intra quod a tempore ſcientiæ deliberare & voluntatem ſuam de adeunda vel repudianda hæreditate declarare poſſint. Solet hoc tempus utilis annus ſ. annus & dies dici, & anno 6 menſibus atque 6 diebus abſolvi (§. 265.). Si inter vicinos peculiaris mortis publicatio in uſu non eſt, ſed annus currit a die mortis, & poſt eum elapſum non amplius audiuntur hæredes vel juſtam excuſationem habentes; jure retorſionis uti adverſus illos licet, donec id mutetur, & ſi non mutatur, perpetim eadem ratio valebit contra ipſorum cives, qua ipſi utuntur contra noſtros (§ 269.).

Humanius eſt, annum utilem non reſtringere ad diem mortis, ſed ad diem nuntiatæ ipſi mortis. Unde poteſt quidem requiri, quod in officio eſt, ſcilicet, ut debita diligentia hæreditas ſperanda curæ habeatur cordique, & amicus vel mandatarius

rius comparetur, qui mortem quantocunque hæredi nuntiet. Ratio tamen habenda eſt diſtantiæ locorum, & incerti itineris, in tam diſſita loca nuntium perferendi, & reſponſum referendi. Ratio quoque habenda culpæ alienæ, ſi non & malitiæ, qua negligi aut ſupprimi poteſt vel amitti nuntium perferendum. Ratio inprimis habenda æquitatis, qua quidquid nolis tibi fieri, nec alteri cuicunque, & quidquid velis tibi in ſimili caſu fieri jure tuo, id quoque alteri faciendum eſt; & legitimorum impedimentorum, per quæ fieri nequit, ut vel qui maximopere velit, officio ſuo vacet. Pro diverſis igitur conditionibus diverſum quoque ſpatium temporis indulgendum hæredibus erit, ita tamen, ut & diligentis vigilantiæ officia, circa jura propria in conſequenda hæreditate, urgeantur, & pro natura rerum inutiles ambages, judicum diſtractiones & moleſtiæ evitentur, negligentiæ vero, arrogantiæque effectus, & vexandi ac rixandi libidines coërceantur (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*). Quare ſi inter vicinas civitates receptum eſt, ut in tribus vicinis civitatibus, ubi hæredes futuri exiſtimantur potius quam alibi, promulgetur vacans hæreditas, ut qui ſe ea digniorem eſſe, quam cæteros, opinatur, jus ſuum magiſtratui approbare poſſit; æquum erit, ut iisdem civitatibus par pari referatur.

§. 291.

Si quibus hæreditas, vel legata, vel res quæcunque alia conjunctim debetur, erit ea inter illos, uti fas eſt, dividenda; uno autem vel altero deficiente vel quaſi, dum v. g. eam repudiat, reſiduo ex iis, quorum commune jus in ea re erat, debebitur ſive ex pacto aut ultima defuncti voluntate (§. 1055. & 1057. *P. VII. Jur. nat.*), ſive ab inteſtato (§. 1033. *ſeq. ibid.*). Neque enim ulli jus eſt in re communi præter ipſos, quibus conjunctim debetur. Uno igitur vel altero ſeu nolente, ſeu nequeunte jure ſuo uti, in reſidui voluntate poſitum erit, non invitis conſortibus, velitne vacantem illorum partem ſuam facere, nec ne (§. 1053. *ibid.*). Si velit illam accipere, merito

Cui debeatur res communis?

illa transit ad ipsum, ut consortem dominii. Si nolit, nec præter ipsum alii privato debetur, (uti legatum repudiatum hæredi §. *cit* 1055.) ærario communi vel fisco vindicanda erit. *Res ergo communis naturaliter debetur dominii consorti, si eam accipere dignetur*, h. e. nisi aliud potius officium obstet.

Scilicet consortes dominii rerum a mortuo relictarum sunt cohæredes, collegatarii, hæres ratione legatariorum singularium & separatorum, denique deficientibus vel quasi justis successoribus privatis, ipsum civitatis ærarium seu ipsa civitas, & fiscus seu rex. Unde ab uno jus commune transit ad alterum, ejus communione gaudentem, si suo jure uti velit.

§. 292.

Quid sit jus accrescendi. Hæreditas, res legata, aliave communis, *accrescere* alteri dicitur, qui ejus vacantis adquirendæ jus habet, eodemque uti vult. Vacat nempe res domino, si is vel nequeat vel nolit ejus dominus esse. Inde *jus accrescendi* est jus transeundi ad consortes si non ipsius dominii, saltem juris id adquirendi, qui eo uti volunt; vel jus occupandi vacantem rei communis partem. Per juris naturam quippe patet, eodem præditum, pro lubitu & officiorum dictatu illo uti posse & non uti. Nascitur hoc jus ex voluntate officiosa donantis, & defectu aut abdicatione ejus consortis; ideoque ex autoris & consortis simul voluntate, saltem tacita præsumtave, cujus intererat, ne alter eo gauderet & uteretur, sive is donator sit, sive testator, sive consors juris.

§. 293.

Quid statuendum sit de jure accrescendi. *Jus accrescendi iis relinquendum, & lege civili quoque concedendum assignandumque est, quibus naturaliter debetur.* Est enim jus accrescendi jus occupandi vacantem rei communis partem (§. 292.); idque naturaliter iis debetur, qui ejusdem dominii vel simul vel in quadam successione sunt participes & consortes (§. 291.).

(§. 291.). Quare cum quæ naturaliter debentur, lege civili nequeant fieri illicita (§. 974. *P. VIII. Jur. nat.*), ſed potius promovenda, & vel ex imperfecte debitis ſalutis publicæ cauſa perfecte debita facienda ſint (§. 977. *ibid.*): relinquitur aperte, jus accreſcendi in civitate iis relinquendum & tribuendum eſſe, quibus naturaliter debetur.

§. 294.

Quoniam utilis acceptatio præſumitur & præſumenda eſt in eo, qui ob ætatem aliamve cauſam acceptare nondum poteſt (§. 1044. *P. VII. Jur. nat.*), nec minus in eo, qui acceptare poteſt, nec ullas repudiandi cauſas habet (*ibid. in not.*); & qui præſumta acceptatione jus in re hæreditaria vel legata adquirit, is idem adquirit eo ipſo momento, quo teſtator animam efflat (§. 1045. *ibid.*): pateſcit, jus ad hæreditatem, legataque merito transmitti ad hæredes ejus, qui ſcriptus eſt hæres aut legatarius, modo ſuperſtes fuerit, nec repudiavit aperte, tabulis licet ante ipſius mortem nondum apertis. *Hinc dubium non eſt, quin & lege civili hoc conformari & ſtatui poſſit, ad ejus quoque hæredes tranſire jus hæredis aut legatarii vel donatarii, qui necdum accepit, ſed cujus voluntas præſumenda eo eſt, quod nullas habuit cauſas repudiandi, ſed potius ipſius interfuit, acceptare ſui ſuorumque cauſa.* *De præſumta acceptione ejusque effectu.*

Hinc & infantes & poſtumi, & mente capti, ſurdi ac muti, furioſi, ex morbo impotes animi, & abſentes, & ſi qui ſunt alii his ſimiles, ſtatim a morte donatoris, cujus voluntas nunc rata eſſe intelligitur, dum revocari amplius nequit, ſtatuuntur & præſumuntur conſenſiſſe in beneficium accipiendum, nullo dum impediti fuere officio. Neque adulti cenſeri poſſunt alienum a bonis accipiendis animum habuiſſe, quibus indigebant, & ad officia ſua rectius peragenda poterant ac debebant adjuvari; licet ante mortem ſuam voluntatem accipiendi nondum declara-

clararint. Sufficit enim, in re officiis consentanea, ut id de eorum animo potius præsumatur, quam contrarium, scilicet repudiatio, quam itidem non declararunt, nec ullas ejus causas habuisse intelliguntur.

§. 295.

Quid statuendum sit de adoptivis & arrogatis?

Eo dum mere adoptivis arrogatisve liberis naturaliter nullum jus successionis debetur, nisi quod a voluntate adoptantis arrogantisve pendet (§. 783. & 786. *P. VII. Jur. nat.*): *lege quoque civili adoptatis arrogatisve nullum aliud jus succcdendi tribui potest, quam quod nacti sunt ex testamento, legato, vel pacto adoptionis & arrogationis, seu expresso seu tacito* (§. 790. *ibid.*) & (§. 973. *P. VIII. Jur. nat.*), quatenus scilicet ex factis & donis adoptantis, vel arrogantis indubium est, quid filii adoptati vel arrogati esse voluerit, quid minus?

§. 296.

De libertate renuntiandi hæreditati &c.

Quemadmodum liberum est in civitate tum hæredi, utrum hæreditatem jam oblatam suscipere, adeundo eandem aut pro hærede se gerendo, an repudiare vel abdicare; tum legatario, utrum accipere vel repudiare legatum pro officii sui norma velit (§. 263.): ita quoque ob nondum delatam hæreditatem aut rem legatam, jus tamen & spem illius futurus hæres & legatarius merito pro re sua habet, ideoque & illi in gratiam alterius renuntiare potest, si id consultum ducat. *Liberum ergo in civitate esse debet hæreditati futuræ aut legato nuntium remittere, quando id officium hæredis aut legatarii futuri urget.*

§. 297.

Quid de renuntiatione pro hæredibus &c. valent?

Qui hæreditati aut legato futuro renuntiat, is jus abdicatum in hæredes suos a se tantum id habituros transmittere nequit, ipse eo jam destitutus (§. 842. *seqq. P. VI. Jur. nat.*). Ut tamen manifestius constet de ejus voluntate, diserte non pro se tantum, verum etiam pro suis hæredibus renuntiabit (§. 844. *ibid.*). Quibus si nul-

nullum jus adhuc ſit quæſitum, renunciatio pro ipſis facta valebit (§. 842. *ibid.*); in contrario caſu neutiquam valebit (§. 846. *ibid.*), niſi ipſimet ſponte conſentiant in renuntiationem (§. 365-368. *P. VIII. Jur. nat.*). Neque renuntiatio in fraudem debitorum &c. facta valebit (§. 395 *ſeqq. ibid.*) & (§. 989. *P. I. Jur. nat.*) item (§. 148. *P. V. Jur. nat.*) & (§. 964. *P. VII. Jur. nat.*).

Par fere ratio hic eſt, ac ſi pater præterierit quemquam liberorum ſuorum, aut acſi poſthumus naſcatur, cujus juri perfecto nil derogat vel teſtamentum paternum (§. 1022. *P. VII. Jur. nat.*). Quorum nempe jus in bona aut jura alterius adquirenda eſt perfectum, illi in eo a nemine ſunt lædendi. Conf. Jus naturale fœtuum & nondum natorum *P. VI. Jur. nat. cap. 6.* Quod civili jure firmandum eſt (§. 293.).

§. 298.

An alienari jus hæreditarium poſſit?

Jus hæreditarium & ſucceſſorium civiliter quoque alienari nequit in fraudem tertii, & quatenus incertum niſi contractu aleam continente. Naturaliter homo jus ſuum alteri cedere & remittere poteſt, modo ita nihil faciat contra jus tertii (§. 117. *P. III. Jur. nat.*), idemque de alia quavis legitima alienatione cenſendum. Quare & jus adquirendi hæreditatem, legatum, ſucceſſionemque in alterius jura alienari nequit in fraudem ullius alterius, ſed ſi quis ſit in communione juris poſitiva, non niſi ratam ſuam & jus ad eandem in futurum cum conſenſu cæterorum (§. 143. *ſeqq. ibid.*).

Quoniam jus occupandi, venandi, aucupandi, piſcandi, alienari poteſt (§. 671. *P. II. Jur. nat.*), ideoque in genere jura noſtra officii cauſa alienari poſſunt (§. 670. *ibid.*), quo placet contractu: quatenus autem incerta eſt juris hæreditatem occupandi, legatum accipiendi, & ſuccedendi alterius in jura adquiſitio, eatenus alienatio ejus aleam continet (§. 286. *P. V. Jur. nat.*). Hinc alienatio dicti juris quatenus ab incerto eventu ejus ad-

quiſitio pendet, fieri non poterit niſi contractu aleam continente, ſive donatio ſit, ſive emtio ſpei, aliusve contractus onerosus, in quo æqualitas obſervanda, quantum fieri poteſt, requirit, ut circiter eadem ſit ſpes lucri, idemque metus damni (§. 291. *ſeqq. ibid.*).

Quapropter ut in renuntiatione civili jure ſtabiliendum eſt, quod natura debetur (§. 297.): ita quoque jus alienandi utcunque jure ſucceſſionis ab inteſtato, aut ex ultima voluntate vel pacto, legibus civilibus conformandum eſt legibus naturæ, quantum fieri in civitate poteſt.

§. 299.

Hypomnema de privilegiis piarum cauſarum.

Quo liberalitas in publica commoda amplificanda promoveatur, privilegiis illa provocanda eſt & augenda, quibus deſtituitur privata. Donationibus ſcilicet, legatis, teſtamentis pactisve ſucceſſoriis conſuli poteſt commodis privatorum, conſuli quoque publicis in communia commoda inſtitutis, teſte eorum uſu recepto; quibus accenſeri merentur, quæ piæ dicuntur cauſæ, quatenus abuſu carent, ſeu non niſi ad communem ſalutem provehendam comparantur. Enimvero uti quilibet civis obligatur ad bonum commune civitatis pro virili promovendum (§. 18. & 24. *P. VIII. Jur. nat.*): ita quoque legibus civilibus præſcribenda ſunt ea, quibus bonum commune obtinetur (§. 969. *ibid.*), & cives obligandi ad obtemperandum legibus (§. 967. *ibid.*). Sed ad beneficia cives melius invitantur præmiis propoſitis, quam pœnis, & privilegia ſunt leges, jus quoddam ut præmium tribuentes, (§ 854. *ibid.*). Ut itaque liberalitas in publica emolumenta amplificanda excitetur, privilegiis illa erit provocanda & augenda, quibus deſtituitur privata.

Hujusmodi privilegia occurrunt 1) in modo ſimpliciſſimo, citra ullas ſolemnitates eam valide exercendi, utcunque lubet, modo de animo liberali ſatis conſtet; 2) in immunitate a ſumtibus,

bus, alias ad valide exercendam liberalitatem requisitis; 3) in gratuita exhibitione documentorum & rerum tradendarum; 4) in immunitate a detractu, alias publico ærario solvendo; 5) in securitate præcipua & prærogativa, his causis in concursu creditorum concessa; 6) in largioris fœnoris usura, quod secus vulgo fieri solet ab his, qui dum privatis & amicis favent, voluntati autorum, & fructui eorum, quorum in gratiam sunt instituta, adversantur plus sibi arrogantes, quam habent in acceptis. &c. Superessent alia de beneficiis ordinanda, de alumnorum grata mente, de commodato, deposito aliisque beneficis pactis. Sed illis alius locus erit accommodatior; & his tanquam contractibus mutuæ obligationis more usitato locus videtur relinquendus inter cæteros contractus, de quibus jam exponet

SECTIONIS I.

CAPUT V.

DE

Cura sapienter perficiendi justitiam privatam in contractibus.

§. 300.

Præsertim probitati publicæ sapienter procuranda est justitia in contractibus; occurrendum vero injustitiæ & injuriæ in iisdem, quantum datur. Etenim & lex naturæ exigit (§. 789. *seq.* *P. III. Jur. nat.*), & reip. admodum interest, ut pacta & contractus serventur (§. 232. *P. VII. Jur. nat.*). Quia inprimis perfecti juris, quod pacta & contractus includunt (§. 794. *P. III. Jur. nat.*), ratio habenda est in rep. & curandum, ut saltem actus externi civium legibus naturalibus conformentur (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*): evidens est, probitati publicæ sapienter procurandam esse justitiam privatam in contractibus generis cujuscunque (§. 234.).

Curanda est justitia in contractibus.

 Quam

Quam juſtitiam cum omnis injuſtitia & injuria tollat violetque (§. 859. 874 *ſeq.* & 926. *P. I. Jur. nat.*): injuſtitiæ atque injuriæ in contractibus ſapienter erit occurrendum, ut ſcilicet inhibeatur, impediatur coërceaturque, quam optime fieri poteſt (§. 235.).

§. 301.

Curandum, ut ſerventur promiſſa, & injuriæ fugiantur.

Opera danda eſt, ut legitime in contractu promiſſa ſerventur, læſiones autem & injuriæ verbales æque ac reales, quantum fieri civiliter poteſt, avertantur, evitentur, & ſi nihilo minus admiſſæ fuerint, reparentur. Eſt enim juſtitia in contractibus promovenda, injuſtitia vero & injuria conjunctis viribus arcenda (§. 300.). Sed quia juſtitia ſuum cuique tribuit (§. 926. *P. I. Jur. nat.*), quod legitime alteri promiſſum eſt, id ipſi eſt præſtandum (§. 431. *P. III. Jur. nat.*), tanquam perfecte debitum (§. 437. *ibid.*) & ſuum (§. 439. *ibid.*). Quare cum promiſſa ſerventur, quando præſtatur id, quod per ea eſt præſtandum (§. 430 *P. III. Jur. nat.*), patet, operam junctis viribus in rep. eſſe navandam, ut legitime promiſſa ſerventur.

Quia contractus violantur, quando non ſervantur, læditur is, cui non præſtantur legitime promiſſa (§. 669. & 671. *P. I. Jur. nat.*). Cum nemo ſit lædendus (§. 695. *ibid.*), & quilibet obligetur ad impediendum, ne quis ab aliis lædatur, quantum in ſua eſt poteſtate (§. 988. *ibid.*): luculenter apparet, in civitate conjunctis viribus operam eſſe navandam, ut læſiones & injuriæ, quantum civiliter fieri poteſt, impediantur, ideoque & avertantur & arceantur, antequam fiant, & ne fiant, evitentur autem, dum attentantur imminentque jamjam, reparentur denique & reſarciantur damna jam data (§ 571. *P. III. Jur. nat.*).

Civiliter dicitur quidpiam fieri vel latiori ſenſu, vel ſtrictiori. Latiori notat id omne, quod ſalutis publicæ cauſa in civi-

tate conjunctis viribus sapienter statui & adhiberi potest. Strictiori vero id tantum, quod criminale non est. Ita civiliter agitur adversus alterum, quando non quæritur nisi privata injuriæ reparatio; criminaliter vero, quando publicum pœnæ exemplum est statuendum. Hic utimur ampliori illa notione, quam & conjunctæ vires indicant satisque explanant, item civilia instituta, quæ diximus (§. 240.), quæ criminalia non excludunt.

§. 302.

Quomodo præstatio promissi civiliter promovenda?

Ut promissa serventur, adhibenda est legum civilium obligatio, immorigeros extorsione debiti suo sumtu coërcens, & pœnas, quando opus est, adhibens. In rep. enim ferendæ sunt leges de illis, quæ fieri debent (§. 582. *P. VIII. Jur. nat.*). Fieri autem debet præstatio promissorum (§. 301.). Quamobrem injungenda quoque est præstatio promissorum, qua contractus serventur, & ne violetur lex, addenda illi est obligatio civilis, a voluntate superioris proficiscens (§. 149. *P. I. Philos. pract. univ.*). Si enim legi naturali præcipienti voluntate superioris accedit auxilium in foro, quo judex ad præstandum, quod præstari debet, vi compellit nolentem non sine sumtibus ipsius, lex naturalis abit in civilem (§ 980. *P. III. Jur. nat.*), & obligatio consistit partim in extorsione debiti, non sine aliqua civis immogeri nota peragenda, partim in sumtibus, mercedis loco ministris extorsionis solvendis.

Si autem complures immorigeri fiant, & judici plurimum negotii, præsertim in rebus leviculis facessant, & aperte eo ipso ostendant, non sufficere ordinarium auxilium ad compescendam proterviam; aut si prorsus res ad seditionem rebellionemve spectet: ista omnino prohibenda sunt severius, & naturaliter jam prohibitis addere licet pœnas civiles (§. 979. *ibid.*), eæque augendæ, ubi opus est, donec tales & tantæ habeantur, quæ cohibendæ legum transgressioni sufficere intelliguntur (§. 585. *ibid.*).

Quia ob minimam quamqne læſionem litibus in foro locus concedi nequit, legibus civilibus quoque definiendum eſt, ob quas læſiones & injurias auxilium vel detur vel denegetur in foro, & quæ culpa pro diverſitate negotiorum præſtanda ſit (§. 988. *P. VIII. Jur. nat.*). Cæteris, quibus ordinario modo vacari nequit, demum caſu extraordinario, aut nimis invaleſcente, in perſonarum & actionum multitudine, tali injuſtitia, remedium afferri poterit, ſtatuto exemplo, quod cæteros abſterreat.

Non minus exſecutione rei judicatæ, vi nolentem adigente ad præſtandum, quod debet, introducitur obligatio civilis, quam pœnis (§. 555. *ibid.*). Aut enim invitus ipſe tandem vi adducitur ad præſtandum debitum, aut pati cogitur, ut alteri ex rebus ſuis ſatisfiat. Utrobique patitur aliquid mali, ob actionem, quæ id meruit. Licet igitur ſtrictiori pœna opus non ſit, ubi quis compelli poteſt ad præſtandum id, quod exigit legis præceptum (§. 586. *ibid.*); latius tamen pœnæ nonnihil dici poteſt illa extorſio præſtationis debitorum, non ſine vi inferenda & ſumtibus ferendis peragenda. Quod ut evidentius evadat, addere nonnulla lubet.

§. 303.

Duo modi invitos adigendi ad præſtationem promiſſi.

Suis non ſtans promiſſis aut comminatione exſecutionis ſe adigi patitur ad illa præſtanda, aut ne illa quidem, ſed opus eſt violenta exſecutione rei judicatæ. Fieri enim nequit, ut idem ſimul ſit & non ſit (§. 28. *Ontol.*). Inde ſuis non ſtans promiſſis non poteſt ſimul adigi & non adigi comminatione judicis ad promiſſa præſtanda. Si ergo patitur ſe comminatione exſecutionis adigi ad ſervanda rite promiſſa, non opus erit exſecutione. Si vero ea ſe nondum adigi patitur, opus tandem erit violenta rei judicatæ exſecutione.

§. 304.

Num quid pœnæ adjun-

Si quis non niſi exſecutionis comminatione ſe adigi patitur ad promiſſa præſtanda, is quandam famæ ſuæ labem aſpergit, ideoque eo

ipſo

Cum sit comminationi exsecutionis?

ipso nonnihil pœnæ incurrit. Dum enim non nisi metu violentæ exsecutionis imminentis sibi a judice adigi se patitur ad promissa præstanda, animum prodit a virtute & officio suo alienum, non tantum parti adversæ, sed & judici, & per hos simul pluribus aliis civibus ac peregrinis, qui illius denegati officii certiores fiunt. Enimvero uti bona hominis fama oritur ex virtutibus, ita mala fama seu labes famæ oritur ex vitiis (§. 553. *P. I. Jur. nat.*). Si famam servare nequit, nisi qui solicite cavet, ne bona in malam degeneret (§. 556. *ibid.*): famam aut perdit, aut labe adspergit, quisquis officio & virtuti contraria evidenter prodit. Sed hoc facit ab officio promissa servandi alienum se probans, nec nisi invitus illi parens. Ideoque famæ suæ detrahit, quidquid justitiæ derogatum cupit, redditque aliorum animos non sine causa a se & a suo commercio alienos. Sed pœnæ loco etiam est detrimentum & ademtio bonæ famæ atque existimationis (§. 589. *P. VIII. Jur. nat.*): uti præmii loco est gratia hominum, existimatio & fama bona (§. 185.) Quare qui famæ suæ maculam quandam contrahit, is utique pœnæ nonnihil subire censendus erit.

Diversi non immerito dantur gradus macularum famæ contractarum, quoniam diversi dantur gradus neglecti officii, cum numero tum gravitate officiorum. Si has maculas referre malis ad pœnas naturales, concedi illud ex parte potest, ex parte tamen civilis erit, quatenus conjunctis civium viribus irrogatur, continuatur, & noxa in violatorem pactorum redundans eo major redditur ampliorque (§. 306. *seq. P. I. Phil. pract. univ.*). Uti aliorum de nostra violatione pactorum judicium ignominia est (§. 811. *P. I. Jur. nat.*), eaque vera, quatenus officii denegatio est vera (§. 816. *ibid.*), & eo major, quo vel culpa est gravior vel dolus (§. 881. *seq. P. VIII. Jur. nat.*) & (§. 709. *seq.* 716. & 759. *P. I. Phil. pract. univ.*): ita quæ homini ignominiæ sunt, non sunt nisi mala naturalia, quorum ipse est causa libera

(§. 827. *P. VIII. Jur. nat.*), & quæ tum a Deo tum ab hominibus, qui alios obligandi jus habent, ob peccatum peccanti immittuntur, ideoque pœnæ levioris loco habenda (§. 285. *P. I. Phil. pract. univ.*). Neque hic valet præceptum Juris naturæ, nemini ea esse propalanda, quæ aliis ignominiæ sunt (§. 828. *P. I. Jur. nat.*), quippe quod verbotenus occulta & latentia involvit, quæ sola propalari possunt. Qui enim ipse manifestat, quæ sibi ignominiæ sunt, uti qui promissis stare detrectat, & suam injuriam in forum deduci cupit, ut a judice compellendus sit, ad abstinendum ab ea: is dicere nequit, alios suam ignominiam propalasse, quibus potius ansam dat, ut de ea tanquam re divulgata omnes loquantur, se invicem monituri, ut ex casu alieno discant, a quo sibi sit cavendum, & felix dici possit, quem faciunt aliena pericula cautum. Qui animum induit ab officio descíscendi, eumque aperte prodidit, is ipse aliis suggerit opinionem, se & in posterum ab officio alienum esse futurum, saltem injustum futurum, nisi compelli possit, ne sit. Quo ipso se virtutum osorem & vitiorum sectatorem probabit, bonis quibusque invisum & fugiendum.

§. 305.

Cur exsecutio nonnihil pœnæ contineat?

Quisquis ipsa demum exsecutione ad officium præstandi legitime promissa adigendus, is præter famam magis labefactatam, sua contumacia sumtus quoque, si non judicii saltem exsecutionis, aut & contumaciæ pœnam incurrit. Exsecutio enim aut versatur circa dandum, aut circa faciendum quidquam, ad quod sententia judicis reum obligat. Si vi extorquendum id, quod dandum est, sententia judicis vel exigit restitutionem rei, vel solutionem, ideoque exsecutio consistet vel in expletione juris, vel in oppignoratione invita (§. 552. *P. VIII. Jur. nat*). Illa infert ablationem & redditionem rei restituendæ violentam, aut si ipsa haberi statim nequit, rei alius, æquivalentis, loco ejus, quam quis reddere detrectat (§. 1113. *P. V. Jur. nat*), ita ut rei ablatæ dominium adquiratur (§. 1119. *ibid.*); hæc autem ablationem rei deti-

detinentis noſtram, noſtra melioris & carioris, non ante reſtituendæ, quam recuperavimus noſtram (§. 1118. & 1142. *ibid.*). Utraque refractariam mentem non tantum erga alterum contrahentem, ſed & erga magiſtratum arguit, ideoque majorem famæ labem adſpergit, quam ſi ipſi comminatio judicis ſuffeciſſet ad officium præſtandum (§. 303.). Cum vero exſecutio fieri nequeat, ſine mercede largiori operæ eorum, qui exſequi ſententiam jubentur; cum & judicium ipſius injuſtæ officii denegationis cauſa ſit habendum, & innocenti ſumtus ipſius culpa creentur: pro meritis ſuis non tantum ab eo exigentur ſumtus exſecutionis, & ſubhaſtationis, ſi ea opus ſit, verum & judiciales, tanquam damnum alteri datum innocenti, ideoque reſarciendum (§. 580. *P. II. Jur. nat.*). Cum pœnæ civiles conſiſtant vel in privatione & ablatione rei cujusdam ſuæ, hoc eſt ejus, qui puniendus & vi adigendus eſt ad officium ſuum, vel in dolore corpori infligendo (§. 588. *P. VIII. Jur. nat.*), ideoque vel mala fortunæ vel corporis contineant, & in priorum numero quoque exiſtimatio, fama & res familiares habeantur: pœnæ numero habenda quoque eſt diminutio bonæ exiſtimationis, famæ, & opum, per ſumtus præſtandos jacturam patientium (§. 589. *ibid.*).

Si vi extorquendum id, quod alteri faciendum eſt, id ſi æſtimationem non recipit, vel non perinde eſt, ſive actu præſtetur, ſive ejus æſtimatio, victus pœna compellendus eſt ad faciendum, quod ſententia exigit (§. 558. *P. VIII. Jur. nat.*). Si id æſtimationem recipiat, & alter ea contentus eſſe velit, quando hanc ſponte ſua præſtare recuſat, iterum exſecutione opus erit, ut in caſu priori. Utrobique ergo & facti extorſio non ſine pœna nocituri abſolvetur, etiamſi is non peculiari contumaciæ pœna dignus videatur. Qua accedente, ipſa tanto erit manifeſtior exſecutio pœnalis.

(*Wolfii Politicæ P. III. Sect. I. C. V.*)

Quibusnam pœnis contractibus suis non satisfacientes compellendi sint ad faciendum omittendumve, quod debent, id vel legibus definitur, vel arbitrio judicis relinquitur, ut pro re nata & personæ sorte talis eligatur, quæ sufficit ad obtinendum scopum. Si qua pœna ipso contractu est conventa, quam dare illius reus detrectat, judicis erit, illam exsequi, tanquam eam, in quam consensit. De pœnis strictius acceptis, dictum est in antecedentibus justitiæ ansis.

§. 306.

Quis modus contrahendi lege civili præscribendus?

Quoniam superior ex pluribus modis, quibus aliquid fieri potest, eligere & lege civili eum præscribere potest, quem judicat cæteris esse præstantiorem (§. 978. *P. VIII. Jur. nat.*): *eligi quoque ex pluribus contrahendi modis & lege civili præcipi is potest, qui cæteris est præstantior, ut contractus eo sit validior, & promtius auxilium in foro experiatur* (§. 305.)

§. 307.

Nempe cæteris præstantior.

Is vero modus cæteris præstat, quo fraudes quam optime arceantur, facilior redditur veritatis probatio, & certior exsecutio obtinetur. Fraus enim lege naturali est prohibita (§. 148. *P. V. Jur. nat.*), & ab omni pacto sive contractu fraus omnis abesse debet (§. 149. *ibid.*). Quare & in rep. conjunctis viribus in id incumbendum est, ut fraudes omnes a contractibus arceantur (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*). Eligendus igitur præscribendusque est ejusmodi contrahendi modus, quo fraudes quam optime arceantur (§. 306.), ut tuti ab illis esse possint, quotquot modum illum sequuntur.

Quo difficilior est probatio contractus, eo plus temporis & sumtuum postulabit, eoque ægrius judex de veritate promissorum in contractu convincetur, quam esse indolem difficultatis probandi contractum omnes facile perspicient adhibita attentione. Inde quo facilior est probatio contractus ,comi-

nori

nori ſumtu breviorique tempore, & certiori ratione judex de veritate rei geſtæ inter contrahentes convincetur. Ex convictione judicis cæteris paribus juſta fluet ſententia, fraudes coërcitura.

Latam ex convictione de juſtitia ſententiam damnatus aut ſponte implet, & ſic certo obtinetur, quod quærebatur; aut tergiverſatur & eidem ſatisfacere recuſat. Hoc caſu judex ſeu comminatione exſecutionis, aut ipſamet exſecutione eum adigit ad promiſſa adimplenda, & ad parendum ſententiæ latæ (§. 303.). Inde & is modus contrahendi cæteris præſtantior eſt cenſendus, qui faciliorem habet probationem, certioremque ſententiæ ferendæ exſecutionem.

Quia nemo eſt lædendus, & damnum alteri datum reparandum, in civitate ideo inſtituta, ut officiis naturalibus eo rectius & certius ſatisfiat, ferendum non eſt, ut quisquam alterum lædat, & damnum alteri datum eſt reſarciendum (§. 301.). Cum in pactis & contractibus facile alter alterum circumvenire fraudulenter & lædere poſſit, damnum ut ipſi det, ipſe vero ex alterius damno locupletetur: curandum ſapienter eſt, ne id fiat, ſed ut fraudibus proſcriptis omnia recte conveniantur, & ſi quis alteri damnum dare auſit, ut compellatur ad ipſi ſatisfaciendum. Hoc fieri rectius nequit, quam eligendo exquiſitiores & a fraudibus remotiores contrahendi modos, quibus & jura & officia reddantur eo expeditiora.

§. 308.

An & quacum lis contractus ſit conjugium?

Matrimonium recte refertur ad contractus, regulariter non niſi cum vita alterutrius finiendos. Eſt quippe matrimonium ſocietas, ſive pactum ſobolis rite procreandæ & educandæ cauſa initum (§. 276. *P. VII. Jur. nat.*). Sed pactum & contractus naturaliter non differunt (§. 794. *P. III. Jur. nat.*). Recte igitur matrimonium quoque contractus vocatur, vel ad contractus refertur.

 Quia

Quia matrimonium jure naturali perpetuum esse debet (§. 1078. *P. VII. Jur. nat.*): idem est contractus regulariter non nisi cum vita alterutrius conjugis finiendus, nisi nequiter alia intercedat ratio sat gravis.

Idem quoque sic patet, contractus est conventio perfectam producens obligationem (§. 793. *P. III. Jur. nat.*), vel ut JCtis Romanis dicitur, obligatio ultro citroque, h. e. mutua seu reciproca *l. 19. ff. de* V. S. qualem inter conjuges dari, controversia caret (§. 462. *seqq.* & 468. 474. *P. VII. Jur. nat.*). Talis datur quoque quadamtenus in contractibus beneficis (§. 417. *P. IV. Jur. nat.*). Ob perfectam, quæ inde oritur, obligationem, Romani quoque ex illis dedere actionem in foro, unde & contractus dicunt pacta, ob quæ datur actio in foro. Potest conjugium contractibus beneficis toties accenseri, quoties inde vel alterutri conjugi, vel utrique, non solum durante matrimonio utilitas insignis, sed & haud raro omnis, saltem dimidii conjugis locupletis patrimonii adquisitio inopi post mortem aut dissolutionem matrimonii enascitur, gratis licet non sine mutua obligatione percipienda. Quoniam gravioris momenti in rep. est matrimonium, quam cæteri contractus benefici, mutuam habentes obligationem, prius de illo agendum videtur, admonendumque, illud aliis de causis quoque onerosis contractibus inserendum esse. Unde mixtus ex oneroso & benefico hic contractus recte diceretur.

§. 309.

Cujusmodi opus sit legibus matrimonialibus?

Ut constare civibus rudioribus possit, quinam, quale, & quomodo conjugium recte inire possint, aut nequeant, legibus opus est matrimonialibus, ad jus naturæ exactis. Neque enim omnes vel naturaliter habiles sunt ad matrimonium (§. 271. 279. *P. VII. Jur. nat.*), vel moraliter (§. 826. *seqq. ibid.*) & (§. 282. *seq.*). Neque omne genus matrimonii convenit Juri naturæ, uti non convenit ipsi matrimonium imperfectum (§. 477. *P. VII. Jur. nat.*), neque

neque temporarium (§. 478. *seq. ibid.*), neque polygamia (§. 300. *seqq. ibid.*), sive polyandria sit, sive polygynia (§. 283. *seq. ibid.*) & (§. 296. & 302. *ibid.*); sed monogamia (§. 298. *ibid.*). Neque statim convenit scopo matrimonii & sorti familiæ, matrimonium in se non illicitum (§. 386. *Oecon.*). Neque omnis modus, v. c. clandestinus, invitis non abs re parentibus (§. 953. *P. VII. Jur. nat.*), sub turpi aut impossibili conditione (§. 410. 416. *seq. ibid.*) & (§. 385. *seq.* 404. & 480. *Oecon.*). Quoniam per matrimonium opes in conjugem & liberos transferri solent (§. 754. 983. *P. VII. Jur. nat.*); civitas opibus & nervo rerum gerendarum orbari posset, si promiscue ditissimis liceret cum peregrinis, in primis hostibus, matrimonium inire & opes suas ad illos transferre. Facile admodum foret, emissis procis quocunque splendido obtentu civitatem opibus suis exuere & mirum quantum debilitare. Quare cum saluti publicæ adversa legibus sint prohibenda, & eidem profutura præcipienda, ut, quantum fieri potest, custodia legum naturalium obtineatur (§. 969. 973. & 977. *P. VIII. Jur. nat.*), cum ex pluribus modis is præferendus præcipiendusque sit, qui cæteris præstantior deprehenditur (§. 978. *ibid.*): manifestum est, ut saluti publicæ rite consulatur, & civibus rudioribus constare possit, quinam, quale & quomodo matrimonium valide inire possint aut nequeant, docendos eos obligandosque esse legibus matrimonialibus, ad Juris naturæ normam exactis conformatisque.

Si recte inhiberi potuit pruritus cœnobia replendi, ineundi & in immensum cum detrimento civitatis locupletandi (§. 284. *not.*): nil obstat, quo minus & alius abusus v. c. matrimonii, in detrimentum reip. & familiarum vergens, pactis legibusque impediatur puniaturque, quantum sufficere possit, ad eum tollendum. Petendæ sunt hæ leges ex illis, quæ Jus naturæ præcipit de conjugiis, & prohibet de illorum contrariis, *cit. P. VII. Jur. nat.*

§. 310.

De legibus sponsaliorum.

Quia matrimonia præcedere solent sponsalia tanquam pacta de matrimonio ineundo (§ 369. *P. VII. Jur. nat.*), ex deliberationibus præviis oriunda (§. 371. *ibid.*): ne quid in illis admittatur, quod legi naturæ adversatur, *cives legibus civilibus docendi sunt obligandique ad evitanda sponsalia prohibita & clandestina*, quæ sine testibus & consensu eorum, quorum interest, contrahuntur, ideoque sæpissime noxia, aut & bina vel plura, vel cum concubitu & imprægnatione conjuncta esse solent (§ 309.) & (§. 391. 373. *seqq. P. VII. Jur. nat.*); item *quomodo pure, vel in diem, vel sub conditione valide contrahi possint aut nequeant* (§. 370. & 416. *seq. ibid.*); *quænam ex pluribus initis valida esse debeant; ob quem morbum, dissensum, errorem, dolum vel sceleratum actum sint dissolvenda, vel minus* (§. 384. *seq.* 375. *seq.* 380. *seqq.* 383. & 386. *ibid.*); *quid de arrhis & muneribus sponsalitiis valere debeat* (§. 393. *seqq.*).

Ita habentur in juribus romanis aliisque variæ leges de sponsalibus, eorum probatione, effectu, obligatione, rescissione, de repudiis, quibus ab iis receditur idonea ex causa, (§. 509. *P. VII. Jur. nat.*), de eorum differentia a tractatibus sponsalitiis, de errore, metu & dolo sponsalia vitiante, aliisque similibus.

§. 311.

De regendis tuendisque pactis dotalibus &c.

Antequam consummetur matrimonium, iniri haud raro solent pacta, quibus tum de dote, & quid juris in eam vel marito esse, vel uxori reservatum esse debeat; tum de donatione propter nuptias; tum de successione, & modo, quo sibi invicem succedere debeant, convenitur (§. 930. 946. & 1073. *seq. P. VII. Jur. nat.*). Quare cum illa nitantur jure dominii, & si legitime ineantur, servanda sint (§. 431. *P. III. Jur. nat.*), & in civitate promovenda sint ac tuenda (§. 301.): *legibus quoque civilibus tutissima pactorum conjugalium ratio præscribenda, & ut inita rite serventur opera est danda* (§. 978. *P. VIII. Jur. nat.*) & (§. 307.).

Civi-

Civibus libera esse debet facultas paciscendi statuendique de rebus suis pro officiorum suorum ratione, uti ipsis factu optimum videtur (§. 245. *seqq.*). Quocirca & in matrimonio ineundo liberum esse debet inituris, ut memores sint peculiarium officiorum, quibus sunt adstricti, ut pro ea, qua pollent, sagacitate, futuris prospiciant casibus, quibus communi more & lege prospici non solet. Hinc pactis dotalibus reservare sibi sponsus & sponsa potest dominium integrum bonorum suorum, & convenire inter se, quid uterque ad ferenda matrimonii onera in commune conferre debeat, modo ordinario, & extra ordinem; quid imperii in domesticos cuique tribuendum; quid juris uni in alterum certis casibus esse aut non esse debeat; quid auxilii alteri ab altero datis in conditionibus ferendum; qualis sors & successio liberorum in bona parentum esse debeat; quid in memoriam & honorem conjugii bene peracti alteri ab altero sit post fata exspectandum; quid de liberorum religione sit statuendum, quando parentes diversæ sunt religionis; num sexus liberorum sexui parentum conveniens, norma esse debeat religionis liberorum initiandorum? Potest vero etiam sponsa futuro marito vel omnem usum fructum & administrationem dotis suæ seu bonorum suorum concedere, vel & paraphernalia & receptitia quædam bona sibi reservare, prout convenire inter paciscentes potuit. Quæ pacta & conventa dum nihil illiciti habent, utique servanda sunt, & autoritate publica roboranda ac tuenda.

§. 312.

De legibus nuptialibus.

Opus quoque est in civitate legibus nuptialibus, quibus nuptiarum ordo, ritus & sumtus ad salutem publicam dirigatur, ac ne contra illas agatur, pœnis cavetur. Nuptiæ enim sunt actus, quibus adimplentur sponsalia, & matrimonium actu initur ac consummatur (§. 498. *seq. P. VII. Jur. nat.*). Qui cum in civitate publice ac decenti ordine, qui varius esse potest, fieri debeant; is ordo, qui præ cæteris arrisit, legibus nuptialibus est præscribendus (§ 978. *P. VIII. Jur. nat.*).

Præterea quia ceremonias nuptiales instituere licet, & in statu naturali unicuique jus est ceremoniis nuptialibus utendi, quibus libuerit (§. 502. *P. VII. Jur. nat.*), modo recti sint (§. 503. *ibid.*), sed in statu civitatis illæ communi omnium consensu eligendæ & legibus firmandæ sunt (§. 978. *P. VIII. Jur. nat.*). Jam ceremoniæ sunt ritus officium suggerentes & significantes, quod observandum est (§. 808. *P. III. Jur. nat.*). Ergo & ritus nuptiales legibus nuptialibus injungendi sunt, quibus civibus sit utendum, ne quid officii in celebrandis nuptiis omittatur.

Cum in nuptiis celebrandis facile damnosus excessus committi possit soleatque circa sumtus, in neonymphos, convivium nuptiale, & alias festivitates impendendos, quando inopes opulentos imitari, aut alii ultra sortem suam inepte se evehere nituntur: compescenda est legibus nuptialibus luxuria reip. nocituræ, præscribendo diversæ civium sorti, quid illius dignitati concedendum sit, quid negandum, ut omnia sapienter, moderate & ordine justo fiant. Quæ statuta ne temere violentur, utique pœnis convenientibus & suffecturis est cavendum.

Appellari hæ leges nuptiales solent constitutiones vel ordinationes nuptiales (Hochzeitordnungen), quibus moderata impendia sorti civium ita attemperantur, non ut ea facere necesse sit, sed ne quis ultra concessa sibi quidquam impune arroget. Potius minora & vel minima cuique permittuntur, qui justam facultatum suarum rationem habere officii causa velit. Inde numerus convivarum, modus vestitus & ornatus, numerus & qualitas ferculorum & potulentorum, bellariorum & lautitiarum, omnisque cæteri apparatus solemnis, musicæ, temporis quoque ratio rite habenda præscribi consuevit, ut frequentiores abusus, quantum fieri potest, avertantur. Qui enim ultra vires suas superbire, aliosve fraudulenter circumvenire gestiunt; illi æs contrahunt

hunt alienum, difficulter aut nunquam diluendum, itaque se & alios reddunt infelices, læduntque, quod ferendum non est. Pertinet huc publica denuntiatio seu proclamatio nuptiarum instantium tribus dominicis diebus ideo præmittenda, ut si quid impedimenti legitimi nuptiarum concedendarum celatum sit, id manifestari debite possit, simili instituto, quo Romæ trinundinum exspectabatur, antequam nova lex promulgaretur. Pertinet eodem declaratio publica consensus matrimonium contrahentium coram testibus, ad hunc actum invitatis, vel coram magistratu, adhibitæ cantilenæ & preces, promissio fidei conjugalis & officii, junctis dextris, annulisque pronubis datis permutatisve, copulatio sacerdotalis & inauguratio pia, congratulatio, lautius convivium, concentus musicus & tripudia interdum, denique deductio sponsæ in domum & ad genialem thorum vel thalamum, quo conscenso, sive concubitus accesserit, sive minus, consummatum censetur connubium. Erant & Græcis, & Romanis aliisque gentibus variæ connubiorum ceremoniæ, & in his quoque tabularum nuptialium lectio & subsignatio, sacrificia ad aras facienda, confarreatio per pontificem maximum, conjuges frugibus & mola salsa, item conjunctione dextrarum jungentem, ut in manum convenirent, igne & aqua adhibitis; coëmtio facilioribus ceremoniis absolvebatur, qua vir & uxor in familiam, ut hæredes sui admittebantur, & sibi invicem in bonis & fortunis succedebant. Quæ & plurima alia gamica in aliis fusius commemorata reperiuntur, ut nihil attineat, illis recensendis immorari.

§. 313.

Leges forenses connubiales.

Propter varias lites, quæ circa matrimonium occurrere solent, opus est & legibus ad earum decisionem facientibus, & judicio causas connubiales excutiente, inprimis quæ de divortio agunt. Multa enim sunt in civitate conjugia, & esse debent propter illius conservationem (§. 270. *seq. P. II. Polit.*). Jam ob jugem vitæ consuetudinem, animorumque & morum diversitatem, cessat tum simulatio & dissimulatio ante nuptias ad placendum alteri composita,

 sita,

ſita, innoteſcunt neonymphis vitia, & ſi quæ inſuper fraudes ſunt adhibitæ, ſi contractum æs alienum fuit. Degenerat quoque haud raro animus ad meliorem ſortem evectus, pravis inclinationibus indulgere ſtudet, atque ab officio deſciſcit. Inde privata primum odia, diſſidia, jurgia & opprobria, mox querelæ publicæ ad judicium delatæ, aut deſertio conjugis, vel & graviora ſcelera naſcuntur, adulteria, vulnera, homicidia &c. Quibus ut obviam iri, & medela, quanta poteſt, afferri poſſit, & legibus opus eſt, quibus innocentibus ſubveniatur, nocentium vero libidini ac licentiæ obex ponatur, & judiciis ſenatus ſacri ſive eccleſiaſtici, quibus ejusmodi cauſæ ventilentur, præſertim ſi divortium ab innocente quæratur, ſaltem ſeparatio a thoro & menſa.

Intelligi ex antecedentibus poteſt, quot officia circa ſponſalia, nuptias, dotem & bona conjugum, inter conjuges occurrant, & quot eorum neglectus, quot controverſiæ, quot actiones officiis contrariæ, & delicta, ſaltem injuriæ, oriri & intercedere poſſint, ac ſoleant, quibus & civili lege, obligatione & judicio medendum eſt, quantum fieri poteſt. *Conſiſtoria* & ſynedria vocari ſolent judicia ſacra, in quibus cauſæ connubiales, aliæque eccleſiaſticæ excuti & decidi ſolent; quanquam & latius dicebantur conſiſtoria loca, in quibus principem circumſtabant aut & conſidebant conſiliarii, comites & amici, ad rem quamdam deliberandam acciti. De latiori illo ſenſu nunc non ſumus ſoliciti; ſtrictius autem & proprie dicta ſynedria eſſe in civitate neceſſaria, ex modo allatis liquet.

§. 314.

Quid ſtatuendum ſit de divortiis?

Cum res magni momenti ſit, & naturæ conjugii initi adverſa (§. 308.) diſſolutio ejus, ſive prorſus, ſive aliquatenus inſtituenda; utraque non niſi gravibus de cauſis, quas potiora requirunt officia, eſt admittenda. Quæ ut conſtent civibus non tantum, ſed & majorem imponant obligationem eas vitandi, &

& certiorem, nisi eas evitent, pœnam: *legibus connubialibus indicandæ prohibendæque sunt causæ morales divortiorum, & separationis a thoro & mensa, additis sanctionibus pœnarum* (§. 509. *P. VII. Jur. nat.*). Quæ leges simul norma sunt inferiorum judicum sacrorum.

Sunt autem præcipuæ matrimonium dissolvendi causæ, adulterium commissum, si id pars læsa consultum deprehendat (§. 511. *seqq. P. VII. Jur. nat.*); malitiosa desertio conjugis (§. 514. *ibid.*); obstinata & perpetua recusatio debiti conjugalis (§. 515. *ibid.*); inimicitia irreconciliabilis, præsertim conjuncta cum vitæ insidiis, & periculis sanitatis integritatisque membrorum; detectæ machinationes insidiarum vitæ, impotentia ad matrimonium aperta, & morbus contagiosus insanabilis. Vbi causæ naturales, impedientes matrimonium, eo minus attendendæ sunt, item morales, quæ ante vel notoriæ fuerunt, vel explorari facile potuissent, quo minus illæ sunt in potestate, & fortuito accidere possunt insontibus, hæ vero tacite condonatæ videntur & condonandæ ab eo, qui cautius contrahere matrimonium debuisset. Neque tamen impune ferendum est adulterium conjugum, si notorium fiat, licet sibi conjuges id mutuo permittere velint; neque lenocinium vel mariti, quia illicitum est (§. 366. *ibid.*), & saluti publicæ adversum. M. Antoninus Philosophus non ignoravit, uxorem suam Faustinam, adulteriis esse infamem, id dissimulavit, & monitus ut eam repudiaret, fertur dixisse; si uxorem dimittimus, reddamus & dotem (imperium scilicet a socero acceptum), teste *Capitolino* §. 7. Inter morbos lepra, furor insanabilis, contagium fœtidum a coitu arcens ac insanabile. Alii morbi insanabiles huc non referuntur, in primis nullo vitio contracti, sed instar calamitatis a Deo immissæ habendi sunt; sic & quando vel divortio admisso, vel conjugio naturaliter soluto, sequentes nuptiæ contrahendæ, & quomodo, ne cuiquam injuria fiat, legibus est injungendum. Quare in levioribus causis, ut in odio & inimicitia, cui spes conciliationis superesse videtur, ad summum separatio a thoro & mensa locum habebit.

§. 315.

Cura commerciorum quæ requiratur?

Haud multo minoris momenti & necessitatis quam conjugia sunt in rep. commercia tum externa tum interna, dum ab illis potissimum opulentia civitatis & nervus rerum gerendarum dependet (§. 62. *seq. Jur. Gent.*). Quapropter & commercia peculiarem requirunt curam civilem, ad eorum florem promovendum, impedimenta & detrimenta vero e medio tollenda (§. 300.) & (§. 1029. *P. VIII. Jur. nat.*). *Opus igitur est idoneis ad commerciorum æquitatem, justitiam, incrementa & stabilimenta tuenda & contraria avertenda institutis* (§. 301.).

§. 316.

Quid sint leges mercatoriæ?

Leges mercatoriæ vocantur leges, quæ obligant cives ad justitiam æquitatemque in commerciis, uti privatæ prosperitatis, ita & publicæ salutis causa, sectandam secundum sapienter electos præscriptosque modos præstantiores.

Licet naturales prostent leges de emtionibus & permutationibus, quibus commercium ut plurimum exercetur, de quibus conferendum est *caput. 4. P. IV. Jur. nat.*; suppetunt tamen rationes, cur & hæ leges conditioni civitatis accommodentur, quantum earum in civitate ratio commode haberi potest, saltem ratione justitiæ attendendæ, & cur salutis publicæ causa civili obligatione muniantur. Pariunt & hic officia commercantium jura, unde jus commerciorum vel mercatorum dici consuevit. Locum & hic habent quædam jura peculiaria & singularia, quæ privilegia mercatorum vocantur, & ex tenore concessionis æstimanda sunt. Neque tantum scriptæ leges mercatoriæ habentur, sed & non scriptæ, seu receptæ consuetudines, quæ instar legum valent & observantur. Vti *Gerh. Ma. Lynes* edidit consuetudinem vel legem mercatoriam angl. fol.

§. 317.

Requirit resp. leges

Ad commerciorum justitiam, securitatem, conservationem & incrementa promovenda & his contraria amovenda, comparandæ sunt leges mer-

mercatoriæ, & solicite observandæ. Opus est nempe in civitate idoneis institutis ad commerciorum justitiam, æquitatem & emolumenta procuranda, illis autem adversa amolienda (§. 315.). Sed hujusmodi institutis primario accensendæ sunt leges civiles ad justitiam, æquitatem & reliqua commerciorum emolumenta obtinenda, & fuganda illis contraria comparatæ & obligantes (§. 302.). Quare cum civitas ea, quibus ad salutem publicam indiget, subsidia, ut alibi sic & in officiis virtutibusque erga alios, sibi conjunctis viribus comparare debeat (§. 160. *seq.* & 235. *seqq.*), cum leges mercatoriæ appellentur leges, quibus observanda in commerciis justitia & æquitas una cum modis ad emolumenta publica quam optime aucupanda, tuenda & amplificanda facientibus, præscribitur non tantum, sed & cives obligantur suis & commodis & pœnis ad illas leges non violandas, sed potius implendas (§. 316.): ferendæ sunt leges mercatoriæ, quæ ipso usu rerum præstantiores deprehensæ fuerunt, & statui civitatis ejusque commerciorum sapienter sunt conformatæ. Ne vero frustra ferantur aut latæ sint, curandum quoque est, ut a civibus observentur, nec impune violentur (§. 216.).

mercatorias debite observandas.

§. 318.

Legibus mercatoriis definiendum est, quousque nobilibus, agricolis, opificibus, artificibusque libera sit relinquenda venditio rerum suarum, seu inter cives, seu inter vicinos exteros; & quæ commercia solis mercatoribus sint reservanda? Legibus enim mercatoriis obligandi sunt cives ad justitiam & æquitatem in commerciis cum propriæ utilitatis, tum publicæ salutis causa, ita sectandam, uti jubent modi præstantiores sapienter electi (§. 316.). Sed propriæ utilitatis ratio flagitat, ut quisque dominus res suas, quas habet venales, iis in vicinia vendere possit, a quibus plurimum lucrari potest. Nisi igitur civium & exterorum indigentia

Quid in commercio dominis & mercatoribus tribuendum sit?

collidatur, concedendum est cuique, ut vel inter cives, vel inter vicinos extraneos vendere res suas quam plurimi possit, modo nihil admittat saluti publicæ adversum (§. 21. *P. VIII. Jur. nat.*). In collisione autem officiorum erga cives & exteros, prior civium ratio est habenda, propter mutuam civium erga se invicem majorem obligationem (§. 1085. *ibid.*). Si quid privati lucelli ita periret, quod ab exteris haberi potuisset, id utilitate publica pensatur, quæ singulis pluris esse debet (§. 25. *P. VII. Jur. nat.*), cum omnium saluti in civitate consulendum sit (§. 17. *ibid. & seqq.*). Patet igitur, legibus mercatoriis consulendum ita esse saluti mercatorum, & societatum mercatoriarum, tribuendo ipsis id, quod solis est relinquendum, ut & nobilibus, agricolis, artificibus, opificibusque integra maneat potestas, res suas vendendi, quam plurimi salva salute publica fieri potest.

Sæpius de ea re querelæ in civitate oriuntur, quando vel domini contra mercatores, vel hi contra illos insurgunt, & suis juribus derogari hoc vel illud contendunt. Quare ut querelis, quantum pote, occurratur, legibus suum cuique tribuendum curandumque, ne id impune violetur. Huc quoque pertinet quæstio, quantum juris nobilitati in societatibus mercatoriis concedi possit, aut nequeat? De qua re disputatur in libris *la noblesse commerçante & la noblesse militaire.*

§. 319.

Quatenus reip. causa restringendum sit commercium?

Libera quidem civibus esse debent commercia, quatenus tamen sapienter saluti publicæ sint subjicienda, legibus mercatoriis est injungendum assiduque curandum. Domini enim rerum, & mercatores, qui dominium illud contractu quodam in se derivant, experientia magistra, sua in exercendo commercio quærunt commoda & emolumenta, quanta adipisci possunt. Huic curæ intenti, facile obliviscuntur sui erga civitatem officii, aut & dolose

lose se subducunt officio erga remp. sibique arrogant, quidquid illi subtrahere possunt. Quapropter ut legitima habeatur reip. ratio, nec ea tantum indemnis præstetur, ratione eorum, quæ mercaturæ caussa impendenda sunt, sed & ratione curarum & operarum in commerciorum securitatem & justitiam tuendam: injungendum est sapienter legibus, quid commercii causa a civibus & peregrinis pendendum sit, sive a privatim negotiantibus, sive a publicis mercatorum societatibus, in nundinis, vel extra nundinas in commercio quotidiano. Ne vero negotiantes migrare audeant sapienter statuta in legibus, ea adhibenda est cura & custodia legum, per quam non facile quisquam contra leges impune agere possit (§. 317.).

Aliter commercia curantur ad privatæ, aliter ad publicæ rei emolumentum. In civitate utrumque studium sapienter est conjungendum, ne alterum alteri noceat. Consuli de rebus huc facientibus possunt libri, qui de commerciis nuper editi sunt, v. c. *Hist. & commerce des colonies angloises; les Elemens du Commerce.* Libertas scilicet singulorum in civitate eatenus restringenda est, quatenus ad bonum publicum promovendum id postulat justitia & æquitas (§. 47. *P. VIII. Jur. nat.*). Quem in finem multa sapienter sunt instituenda & diligenter curanda, ne dum privati suis litant compendiis, resp. capiat detrimentum; vel dum reip. ejusve rectori aut rectoribus consulitur, cives attenuentur emunganturque.

§. 320.

Compendio pariter ac securitati pecuniæ, præsertim in longe dissita loca absque jacturæ periculo transferendæ, sapienter attemperandum est jus, quod dicunt, cambiale, hauriendum ex lege naturæ. Continet enim cambium permutationem mercenariam pecuniæ diversi generis (§. 1. *P. V. Jur. nat.*), v. c. aureæ & argenteæ, monetæ majoris & minoris, saxonicæ & gallicæ, notæ melioris & deterioris, seu vilioris. Perinde est, sive hic contractus ita ineatur, &

De promovendo Jure cambiali seu argentario.

& pro pecunia quadam alia pecunia ſolvatur ipſimet danti, vel alii cuipiam; confeſtim, aut poſt elapſum tempus quoddam; in eodem an alio plane loco (§. 11. *ibid.*). Quemadmodum convenit inter permutaturos de mercede, moneta, loco & die ſolutionis: ita pacta ſunt ſervanda, aut indemnitas procuranda eſt illi, cui præſtita non ſunt promiſſa (§. 789. *ſeqq. P. III. Jur. nat.*). Loco pecuniæ autem tantum mittitur ſchedula cambialis parvo non tantum ſumtu, ſed & citra periculum perdendæ in via pecuniæ. Si literæ cambiales admittuntur, ſolvitur pecuniæ debitæ ſumma in moneta ibi uſitata tempore ſtato. Quæ ut fiant ſalva juſtitia & æquitate, legibus cavetur cambialibus, quas complectitur jus cambiale. Quoniam cambium eſt juris naturæ (§ 60 *ibid.*); & jure civili promovenda eſt cuſtodia legis naturalis (§. 395. *P. VIII. Jur. nat*): patet, jus cambiale ſapienter conformandum eſſe juri naturali, muniendumque rigoroſa obligatione civili, ut contrahentes in re tanti momenti ex fide verſentur (§. 319.).

Argentarius accipit pecuniam ſibi ab eo, qui illam alio mittere deberet velletve, numeratam ea lege, ut eam alibi ſecundum conventionis tenorem illi curet ſolvi, qui litera cambiales eſt exhibiturus. Idcirco debet menſarius alibi habere factorem ſuum, cui ſolutionem injungit, vel numularium ibi habitantem, cum quo in commercio argentario verſatur, cujus juſſu ipſe viciſſim aliis ſolvit, quæ illi debet. Merces argentariis ſolvenda, collybus vocatur, qui ſimul periculi & ſumtuum cauſa ſolvitur, quos incurrere poteſt argentarius, redimendis literis eo perferendis, ubi ſolutio eſt facienda, & ubi ſoluturus poteſt eſſe mortuus, vel ſolutioni impar, aut immorigerus. Cæterum poſt *Scacciam* J. C. *Frankius inſtitutiones*, & *Heineccius Elementa Juris cambialis*, & *D. Siegel Corpus Juris cambialis* dederunt; unde & ex ordinationibus cambialibus (Wechſel-Ordnungen) bene multis, uſu recepta peti poſſunt. Veſtigia juris trapezitici in Jure romano oſtendit *Agrerus*.

§. 321.

§. 321.

Vt eo promtior sit exsecutio justitiæ in commerciis, peculiari opus est judicio mercatorio & processu, quam fieri potest brevissimo. Curandum enim in civitate est, ut commercia floreant, eorumque incrementa promoveantur, impedimenta vero caveantur (§. 315.). Non potest autem non negotiantibus optatum accidere, si justitiæ exsecutio, omnibus remotis ambagibus, quantocyus fiat & prorsus expedita sit. Quapropter judicio opus est mercatorio, in quo mercatores peritissimi e magistratus numero, cum aliis Juris Consultis, res in judicium deductas brevi & summaria ratione cognoscant & decidant. Conficitur inde, peculiare instituendum esse judicium mercatorium, & processum in eo perbrevem, ut justitiæ exsecutio in commerciis sit quam promtissima expeditissimaque. *De judicio mercatorio & processu summario.*

Dudum hoc postulavit, docuit & recepit usus commerciorum fere ubivis gentium. Quisquis enim conquerendum de altero habet, is jubetur paucis dicere, quod res est, sistere documenta, testes, libros, unde summa rationum patere, & decisio peti possit ex æquo & bono. Vocatur nostratibus judicium mercatorium, das Handels-Gericht, de quo videatur *Marperger*, *Marquardus*, *Savary* uterque, Leipziger Handels-Ordnung &c.

§. 322.

Inprimis occurrendum eorum est seu imperitiæ seu vafritiei, qui id agunt, ut cum aliorum summo damno aut pernicie nequiter foro cedant. Inepti enim ejusmodi aut & fraudulenti mercatores, locuplete experientia teste, vel se ipsos una reddunt miseros & inopes, decoctis opibus suis; vel cum aliorum damno se locupletare nequiter & malitiose student. Vtroque casu injusti sunt erga alios cives, ipsosque mercatores, sæpe bene multos, & erga ipsam civitatem, cui ignominiam apud exteros contrahunt, in *Quomodo decoctoribus inter mercatores obstandum sit?*

primis eos, quorum mercatores vehementer lædunt, aut suæ involvunt ruinæ. Quare cum injustitia sit arcenda &, quantum fieri potest, eliminanda ex civitate (§. 300. *seq.*): quo major hæc esse solet mercatorum injustitia, quo plura & majora, suis, aliisque ipsique civitati damna infert, eo illa gravioribus est pœnis coërcenda, si erumpat, & eo solicitius cavenda legibus severis.

Disquirendum probe est, unde contingat, mercatorem non esse solvendo. Si enim fortuna adversa læsus sit, aut aliorum nequitia & dolo, vix ac ne vix quidem evitando, circumventus & deceptus est vir integerrimus, meretur commiserationem & misericordiam, qua restituatur in integrum, si fieri possit; sin minus alio modo ipsius fortunæ consulatur. Nequit vero eodem ordine haberi negligentior alius ignavus, ineptus, temerarius & incautus homuncio, vel plane dissolutus, prodigus, subdolus, & in omne fraudum genus intentus acutusque nequam. Quocirca aliter tractandus est nocens bonorum decoctor, atque ratio habenda gradus culpæ & doli, cujus deprehenditur reus, ne quid gravius meritis pati cogatur. Similis fere est ratio eorum, qui ære alieno obruti bonis cedunt.

§. 323.

Juris nautici necessitas.

Commercio marino subveniendum est legibus nauticis, justitiæ & æquitati naturali conformandis. Varia enim occurrunt in commercio marino, quæ in commercio terrestri non continentur, usu ipso harum rerum magistro. Quare cum diversa commercii indoles diversum postulet modum ea tractandi, & leges, quid præstet in illis fieri, injungentes, id scilicet, quod duce ratione tutius esse & præoptandum intelligitur, longoque usu comprobatum est; prohibentesque, quæ sunt fugienda felicioris commercii causa: patescit, felicitati commercii marini consulendum esse legibus nauticis, justitiæ & æquitati naturali conformatis (§. 316.).

Ab

Ab omni ævo, quo commercium marinum in uſu fuit, legum nauticarum neceſſitas & uſus ſe commendavit nautis mercatoribusque. Supereſt non ſolum particula legis rhodiæ de jactu, quam *Corn. van Bynkershœck* poſt alios dilucidavit; verum etiam habentur cæteræ *leges rhodiorum navales*, græc. lat. ab Ant. *Auguſtino* aliisque editæ. Ita proſtat *t' bœk van Zee-Rechten, inhoudende dat oudſte en hoogſte water Recht, gemakt to whisby*. Plura dabit ſcripta J. G. *Heineccii Jus nauticum & maritimum*. Quorſum pertinent cavenda, ne, quod aliquoties factum eſt, ſceleſtum nauticorum hominum genus, necato gubernatore & magiſtro navis, & merces & navem nequiter dominis eripiat, vendatve; nec non, quæ de oppignorata carina, vulgo bodemeria, de fœnore nautico, de periculo navis & mercium avertendo (vulgo aſſecuratione), de portorio, de jactu mercium junctim ferendo, de ducenda navi per ſyrtes, vada & ſimilia loca periculoſa circa freta & portus, de exercitore navis &c. tenenda & principiis *P. V. Jur. nat. c. 5.* ſuperſtruenda ſunt.

§. 324.

Neceſſitas legum de adquirendis alienandisque rebus immobil. & mobilibus.

Quia in commercio latius accepto ſunt res & immobiles & mobiles, quando cum Vlpiano id accipitur pro emendi vendendique jure; ſi vero & in ſtrictius accepto commercio tantum res mobiles & ſe moventes ponuntur (§. 60. *Jur. Gent.*), illæ tamen partim ex immobilibus proveniunt & eruuntur, partim in illis cuſtodiuntur, & ſine his dari nequeunt, teſte experientia: *ſapienter habenda eſt ratio in qualibet civitate rerum & mobilium & immobilium, pactorumque & modorum, quibus hæ alienantur adquiruntur que, ne quid temere injuſteque fiat* (§. 300.). *Quæ ut quam tutiſſime fiant, cives legibus ſunt docendi, & ad earum obſervationem obligandi* (§. 301. *ſeq.*).

Apparet hinc ratio, cur res immobiles ſeu fundi mobilibus præferantur, cæteris paribus utrinque.

§. 325.

Vti legum de occupatione.

Cum primitius res adquirendi modus ſit occupatio, quo res nullius dominio ſubjiciuntur (§. 174. & 178. *P. II. Jur. nat.*); & in civitate opus ſit legibus, rectam res adquirendi viam munientibus (§. 323.): *licitus quoque res occupandi modus legibus eſt muniendus, ut civibus conſtet, quænam res, & quatenus ſint occupandæ, aut non occupandæ?*

Dantur etiam nunc res nullius, ſive antea jam fuerint cujusquam, ſed ab eo ſint derelictæ, vel quaſi jactatæ & abjectæ, vel ita abſconditæ, ut ipſo mortuo nemo poſthac ſciat, an & ubi dentur; ſive necdum fuerint ullius, uti aves, piſces, feræ, inſulæ & interamnenſes campi, alluviones, ſalinæ, mineralia, metalla. Conſtare igitur civibus debet, cujus in civitate ſit jus occupandi theſauros, ejecta ex terra vel mari, ut res naufrages, ἀδέσποτα, eruendi foſſilia, in primis metalla; quomodo illud a privatis, aut ſervis vel adquirendum ſit, vel exercendum; quibus, quando & quousque liceat venatio, piſcatio, aucupium? Privati commodi ſtudium apud multos tantum eſt, ut publicæ ſalutis ratio negligatur. Quare hoc docendi ſunt cives, obligandique legibus civilibus, ad ſalutem publicam conformatis. Vnde pateſcit neceſſitas legum ligna cædendi vel legendi, venandi, piſcandi, aucupandi, fodinas exercendi, paſcendi, plantandi, uſucapiendi &c.

§. 326.

De alienatione immobilium, & variis ejus modis, lege ſanciendis.

Vt alienatio rerum immobilium in civitate quam optime peragatur, *ex pluribus alienandi modis, legibus civilibus ſanciendi ſunt illi, qui cæteris in quolibet genere ſunt præſtantiores tutioresque* (§. 306.). Alienari autem poteſt rei cujusque præſertim immobilis vel totum & plenum dominium, vel aliqua ejus pars, aut quoddam jus ſub eodem comprehenſum (§. 137. & 662. *P. II. Jur. nat.*), utrumque vel pure, vel ſub licita quacunque conditione (§. 675. *ibid.*). Continet dominium plenum proprietatem, uſum & uſumfructum, vel jus proprietatis, utendi & fruendi (§. 136. *ibid.*).

Pro-

Proprietas fundorum autem infert jus alienandi, immutandique (§. 5. *P. VI. Jur. nat.*). Quæ si restringitur, aut restringetur jus alienandi, aut immutandi penitus eorum usum (§. 6. *ibid.*). Si illud restringitur, vel totum est domini directi, vel aliquid illius domino utili conceditur, ea vero lege, si dominus directus consentiat in alienationem (§. 7. *ibid.*). Si hoc, iterum vel utili domino nullum est immutandi jus, vel certa lege restrictum (§. 9. *ibid.*). Quia dominium plenum habens, vel directum transferre in alium potest, vel utile, quod usum notat fructumque, utrumque qua licet conditione (§. 10. *ibid.*), nec vulgo liquet, quid optimum factu sit: *legibus civilibus firmandi stabiliter sunt regendique quam optime ad communem salutem contractus, quibus alienatio dominii totius aut partis ejusdem convenit, ne quisquam lædatur.*

§. 327.

Modi pleni dominium alienandi tres.

Totum quidem transfertur dominium rei immobilis quoque aut permutatione, aut emtione, aut mixte, seu junctim, partim hac, partim illa. Si enim totum plenumque alienatur dominium, alienans nihil ipsius retinet, omnibus illius partibus h. e. juribus in alium translatis (§. 137. *P. II. Jur. nat.*). Quod si ita fiat, ut æqualitas servetur, alter tantumdem alienanti reddet e rebus suis, quantum ab altero adquirit. Quare sive ope pecuniæ pretium dabit conventum, & sic emet rem immobilem (§. 937. *P. IV. Jur. nat.*); sive aliam rem aliasve res suas mobiles, aut immobiles tantumdem habentes valorem, mutuoque consensu illi æquiparatas, & sic fiet permutatio (§. 879. & 922. *P. IV. Jur. nat.*); vel aliquid rerum suarum, & aliquid pecuniæ dabit, ut summa valoris illius pretio æquetur (§. 639. *seq. P. V. Jur. nat.*), atque ita mixtus est contractus (§. 624. *ibid.*) ex emtione & permutatione, seu aliqua pars emitur, alia permutatur.

Generatim quidem contractus, qui gratuitus non est, onerosus vocatur vel compensans, isque fere permutationem requirit. Sed quia permutatio pro pecunia, tanquam mensura pretii facta, peculiari appellatione gaudet; emtio & venditio recte a permutatione separatur, cum & seorsum utraque subsistere possit, & conjunctim. Divisum igitur plenum dominium prædiorum aut permutatur, aut venditur emiturque. Conjunctim quædam pars permutatur, alia emitur. Valet id ipsum in rebus mobilibus æque ac immobilibus quibusque, ob parem utrobique rationem.

§. 328.

Curanda circa alienationem dominii pleni.

Quocunque autem modo plenum rei dominium alienetur, opera danda est in civitate, ut rite promissa serventur (§. 302.), ut fraudes atque damna quam optime arceantur, faciliorque fiat veritatis probatio & certior exsecutio (§. 307.). Quapropter *alienationem pleni dominii simili cura publica promovendam, ideoque accuratius examen veri rerum pretii vel proprio marte, vel ejus peritorum æstimatione, si non jurata, saltem fide digna, adhibendum esse liquet.*

Adquisiturus rem alienam suo marte, ipse debet esse veri ejus pretii, aut diu satis peritus, aut debet eam accuratius inspicere, antequam emat, aut nondum inspectam non adquirere, nisi sub conditionibus, justum ejus pretium proditurìs. Si ipse tanta peritie rerum & experientia caret, adhibendi sunt alii mensores, judices & censores justi pretii e numero amicorum, aut alendi sunt proxenetæ (Mäckler), & magistri rerum jurati vel æstimatores, qui publica autoritate in civitate donantur, aluntur, & obligantur ad fraudes averruncandas. Cæterum, sive suo sive alieno marte verum pretium rei est investigandum, utendum est principiis falli nesciis, e complurium annorum experientia derivandis. Id quod usui est in prædiis rusticis & urbanis, æque ac in re opificiaria mercatoriaque. Quanquam vulgo ad hæc raro attenditur, sed emtores in confusa cognitione pretii usitati & in

imitatione aliorum adquiescunt. Mercatores tamen in multis præsertim minutiis noscendis utuntur æstimatoribus, (Wraker vel Braker), qui rejiciant res pretio convento indignas, vel omnino, vel sic, ut de minori illarum pretio deinde sit conveniendum. Vbi tales circa immobilia non dantur, ibi adhibentur magistri expertæ & fidei & peritiæ rerum, v. c. fabri lignarii & murarii in ædificiis, villici in villis, rustici in agris & pratis, hortulani in hortis æstimandis.

§. 329.

Verum prædiorum pretium æstimandum est ex eorum inventario, rerumque statu præsenti, & ex valore medio usus fructusque proxime elapsorum decem pluriumve annorum. Habetur enim in inventario consignatio bonorum cujuscunque generis, quæ in prædio quodam continentur & ex eodem percipiuntur, quam vulgo dicunt specificationem bonorum (§. 864. *P. VII. Jur. nat.*). Ex eo igitur cognosci potest, quidquid prædio inest & ad illud referatur. Enimvero quoniam pretium rerum variat pro diverso earum statu, ac diversa ad res alias relatione (§. 325. & 326. *P. IV. Jur. nat.*), & præsens earum pretium indagandum est in nostro casu: utique præsens rerum status est explorandus, conferendusque cum cæteris pretii rerum æqui momentis. Jam quidem ex his a priori rerum usu subactus judicare potest, quid earum usus fructusque valere possit & alibi soleat. Verumtamen ob peculiarem rerum singularium latentem sæpe indolem admodum diversam, præstat fidissimam rerum singularium magistram consulere, & ex serie proxime antegressorum annorum sufficienti (cujusmodi est series 10, 15 vel 20 annorum), si haberi potest, addiscere, quid in singulis annis illius seriei actu inde redierit ad dominum. Vt quanti fuerit interim verus valor, usus fructusque illius, addendi sunt veri reditus datæ annorum seriei, capiendusque inde is numerus, qui divisione

Fons 1. æstimandi prædiorum pretii veri.

ſione totius ſummæ per numerum annorum adhibitæ ſeriei prodit. Is enim oſtendet valorem medium uſus fructusque prædii annuum temporis dati; e quo æſtimari poterit, cuinam pecuniæ ſummæ is reſpondeat, ſi cum ſolitis prædiorum ſimilium reditibus & pretiis conferatur (§. 310. *ſeqq. ibid.*).

Quo majoris momenti ſunt res æſtimandæ, eo cautius in earum æſtimatione eſt verſandum, ne fallamur. Inde & hic opus eſt connubio rationis & experientiæ, quantum adhiberi poteſt, cum proprium tum & alienum, quo potiri & tuto frui licet (§. 328.). Prædia quippe & fundi plerumque non habentur, niſi uſuum fructuumque inde percipiendorum cauſa, experientia teſte. Inde dominus & poſſeſſor id agit, ut inde adquirat, quæ ad ſui ſuorumque vitæ neceſſitatem, commoditatem, voluptatem innocuam, dignitatemque ſortis ſuæ tuendam faciunt. Singulis vero rebus ſuum ſtatui ſolet pretium, quod valere cenſentur. Demtis igitur, quæ decedunt, ſeu neceſſario ſeu contingenti naturæ curſu, reditibus, remanet id pretium, quod revera prædium valet. In iis, quæ nudæ vuluptatis aut amœnitatis gratia quæruntur, pretium affectionis variat pro hominum opinione, de quibus in ordinaria rerum æſtimatione ſermo non eſt.

§. 330.

Fons 2. æſtimandi veri pretii.

Aeſtimandum illud porro eſt ex probabili continuatione & diuturnitate illius uſus fructusque prædii adquirendi. Præmiſſo enim examine §. 329, innoteſcit potiſſimum, quid valuerit prædium intra dictum annorum numerum. Sed in adquirendo prædio inprimis conſtare debet, quid valiturum ſit in poſterum, ſi rite tractetur, quod per ſe planum eſt. Diſquirendum igitur eſt comparaturo illud, num eumdem uſum, quem proxime ſuperioribus annis præſtitit, ſaltem præſtare potuiſſet, præſtiturum ſit amplius, & quamdiu; num in perpetuum, an tantum ad certum aut incertum, exiguumque annorum numerum (§. 307. *ſeq. P. IV. Jur. nat.*). Neque enim ignorari poteſt a quoquam, lon-

longe majoris momenti esse usum perpetuum, seu duraturum, dum res durat, quam temperarium; & in temporario diuturniorem præstare breviori. Quo brevior ergo fore prævidetur usus fructusque prædii, eo illud æstimandum erit minoris; & quo longior is, eo statuendum erit majoris pretii. Hoc vero judicium petendum erit tum ex modo, quo præcedentem præbuit usum fructumque, tum ex ipsa indole rei stabili an fluxa in se & exhausta, quæ duo ideo explorare oportet.

Scilicet datur duplex modus utendi fruendique etiam re immobili, quorum alter fit salva rei perfectione, alter rem depravat & corrumpit, ut vel nullus in posterum restet rei usus fructusque, vel non nisi parvus aut perexiguus. Ita ædium usus potest salvis ædibus fieri, potest & sic in abusum verti, aut diminui, ut suæ immineant ruinæ, & parum, vel nihil valere earum usus posthac possit. Pariter & agricultura fieri potest modo in perpetuum durabili, & modo agrum emaciante & fere pessumdante, ut certe pluribus indigeat annis, antequam suam recuperare possit fertilitatem. Vter modus hujus vel illius generis sit, constare debet ex arte œconomica speciali. Vter adhibitus sit, expiscandum est ex iis, qui id certo norunt, nec celandi id, quod norunt, causas habent. Quia in futuris contingentibus, quarum leges divinitus constitutas, penetrare necdum datur, certa esse & indubitata fieri nequit nostra prævisio, adquiescendum est in ejusmodi probabilitatis gradu, quo major haberi non potest. Potest venditor latens prædii vitium, nec diu potest erupturum detexisse, idque studio dissimulare, licet mala fide, ut emtorem ad illud eo pluris emendum invitet. Cui damno vix melius occurri potest, quam penitus examinata rei indole intimiore, ejusque stabilitate & labilitate, ferbilitate & sterilitate, adhibitis illarum rerum peritissimis argis.

§. 331.

Habenda quoque est ratio impendiorum necessariorum, damnorum & periculorum, quibus obnoxium est prædium, in pretio eorum æstimando. *Fons 3. æstimandi pretia prædiorum.*

(*Wolfii Politicæ P. III. Sect. I. C. V.*)

Verum enim prædii pretium æſtimandum eſt ex valore redituum ejus ordinariorum ſeu mediorum (§. 330.). Sed reditus illi vel ſunt res naturales, vel induſtriales, vel artificiales (§. 503. 505. *P. I. & §.* 563. *P. IV. Jur. nat.*). Jam in pretio rerum naturalium ſtatuendo æſtimandæ ſunt operæ ac impenſæ, in eas adquirendas & percipiendas faciendæ (§. 308. *P. IV. Jur. nat.*). In jure proprio, eas res adquirendi ad pretium revocando, æſtimandus eſt illius uſus (§. 309. *ibid.*), qui æquipollet uſui pecuniæ, qua illud æſtimatur (§. 310. *ibid.*), qui tanti eſt, quanti æſtimatur fructus, demtis impenſis operisque in perceptionem factis (§. 312. *ibid.*). In definiendo pretio rerum induſtrialium, æſtimari debent operæ, impenſæ, & uſus pecuniæ pro fundo datæ (§. 313. *ibid.*), quæ deductis operis & impenſis, æquiparantur naturalibus (§. 315. *ibid*). Vnde & fundorum pretium ex pretio fructuum percipiendorum, ſive ex pretio rerum induſtrialium, deductis operis & impenſis, metiendum (§. 316. *ibid.*). Denique in definiendo pretio rerum artificialium æſtimari debent materia, ex qua conficiuntur; opera, qua producuntur; & impenſæ faciendæ, ut produci queant (§. 314. *ibid.*). Jura quoque iſtas res adquirendi, faciendi & alienandi, æſtimantur ex utilitate inde percipienda (§. 281. *ibid.*). Quamobrem cum operæ etiam ſuum valeant pretium, quod illis eſt impendendum, ſi conducendæ ſunt (§. 293. *ibid.*), poſſunt & operæ æquiparari & accenſeri impenſis in eas faciendis. Cum impendia neceſſaria dicantur, ſine quibus reditus percipi nequeunt (§. 506. *ibid.*): patet luculenter, in æſtimando rerum pretio habendam eſſe rationem impendiorum neceſſariorum, a reditibus ordinariis ſubducendorum.

Damna, undecunque naſcantur, & onera ſive publica, ſive privata, ut ſervitutes, ſunt inſtar impendiorum, reditus minuentium, ideoque & illorum ratio ineunda eſt, quatenus expe-

experientia innotuere, ut itidem ſubtrahi a proventibus poſſint. Pericula minantur damna futura, eorumque cauſas continent, quæ quandoque ſe exſerunt, & eo majoris æſtimanda ſunt, quo plus damni afferre poſſunt ac ſolent. Aeſtimantur vero ex magnitudine damni metuendi, & ex probabilitate eventus (§. 382. *P. V. Jur. nat.*). Quare & hæc, ut damna rariora quidem pretio prædiorum derogant nonnihil.

§. 332.

Quid ſtatuendum ſit de cenſiticis & angarialibus.

Si plenum prædii dominium ita alienetur, ut annuus reſervetur cenſus vel labor definitus gregalis, oritur prædium cenſiticum & angariale, & utrobique opus eſt legibus, cenſum & angarias æquas quam prædiis optime promoturis. Cenſus enim vocatur annuus reditus ex prædio alieno percipiendus (§. 108. *P. VI. Jur. nat.*), ſive ſit reſervatus a domino alienante, ſive a domino alteri ſit conſtitutus contractu quodam (*ibid.*), nec obeſt, quo minus cenſualis ſit pleno jure prædii dominus (§. 111. *ibid.*); ſive jam ante cenſum receptum is fuerit, ſive a domino prædium vendente ſub lege cenſus annui, tanquam pretii annui, factus ſit. Quoniam operæ ſeu labor gregalis annuus æquipollet percipiendo cenſui (§. 436. *P. II. Jur. nat.*) & (§. 293. *P. IV. Jur. nat.*): quod de cenſu valet, idem quoque admittendum erit de angariis, (vom Schaarwerck), tanquam operis, prædii cauſa, in commune conferendis, aut alteri præſtandis. Habent igitur & ad cenſum, & ad angarias obſtricti, pleno jure dominium ſuorum prædiorum (Sie haben eigen Land, und eigene Güter), licet cenſiticorum ſervientiumque.

Aſt ne cenſus vel angariæ præſertim indefinitæ & laxiores, modum uſurarum legitimarum veri pretii & tributorum ordinariorum excedant, nec, quando nihil habent iniqui, temere ſubdoleve denegentur, legum & magiſtratus autoritas in ci-

vitate est adhibenda, ut æquitati litetur, & quæ debentur, stato tempore & rite præstentur (§. 978. *P. VIII. Jur. nat.*).

Appellari hujusmodi leges solent a nostratibus Zins-Ordnungen, & Schaarwercks-Ordnungen, quæ differunt pro varietate operarum urbanarum, rusticarum, aggerariarum (Damm-Ordnungen), militarium seu excubiarum (Wach-Ordnungen) &c. In quibus consulendum est æqualitati æquitatique naturali, præsertim ne laxiores nimis extendantur, sed moderate exigantur (daß die ungemessenen (Fron-) Herrendienste ermäßiget werden). Temperamentum hujusmodi angariarum peti solet a moderamine in similibus prædiis usitato, definitoque ut plurimum æquissimis pactis.

§. 333.

Quid separatio dominii directi & utilis requirat?

Vbi sejunctum est dominium utile & directum, ibi opus est, ut testamentis, privilegiis pactisque fiat, quod satis est, litesque inde obortæ promte sopiantur decidanturve. Etenim ubi placuit separari ab invicem utile dominium directumque, ibi id conveniri solet mutuo consensu pactoque, & edi publico instrumento, testamento, diplomate aut privilegio peculiari. Quare cum pacta sint servanda, & in civitate opera navanda, ut qui detrectant illis obtemperare, ad id compellantur (§ 395. *P. VIII. Jur. nat.*): idoneis opus est institutis viribusque conjunctis, ut utrinque pacto satisfiat, & tum dominus directus domino utili, tum utilis directo præstet, quod pacto debetur.

Sicubi vero lites de his moveantur, quæ ad dominium directum & utile ejusve partes referenda sint; & leges requiruntur & judices, qui solida rei discussione instituta dirimant litem, aut sententia legibus pactisque conformi, aut arbitrio & amica compositione, ne perperam protrahantur, litesque e litibus nascantur (§ 984. *seq. P. VIII. Jur. nat.*).

Primus casus hic est, si dominus utilis nihil habeat proprietatis, h. e. dominii directi. A quo differt alter, quo pars proprie-

tatis in dominum utilem eſt translata. Quia dominium utile continet rei uſum fructumque, utilis dominus non eſt niſi uſufructuarius, vel utile dominium in ſe atque nudum non continet niſi jus utendi & fruendi. Ita vel regnum dari poteſt non niſi uſufructuarium (§. 155. *P. VIII. Jur. nat.*), & monarchia atque ariſtocratia mere uſufructuaria (§. 134. & 156. *ibid.*). Dirimi quoque poteſt dominium utile in uſum & fructum, ut alius ſit uſuarius, alius fructuarius prædii cujusdam (§. 1521. *P. V. Jur. nat.*). Quo caſu uſus ea tantum rei emolumenta complectitur, quibus indiget uſuarius ad ſuam ſuorumque neceſſitatem nonnullamque commoditatem, & quæ ſalva ſubſtantia ac proprietate inde haberi poſſunt (§. 1517. *ſeqq. ibid.*). Reliqua emolumenta & fructus ipſius ſunt fructuarii. Sic uſus ædium eſt habitatio, uſuario conceſſa; uſus equi eſt in ipſius equitatione & vectura conceſſa, quatenus officiorum explendorum cauſa eſt neceſſaria, v. c. ut paſtor eccleſiæ concionari filiæ ſuæ matris poſſit dominicis feſtisque diebus; pulli autem & cætera fructuario debentur emolumenta. Refertur hujusmodi uſus, & fructus & junctus uterque uſusfructus ad ſervitutes, unde principiis *Juris Nat. P. V. cap. 6.* ea ſuperſtruenda ſunt, quæ ſalutariter in civitate horum cauſa in variis caſibus ſunt conſtituenda. Solet tamen utile dominium perſæpe complecti partem quamdam ipſius proprietatis (§. 1. *P. VI. Jur. nat.*). Quocirca de his alia reſtant ſubjicienda.

§. 334.

Quia proprietas rei infert jus ſtatuendi de ipſa rei ſubſtantia, quod lubet & officiis debetur (§. 131. *P. II. Jur. nat.*), ideoque in re immobili complectitur jus eam pro lubitu alienandi, uſumque illius prorſus immutandi (§. 5. *P. VI. Jur. nat.*): reſtringi poteſt vel jus alienandi, vel immutandi, vel utrumque (§. 6. *ibid.*); item vel ipſum jus proprietatis, vel ejus duntaxat exercitium (§. 3. & 6. *ibid.*). Reſpiciendum ergo eſt, quid in proprietate alienatum ſit, vel non ſit, & *legibus judiciisque in civitate procurandum, ut ſuum cuique relinquatur tribuaturque.*

Quid circa partes proprietatis civiliter curandum?

§. 335.

Quando locatione & conductione plenum dominium alienetur?

Si locatio & conductio perpetua ea lege, seu expressa, seu tacite per consuetudinem recepta, fiat, ut proprietas pariter atque omnis usufructus sit adquirentis prædii dominium, modo annuum solvat censum, & certo annorum spatio locatio & conductio expresse aut tacite renovetur: illa plenum transfert dominium idque hæreditarium, quando nulla conditio illius reditus ad locatorem est reservata. Etenim si proprietas transfertur in conductorem, tum potest ille prædium immutare & alienare pro lubitu suo (§. 5. *P. VI. Jur. nat.*). Si omnis ususfructus a conductore adquisitus est, omnis & usus & fructus ad ipsum solum pertinet (§. 1420. *P. V. Jur. nat.*). Gaudet igitur conductor hujusmodi pleno dominio prædii sic conducti (§. 137. *P. II. Jur. nat*), omnesque alios a proprietate ac jure utendi fruendique excludit (§. 138. *ibid.*). Annui census solutio non officit pleno dominio (§. 111. *P. VI. Jur. nat.*), neque illi æquiparanda angaria (§. 332.). Licet vero locatio & conductio renovanda sit, quando dominus mutatur, vel & definito annorum numero, quatenus tamen perpetua est, illa renovatio non est, nisi onus multo levius annua præstatione, quod ideo multo minus, quam census dominio pleno refragatur. Idcirco locatione & conductione perpetua in nostro casu plenum adquiritur dominium, idque hæreditarium, quoties nulla conditio reditus prædii ad locatorem est reservata.

Conductio perpetua dudum inter Romanos usitata est, unde imp. Gordianus Pomponio respondit *l. 10. Cod. de loc. cond.* viam veritatis ignoras, in conductionibus non succedere hæredes conductoris existimans: cum sive perpetua est conductio, sive temporalis, intra tempora locationis hæredi quoque onus contractus incumbat. Vlpianus *l. 13. §. fin. ff. loc. cond.* in urbanis prædiis, inquit, alio jure utimur, ut prout quisque habitaverit, ita obligetur, nisi in scriptis certum tempus conductione comprehensum est. In *Justin. instit. h. tit.* §. 3. quæsitum fuisse legitur, utrum

utrum emtio vel locatio ſit, ſi prædia perpetuo fruenda dantur, quamdiu penſio ſeu reditus domino præſtatur. Quando pleniſſimo prædiorum ſuorum dominio gaudentes coaleſcunt in civitatem, & ſalutis publicæ cauſa annuum recipiunt tributum, vectigal, portorium &c. conferendum, quis dubitet, quin annua illa penſio ſuæ ſalutis cauſa fiat, nec quidquam deroget ipſorum dominio, ſed ad illius genuinum uſum referenda ſit? Sed ejusmodi cenſus ex ſimili pacto oritur, & paciſcentium commodis adhibetur; ideoque uſum dominii arbitrarium, non vero illius diminutionem infert. Saltem ad ſumtus referri debet, uſus percipiendi cauſa neceſſarios, qui ipſum dominium plenum ſalvum relinquunt. Renovatio locationis ejusdem eſt commatis, ſi quid ſumtuum requirit; quod exiguum eſſe ſolet, & certiori cenſus ſolutioni inſervit, quando novum inſtrumentum non conceditur, antequam cenſus præterlapſi temporis eſt perſolutus. Appellare hoc genus contractuum ſolent die Mieths-Gerechtigkeit, quod rectius Erb-Miethe, Erb-Pacht vocaretur, vel Heur, unde Heur-Zärte inſtrumentum conductionis, item Heurmann, Heur Gut, Heur-Land vel Mieth-Land ejusmodi ager non vulgaris conductionis. Eſt & *afflictus* huc referendus, tanquam perpetua locatio pro rata fructuum.

§. 336.

Quomodo litibus circa locationem perpetuam occurrendum sit?

Quæ de perpetua locatione & conductione tenenda ſunt, ea vel legibus diſerte ſunt ſtatuenda, vel longa conſuetudine & uſu firmanda, ne litibus fores aperiantur, ſed alterutro modo occludantur. Quæcunque variis modis fieri poſſunt, in illis ſelectu opus eſt, & quis modus præſtantior ſit, & validus eſſe debeat, lege civili eſt præſcribendum (§. 978. *P. VIII. Jur. nat.*). Quare & modus perpetuæ locationis validior primum diſertis verbis eſt explanandus, & lege pactove ſtabiliendus. Si quid deinde vel oblivioni datum & omiſſum, quia ex uſu jam ſatis notum, vel imperitia contrahentium aut ſcribarum ſecus, ac deberet, ſcriptum eſt: id utique ex conſuetudine, pro lege non ſcripta haben-

habenda, intelligendum interpretandumque est, si qua inde lis a verborum captatoribus, aut ignaris rerum novatoribus exsculpatur (§. 335.).

Possemus editas hujusmodi controversias de locatione in quinquennium, Prussis nostris usitata, commemorare, quæ propter illa verba pro vulgari locatione & conductione accepta sunt, ab his, qui ex verbis, in vulgari locatione solitis, de locatione proprie dicta quinquennali contractum interpretabantur, qui tamen ex consuetudine recepta perpetuam continebat. Idem conductionis contractus ab his, qui censum annuum solvere non pigrabantur, non renovabatur, donec novus illius prædii dominus esset dominii securus reddendus novo instrumento, ipsius nomini rursus in quinquennium locatum similiter prædium tribuente. Interdum tamen segnior in censu solvendo, vel sportularum renovandi contractus causa, renovatio post unum alterumve quinquennium erat repetita citra immutationem perpetuæ locationis conductionisque, in hæredes, emtores, creditores, donatarios, legatarios transeuntis haud secus, ac in aliis pleni dominii alienandi modis. Sed sunt ista recentiora & notiora, quam ut fusiori egeant recensu.

§. 337.

Quid curandum sit circa contractus libellarios.

Vbi contractus libellarius est usitatus, ibi & hujus modi diversi pactis, legibus & usu recepto regendi sunt secundum justitiam æquitatemque naturalem. Est enim contractus libellarius affinis perpetuæ locationi conductionique, neque ab eo differt, nisi quod renovatio onerosior ad longiorem annorum (v. c. 25. 30. 40. 90. cæt.) seriem refertur, nec nisi expresso novo libello seu privilegii instrumento, etiamsi prior dominus non sit mutatus, & soluta notabili summa pecuniæ, (quæ notabilem veri pretii partem, v. c. octavam, sextam, tertiamve, æquat, sed exprimi in pacto non consuevit), obtinetur, adhibito itidem censu annuo mediocri (§. 98. *P. VI. Jur. nat.*). Jus libellarium adquisitum nihil

nihil proprietatis domino relinquit in prædio libellario, nisi quid diserte reservetur; ac fieri potest pretio renovationis, vel semper eodem, vel ex voluntate contrahentium statuendo pro temporum diversitate. Inde legibus providendum est, ut pretium, quod pro prædio solvitur, imminuatur ex æquitate pro ratione census annui & annorum numeri, intra quem denuo est pro renovatione juris libellarii solvendum (§ 99. *ibid*), ita quidem, ut summa pretii & canonis vel census annui non excedat sortis usuras legitimas usque ad annum renovationis percipiendas (*ibid. in not.*), vel ne domini libellarii deterioris sint conditionis, ac si prædiis censiticis gauderent, cæteris nimirum paribus (§. 332).

Vocari nostratibus solet hujusmodi contractus die Einmiethe vel der Einkauf; prædia autem libellaria aut emphyteutica, licet non satis accurate. Paullo aliter, ac plerumque fit, dici possent hujusmodi domini Schriftsassen, & eorum prædia schriftsässige Güter, qui eorum jus ex libello scripto judicandum est. Recepto enim usu illi dicuntur Schriftsassen (scripturarii), qui scriptis gaudent privilegiis, quibus eximuntur a jurisdictione dependente, & solius principis jurisdictioni subsunt. Quia in contractu libellario calculo interusurii seu anticipati pretii opus est, qui captum vulgi transcendit, subveniendum est autoritate legum & magistratus simplicitati colonorum libellariorum, ne ab astutioribus mandatariis ultra fas emungantur, in damnum & publicum & privatum.

§. 338.

Neque nulla emphyteusis ratio habenda est in civilibus institutis, ne quid in contractu & usu emphyteutico fiat justitiæ & æquitati adversum. Est enim emphyteusis dominium utile prædii sub conditione præstationis annuæ nonnullius in recognitionem dominii directi, cum proprietate quadamtenus restricta (§. 12. *P. VI. Jur. nat.*). Quia & restrictio proprietatis varia esse potest, & præ-

Quid circa emphyteusin?

præſtatio annua, quæ canon emphyteuticus dici ſolet, & duratio, ſeu perpetua, ſeu temporaria, aut certis perſonis alligata, & renovatio ejusdem cum quovis novo emphyteuta non ſine honorario, quod laudemium vocatur, ſolvendo impetranda: eligenda & concedenda ex his in contractu emphyteutico non ſunt niſi legibus naturalibus (§. 16 - 97. *ibid.*) conſentanea, & quæ fraudibus cavendis, ac faciliori litigiorum diſcuſſioni aptiora eſſe deprehenduntur (§. 300. 306. & 307.); rite promiſſa vero ſerventur & læſiones avertantur (§. 301.).

Erbzins-Recht vocatur emphyteuſis, quæ proprie ſonat inſitionem, aut plantationem, & canon Erbzins, prædium emphyteuticum Erbzins-Gut. Neceſſe non eſt, ut honorarium emphyteuticum detur, cum remitti poſſit mutuo conſenſu, ſalva emphyteuſi. Quando ſolvendum eſt, ex primo pacto pendet, quale & quantum eſſe debeat, idque ſive ſemper, ſive hac vice. Interdum placuit pars pretii quinquageſima, *l. ult. Cod. de Jur. emphyt.* ſæpius decima, vigeſima, &c. Etiam de ſubemphyteuſi conveniendum, & de quacunque oppignoratione aut alienatione, num dividendum ſit laudemium certa ratione inter dominum & emphyteutam, an alterutri ſoli reliquendum? Cenſualis quoque ſolvit cenſum annuum hæreditarium, ſed melioris eſt conditionis, quia pleno gaudet dominio directo, quod in emphyteuſi variis modis reſtringitur & dividitur inter emphyteutam & dominum directum; nec ad renovationem oneroſam contractus & laudemium obligatur. Magis tamen oneroſum eſſe plerumque contractum libellarium, pateſcit. Quatenus tamen huic affinis eſt emphyteuſis, ſimilia de eadem ſtatuenda ſunt ac (§. 337.). Poteſt vero laudemium quoque eſſe exiguum & canon paulo major ſolito. Quæ uti pacto rite ſunt conventa, ita illo eſt ſtandum, injuria quavis remota.

§. 339.

Quid de dominio ſuperficiei. *Nec diviſum jus ſeu dominium ſoli & ſuperficiei aliter, quam juſta & æqua ratione, in civitate eſt admittendum tuendumque.* Poteſt nem-

nempe dividi dominium ſoli & dominium ſuperficiei, ut alius ſit dominus ſoli, alius ſuperficiei, isque vel plenus, vel utilis, ſeu reſtrictus (§ 120. *ſeqq. P. VI. Jur. nat*). Quo facto ſuum cuique ſecundum conventa erit relinquendum tribuendumque, & ſi domino ſoli penſio annua pro uſu emolumentisque ſuperficiei alienatæ tribuenda eſt, illud ſolarium (Grund-Zins) a ſuperficiario ipſi ſecundum pacti tenorem erit ſolvendum; & ſi certus tantum ſuperficiei uſus eſt conceſſus, alium ſubſtituere, invito ſoli domino, non licebit (§. 150. *ibid.*). Quare cum civitatis ſit, contractus civium dirigere & inſtruere ad ſalutem publicam (§. 21. & 31. *P. VIII. Jur. nat.*), & in iis, quæ pluribus modis fieri poſſunt, præcipere, ut eo, qui præferri in civitate meruit, modo fiant, ſi actus valere debet (§ 978. *ibid.*): eluceſcit, opus eſſe, ut diviſio dominii, fundi & ſuperficiei ejus itidem non admittatur, niſi juſta & æqua ratione ineatur, & obſervetur ex legum civilium naturalibus conformatarum præſcripto, idque autoritate publica promoveatur. *ficiei ſolius curandum ſit?*

Conſideramus hic potiſſimum illud jus ſuperficiei, quod continet illius dominium utile cum jure alienandi & immutandi abſoluto aut reſtricto ad impetrandum domini fundi conſenſum (§. 130. *P. VI. Jur. nat.*). Solarium enim eſt inſtar cenſus, quem ſuperficiarius (der Flächner h. e. Flächeherr) domino ſoli (dem Grundherrn) ſolvit quotannis, aut prout convenit. Solarii nondum ſoluti cauſa dominus ſoli ſtipulari ſibi poteſt hypothecam in ſuperficie. Mutatur ſuperficies, dum ſuperficiarius ſuo ſumtu in illa ædes exſtruit, vel deſtruit. vel collabaſcunt, aut comburuntur, dum ſilvam convertit in agrum, & v. v. dum loco agri hortum, aut vineam, aut piſcinam, cæt. comparat. Vti perpetuum eſſe ſolet jus ſuperficiarium; ita poteſt quoque in pœnam neglecti officii a ſuperficiario debiti committi hoc jus, ut ſuperficies ad dominum ſoli revertatur. Quia ad ſuperficiarium non pertinet, niſi ſuperficiei dominium in ſolo alieno, dominus

minus soli ex suo dominio præter solarium percipere potest fossilia, quæ in solo latent, cujuscunque sint generis nominisque, item specus aliaque subterranea.

§. 340.

Legum feudalium necessitas in civitate.

Feudorum diversitas & multitudo peculiares poscit leges feudales, quibus jura & officia feudalia, cæteræque res & caussæ de his obortæ ex communi salute definiantur, prout jubet legum naturalium cynosura. Est enim feudum dominium utile, a directo sub fidelitatis mutuæ conditione quadamtenus separatum (§. 155. *P. VI. Jur. nat.*). Vnde vasalli est plenum jus utendi & fruendi re feudali, cum parte proprietatis jure fiduciario in ipsum translata; altera vero pars proprietatis est domini directi. Vtriusque autem est fidelitas alteri præstanda secundum pactum. Hæc omni insunt feudo (§ 161. *ibid.*); differentia feudorum nascitur partim ex naturalibus, partim ex accidentalibus feudi (§. 162. *seq. ibid.*). Quanta vero eorum sit multitudo, expositum est *Capite 2. Partis VI. Jur. nat.* Quare cum in his multa sint, quæ non vulgarem requirunt Juris scientiam, atque a legibus communibus civium recedunt, opus est, ut, quæ feudis peculiaria & in his publicæ saluti consona sunt, legibus feudalibus ad cynosuram legum naturalium de beneficiis fiduciariis & clientelis revocentur, usque promulgentur, quorum actiones ad illas sunt componendæ.

Feuda alia sunt data, alia oblata; alia pura, alia mixta; alia semper, alia sub conditione revocabilia; alia franca h. e. libera, alia ligia vel non ligia, alia censualia; alia masculina, feminina & mixta; alia pignoratitia. Dantur quoque feuda soldatæ de mensa, de cavena, habitationis, cambucæ, cameræ caminatæ, sceptri, solare, clypeare, restrictum, advocatiæ, quaternatum, gentilitium, personale, seculare, ecclesiasticum. Sic de feudorum petitione, collatione, investitura, apertura, communione, alienatione, laudemio, devolutione, exspectativa, privatione, & successio-

cessione in illis & allodiis, de juribus & officiis, item delictis feudalibus, quæ feloniæ veniunt appellatione, multa sunt rite sancienda & curate observanda. Dari feuda vasallis solent pro servitiis militaribus; pro quibus & pecunia (adoha) solvitur.

§. 341.

Ob causarum feudalium magnum numerum, nec vulgarem rerum feudalium indolem, *& judicibus opus est peritis & tribunali rerum feudalium*, ubi istæ debito processu rite discutiantur, ac decidantur controversiæ, insontes absolvantur, sontes autem puniantur, & sententiis, quæ in rem judicatam abierunt, adhibita, si sponte non pareatur, exsecutione, & sportularum clientelarium taxa, autoritas conciliatur. ***Item judiciorum & curiarum feudalium.***

§. 342.

Affinis feudo est clientela laxior, quæ affidatio dici consuevit, & perpetuam parit potentioris tutelam prædiorum infirmioris pro stipulata compensatione. Nimirum si quis impar sit defensioni suarum ditionum adversus hostes suos, potest ille pacisci cum potentiori, ut is ipsi præstet defensionem pro æqua compensatione ejusdem (§. 471. *P. I. Polit.*) Sive ergo debilior quædam auxilia militaria ex pacto præstet potentiori, sive annuam solvat pensionem; sive nonnihil suorum bonorum ipsi cedat aut assignet pro obtinenda, quoties opus est, defensione cæterorum bonorum terrarumque; ob præstita præstanda is erit protegendus defendendusque pro pacti argumento (§. 789. *P. III. Jur. nat.*). ***De clientela laxiori seu auda.***

Feudum continet clientelam arctiorem, per quam vasallus subest domini directi imperio, eidemque secundum leges feudales subjectus est, ac partem duntaxat proprietatis in feudo habet. Sed qui cliens tantum est, Germanis dicitur ein Schutzverwandter, & plena gaudere potest proprietate suarum regionum ditionumque, modo præstet ex pacto præstanda. Si census

ſus præſtatur, clientis conditio eo tantum differt a cenſuali, quod hic eſt ſubditus, is nequaquam. Proprietate uterque gaudet.

§. 343.

Quid ſtatuendum ſit de hac clientela?

Hujusmodi clientelæ, jura & officia pacto prudenter ſunt ſancienda, & privilegio protectionis divulgato munienda, reſervata in caſu diſſidii arbitrorum cognitione. Multum enim refert, cujus clientelæ & fidei ſe infirmior & ſua tuenda tradat, ne ſero ſe deluſum ſentiat ſub jugum miſſus, a cujus metu cupiebat liberari (§. 342.). Vnde non ſola potentia Protectoris, ſed & fidei religio conſtantiaque, & hæc potiſſimum eſt ſpectanda (§. 472. *P. I. Polit.*), amicitiæque cultura ſolicita firmanda (§. 477. *ibid.*). Vt eo teſtatior ſit pactorum fides, & conciliatores adhibendi ſunt prudenter, & quæ jura, quæque officia eſſe debeant clientelæ, æquitati naturali attemperatæ, diſerte conveniendum, publicoque privilegio inſerendum. Ne facile convellatur, quod ab aliis ignoratur, præſtat in privilegio conventa publici juris fieri & divulgari, quam ſecreto repoſita haberi, ſaltem eorum cauſa, qui famam magis verentur, quam conſcientiam. Denique diſſidii oborti compoſitio quantocyus eſt amice, ſi fieri poteſt citra arbitros, ſaltem arbitrorum ope impetranda & abſolvenda (§. 498. *P. I. Polit.*), idque ut indubium ſit remedium, pactis eſt reſervandum, ſtabiliendumque.

Jura clientelæ vel protectionis dicuntur die Schutz- und Schirm-Rechte, uti officia clientum Schutz-Pflichten, & honoraria defenſionis Schutz-Gelder. Quoniam multis modis variare poſſunt jura & officia clientelæ, neque eadem omnibus & ubique proſunt vel deſunt: haud vulgari opus eſt providentia & ſapientia, in pactis illis, quantum fieri poteſt, quam cautiſſime tutiſſimeque ineundis, ſervandis & ad caſus potiores aptandis. Neque præter neceſſitatem clientela eſt ſubeunda, ſi fœderibus cum vicinis ſecuritas dominii imperiique haberi poteſt (§. 146. 159. *P. I. Polit.*) & (§. 82. *ſeq. Jur. Gent.*). Quid differat clientela a tri:

a tributaria conditione regionum & regnorum, quandoque, liquet ex dictis & §. 151. *ibidem*, comparatis cum §. 410. *seq. Jur. Gent.* Jura igitur æque ac officia clientelæ cuidam propria aliunde, quam ex pactis initis, æstimari nequeunt; quæ justitiæ & æquitati naturali pariter ac cæteræ actiones humanæ quælibet sunt conformandæ, nec nisi secundum illam interpretandæ (§. 470-515. *P. VI. Jur. nat.*).

§. 344.

In rebus ad alimenta quotidiana cæteraque vitæ præsidia pertinentibus examen mensurarum & ponderum publica autoritate est procurandum; & secundum rerum seu copiam seu inopiam legesque naturales æquum pretium definiendum, quo & venditoribus & emtoribus bene consulatur. *Quid in emendis vitæ præsidiis civiliter curandum sit?*

Neque enim tantum qualitatis sed & quantitatis ratio in permutatione & emtione dominii rerum pleni est habenda, quia pretium ejusdem rerum speciei respondet ipsarum quantitati, numero, mensuræ & ponderi (§ 274. *P. IV. Jur. nat.*). Posita igitur eadem speciei qualitate, pretium conventum respondere debet earum numero, durationi, mensuræ ponderive. Numerus & temporis duratio cognitu tam est facilis, ut in eis vel rudissimus sua attentione sibi sufficere possit. Sed facilius fraus admittitur in mensura & pondere, teste experientia. Quare ne venditores circumvenire emtores, minus, quam debent, dando, possint, curandum est in civitate, ut justæ adhibeantur mensuræ & justa pondera, atque subinde examinentur, ne diminuantur, pœna conveniente in prævaricatores statuta & extorquenda.

Cæterum quia copia rerum pretium earum efficit vilius, inopia carius (§. 304. *seq. P. IV. Jur. nat.*), & vulgi perspicientia ea non est, ut his dijudicandis secundum naturæ leges sat par esset: eorum, qui civitati præsunt, ejusque saluti publicæ consulere obligantur, est pro conditione copiæ & inopiæ an-

nonæ

nonæ explorata, ex æquitate naturali (§. 322. *ibid.*) dudum usitata & præsenti rerum faciei accommodata pretium statuere, quo & venditorum & emtorum inopum maxima ex parte rationibus recte prospiciatur (§. 312. *ibid.*). Quod pretium si promulgetur civibus, quoties mutatum est, adhibita mensurarum & ponderum diligenti indagine, & punitione eorum, qui publicam taxationem violare ausint, cavebitur, quantum pote, ne facile decipi quisquam possit, debita utens attentione.

Ferendum salutis publicæ causa non est, ut venditores sui compendii ergo rerum necessariarum pretia flagellent, dardanariorumque more claudant horrea & granaria, emtores emuncturi, & caritatem temere inducturi. Neque prædæ danda est vulgi imperitia & ruditas calliditati & avaritiæ eorum, qui circumveniendi rudiores opportunitate frequenter abutuntur. Quare cum omnes caro vendere & vili emere velint, & defraudare alter alterum nitatur, secundum tritum illud, **wer den andern vermag, steckt ihn in den Sack**: occurrendum est injustitiæ & iniquitati publica autoritate, iis sapienter constitutis & observatis, quæ justitiæ æquitatique patrocinantur. Huc pertinent leges de contrahenda emtione & venditione, de periculo rei emtæ, de arrhæ datione, de instrumento emtionis, de additis conditionibus, v. c. retrovendendi & redimendi, de moneræ valore, de fide pretii habita, de addictione in diem pura aut conditioni adstricta, de jure protimiseos, de præstanda evictione &c. naturali justitiæ & æquitati (*P. IV. Jur. nat. cap. 4.*) ita conformandæ, ut fraudes nefariorum & violatio contractus quam optime evitentur, adhibitis publica autoritate & executione.

§. 345.

Leges de mutuo ferendæ. Quoniam in mutuo, velut permutatione quadam, rei fungibilis dominium, usus percipiendi causa, in alterum transfertur (§. 508. *P. IV. Jur. nat.*), sed ea lege, ut res ejusdem generis, qualitatis, mensuræ aut valoris restituatur (§. 512. *ibid.*): *de mutuo quoque rite contrahendo & restituendo damnoque ejus fortuito*

feren-

ferendæ sunt leges, juri naturali P. IV. Jur. nat. cap. 3. conformes, ut debita præcautione utentes liquido probare conventa & promissa possint, &, oborta lite, promta decisione parataque adversus violaturos contractum gaudeant exsecutione.

Admodum interest reip. ut opulentis gaudeat civibus, a quibus & ipsa opulenta & potens salutatur, & quorum divitiis tum cives in pace juvari possint, tum milites in bello conduci queant &c. Hinc qui ea erga alterum utitur benevolentia, ut illum gratuito rei suæ usu juvet, quæ ipso usu consumitur, modo stato tempore tantumdem ipsi reddat; is utique meretur amari conservarique in civitate, quæ opulentiæ civium suorum florem suum in acceptis refert. Eapropter conjunctis viribus cavendum est, ne qua fraude decipiatur a mutuum petentibus, qui studiose sortim suam celare consueverunt, quando sentiunt jam, se non esse solvendo, aut si sint, tamen animo solvendi destituuntur, & technas circumspiciunt, quibus solutionem eludant. Quod ne facile fieri possit & absolvi, strophis illorum & insidiis ita junctis viribus est occurrendum, ut si cui struantur vel intententur, in cassum abeant. Sociatæ multorum operæ ad ea quoque detegenda valent, quæ unius vel argi perspicaciam fefellissent. Non dissentit a nobis, qui in mutuo tantum usum gratuitum transferri statuit: is enim quia sine rei vel consumtione ac interitu, vel alienatione haberi nequit, utique temporariam dominii translationem includit (§. 5. *P. VI. Jur. nat.*).

§. 346.

Quænam mutui securitas procuranda requirat?

Præsertim securitatis mutuorum causa providenda sunt ea, unde credituri explorare possint debitorum facultatem mutuum reddendi. Præstanda enim civibus tanta ab injuria aliorum immunitas, quanta junctis viribus haberi potest (§. 13. *P. VIII. Jur. nat.*). Quare cum fraudulenter mutuum petentes id sæpe agant, ut facile promittant redditionem eorum, quæ probe sciunt se reddere non posse: ne ista fraude decipiantur boni cives mutuum daturi,

opera danda eſt, ut credituris conſtare poſſit, ſintne ſolvendo nunc & manſuri tales, usque dum reddendum ſit mutuum debituri. Comparandi igitur ſunt & conſervandi libri fundorum, in quibus contineantur bona civium immobilia, & quid in illis aliis debeatur. Obligandi ſunt mercatores ad libros mercatorios recte inſtruendos. Agendus eſt cenſus, quo cives ſecundum opes ſuas in certas claſſes redigantur, cui præſint fide digni cenſores. Reliqua ex vicinis, ſociis, quibuscum alter verſatur, ex ejus moribus, impendiis annuis, ſeu illis, qui eos penitius norunt, diſcenda ſunt, nec impune ferendum, ut falſis & mendaciis in eo ſcrutinio quisquam decipiatur.

Dudum *Ariſtoteles L. V. Polit. c. 8.* utile eſt, inquit, conſiderare univerſum totius civitatis cenſum (τίμημα), ac præſens tempus ad præteritum conferre. Nam in quibusdam civitatibus cenſus agitur (τιμῶνται) annuatim; in majoribus vero per triennium aut quinquennium. Si multo major vel minor factus eſt, quam prior ille, ſecundum quem ſtatuta erat reip. gubernandæ habilitas, lege providendum, ut cenſus vel augeatur, vel relaxetur ſeu minuatur, ne potentia nimia exſurgat. Sic Romæ Servius Tullius cenſum inſtituit, teſte *Livio L. I. c. 42.* rem ſaluberrimam tanto futuro imperio, ex quo belli pacisque munia non viritim, ut ante, ſed pro habitu pecuniarum fierent. Tum claſſes centuriasque, & hunc ordinem ex cenſu deſcripſit, vel paci decorum, vel bello. Ex iis, qui centum millium æris aut majorem cenſum haberent, 80 confecit centurias, quadragenas ſeniorum ac juniorum. Prima claſſis omnes appellati ſeniores ad urbis cuſtodiam ut præſto eſſent; juvenes, ut foris bella gererent . . . additæ huic claſſi duæ fabrum centuriæ, quæ ſine armis ſtipendia facerent, datum munus, ut machinas in bello ferrent. Secunda claſſis intra centum usque ad 75 millium cenſum inſtituta, & ex his ſenioribus junioribusque 20 conſcriptæ centuriæ . . . . Tertiæ claſſis in 50 millium cenſum eſſe voluit. Totidem centuriæ eodem diſcrimine ætatum factæ. In quarta claſſe

classe census 25 millium, & totidem centuriæ . . . Quinta classis aucta, centuriæ 30 factæ . . . undecim millibus hæc classis censebatur. Hoc minor census reliquam multitudinem habuit„. Præter hunc usum privatum, latius se diffundentem, ad matrimonia &c. census quoque illum usum publicum habet, ut simul numerus civium, consanguineorum, affinium cæt. inde cognoscatur, quod in variis aliis rebus nosse expedit. Hic census Romæ sub Consulibus singulis lustris h. e. quinquenniis agebatur, quo per annum quintum absoluto lustrum condi dicebatur. Cæterum si quis novit alterius œconomiam, & eandem ex sua æstimare didicit; si novit, ipsum vel carere vel laborare ære alieno; inde quoque, num illi mutuum credendum sit, quod reddendum est, nec ne, statuere valebit. De cæteris mutui securitatis subsidiis posthac dicetur.

§. 347.

Cui ob mutuum potissimum favendum?

Si qua in re circa mutuum recedendum est in lege civili a rigore legis naturalis, favendum potius est mutuum danti, quam accipienti, reservata huic appellatione superioris judicis ex gravi causa. Si enim rationes legis naturalis sint subtiles & probatu difficiles, iisdem lege civili substituuntur aliæ captu & probatu faciliores, quæ illis ut plurimum æquipollent (§. 986. *P. VIII. Jur. nat.*). Quare & in legibus de mutuo ad captum vulgi concinnandis, adhibendæ sunt rationes probabiles acta evincendi, & officia injungendi, captu difficiliora. Interest autem reip. ut habeat cives opulentos, qui mutuum dare & possint & libenter velint, ut indigentes gratuito rerum fungibilium usu, habeant, unde eo potiantur, nec periculis & molestiis subeundis a dando mutuo absterreantur (§. 395. *ibid.*). Sicubi igitur a lege naturali recedendum est in lege civili, id potius fieri debet in favorem mutuum dantis, qui nihil inde lucratur, quam accipientis; ne hic illius damno locupletetur & illius incommodo suis commodis litet (§. 585. *P. II. Jur. nat.*).

Enimvero quia leges civiles naturalibus non debent repugnare (§. 973. *ibid.*): si quo casu stricte inhærendo legi civili injuria fieret illi, qui mutuum accepit, concedendum ipsi est, ut superioris judicis patrocinium modeste expositis rationibus quærat. Cum appellatio sit imploratio æquioris sententiæ superioris judicis (§. 548. *ibid.*): dubium esse nequit, quin iniquam sentiens inferioris judicis sententiam, graves, quibus nititur, rationes judicis superioris cognitioni submittere debeat, interposita ejus appellatione modesta.

Dari & in mutuo casus quosdam difficiliores, paucis erit explanandum. Si quis triticum dedit alteri mutuum, quando ejus pretium est solito majus, quod dum illi redditur, multo est minus; videbitur is lædi, qui illud tum mutuo dedit. Vice versa videbitur reddens lædi, qui carius factum triticum reddit, quod minus dimidio valebat, quando illud accepit. Sed quia in mutuo non agitur de pretio, sed de re mutua, quam retinendi jus habebat, qui dedit, & retinuisset, nisi dedisset, utique non nisi illius fuisset pretium interim auctum. Similiter illius fuisset pretii detrimentum, si triticum retinuisset. Posito igitur, dantem mutuo triticum, illud alias retinuisse: manifestum erit, illius merito esse & incrementum & detrimentum, quod pretio tritici interim natum est. Nulla igitur in utroque casu, cæteris paribus, nec danti mutuum, nec reddenti fit injuria. Idem quoque valet in pecunia, cujus valor alio tempore crescit, alio decrescit, si eam dominus retinuisset. Ad vulgi sensum accommodatior est ratio civilis, ideo hæc esse servanda, seu tantumdem ejusdem speciei & indolis esse reddendum, quantum est mutuo datum, quia ita jubet lex mutui. E contrario si daturus mutuum prævidit pretium tritici esse decreturum, ideoque id vendidisset officii causa, nisi petenti mutuum gratificari maluisset; hoc quia suo jure facere potuisset, æquum est, ut petens mutuum, illum indemnem præstet, qui id est daturus. Ne tamen controversia de hac re nascatur, forsan ex opinione animo donandi id esse factum,

factum, quando nihil diserte de ea re convenit: recte injungit lex, ut disertis verbis hoc casu conveniatur, tantum tritici tum esse reddendum, quantum idem, quod nunc, valebit. Vulgus quidem & hoc mutuum appellat, quod revera est addictio tritici pro pecunia h. e. venditio; & redditio est retrovenditio tritici ejusdem valoris. Inde casu dubio attenditur mutuum proprie dictum, eoque uterque adquiescet. At quando duplo majus pretium debitorem pauperem esset læsurum, & incertum est, utrum alter retinuisset, an vendidisset, quod mutuum dedit, appellatione admissa judex superior statuet, quod æquius deprehendet, ne scilicet in re dubia fortuitaque inops graviter aut ultra dimidium lædatur.

§. 348.

Commodatarum rerum haud multo dispar ratio postulat, ut illarum quoque securitati indemnitatique legibus judiciisque secundum leges naturæ prospiciatur. Differunt scilicet res commodatæ a mutuis eo potissimum, quod hæ usu consumuntur, illæ vero salvæ manent & manere debent (§. 418. & 513. P. IV. Jur. nat.). Casu, quo usu perirent, mutuis forent æquiparandæ, iisdemque legibus subjectæ. Cum vero ea sit ipsarum indoles, ut legitimus earum usus ipsas relinquat salvas, qui gratis alteri conceditur (§. 441. *ibid.*): publica autoritate cavendum est, ne usus commodati gratuitus in civitate exsolescat. Quare uti commodans adigi potest, ut promissum rei suæ gratuitum usum alteri, ne ipse ea interim indigeat, secundum initum contractum præstet (§. 476 & 497. *ibid.*): ita quoque commodatarius civili lege obligandus est, ne qua culpa sua rem commodatam reddat deteriorem, multo minus destruat (§. 441. *ibid.*); sed ut potius eamdem accuratius, quam suammet, custodiat, conservet (§. 442. *ibid.*), & finito usu eam reddat, qualem accepit, certe non deteriorem, ac fieri debuit usu concesso (§. 445. *ibid.*). Si quod damnum vero eidem datum est, illud ut resarciat, adi-

Quomodo commodatis prospiciendum?

gendus est (§. 446. *ibid.*). Paucis ut rem absolvam, civili lege & judicio obligandus est adjuvandusque, quisquis commodatum iniit, ut legibus naturæ de commodato (*vid. P. IV. cap. 3. Jur. nat.*), uti par est, satisfiat (§. 395 *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 349.

Quid pupillorum tutelæ causa procurandum? Ne pupillorum educatio, &, si qua habent, bonorum administratio negligatur, publica autoritate tutores vel dandi sunt, vel recte electi aut legitimi confirmandi, & uti ad rationes reddendas cæteraque tutelæ officia legis naturalis obligandi, ita & in partibus suis procurandis adjuvandi pupillorum privilegiis, & tuendi (§. 758. & 759. *P. VIII. Jur. nat.*). Quem in finem & *legibus opus est tutelaribus*, meliora cæteris pro reip. indole præscribentibus (§. 978. *P. VIII. Jur. nat.*), attamen ad legum naturalium *P. VII. Jur. nat. cap. 4.* §. 841. *seqq.* normam accuratis, & *privilegiis pupillaribus*, boni publici causa dandis (§. 872. *P. VIII. Jur. nat.*), & *magistratu tutelari* (§. 760. *ibid.*); & *curandum, ut quoque pupillis egenis bene prospiciatur* (§. 741. *ibid.*). Ex pari causa *similia quoque valent de curatela* furiosorum, mente captorum, imbecilli judicio præditorum, feminarum, prodigorum, surdorum, mutorum, morboque perpetuo affectorum sic, ut impares sint rerum suarum administrationi (§. 842. *P. VII. Jur. nat.*).

Item curatelæ ergo.

Plerumque tutelæ gratis geruntur, æque ac curatelæ, quando tenue est patrimonium. Vbi veró amplum curandum est patrimonium, æquum est, ut tutori curatorique indemnitas præstetur, datoque honorario ei beneficium reddatur, quanquam id exigi nequit, etiamsi bene gesta est tutela aut curatela (§. 909. *P. VII. Jur. nat.*). Quando operæ tutelarum curatelarumque sunt gratuitæ, continent beneficium miseris præstandum, quod si non ab ipsismet, tamen ab aliis in simili statu sperari potest, ideoque redditur ab aliis, paribus ipsi reddendo. Leges tutelares inse-

inseri solent statutis urbium & provinciarum, aut seorsum edi, petunturque haud raro ex aliis locis, ubi floret status rerum pupillarium. Ita Norimberga petiit suas leges tutelares ex 35 capitibus a rep. Veneta sancitis, teste *Dietherro in addit. ad Besoldi Thes. pract. ad voc.* Waisen-Gericht.

§. 350.

Neque minus curandum est, ut mandatis, depositis, sequestroque naturalis adhibeatur justitia & æquitas, publica autoritate suffulta & promota. Etenim cum in mandato, tum in deposito, ac sequestro gratuitæ aliis operæ præstantur (§. 575. 640. & 630. *P. IV. Jur. nat.*), æque ac in tutela (§. 349.). Conceditur ergo usus operarum nostrarum gratis aliis, qui eo indigent, quando nos illo non indigemus. Quapropter uti in commodato (§. 348.), & in tutelis (§. 349.): ita quoque in mandatis, depositisque, quibus sequestrum accensendum, publica autoritate cavendum est, ne quid legibus naturalibus adversum, ideoque ne quid injustum vel iniquum admittatur, sed potius justitia & æquitas naturalis, quantum salutis publicæ causa fieri potest, & in his legum civilium obligatione & executione suffulciatur. Quod multo magis de *precario* valet (§. 1124. *P. V. Jur. nat.*).

Quid de mandatis, depositis, cæt. providendum?

§. 351.

Qui vel ipso usu rerum operarumve suarum, vel ejus pretio officiorum erga se causa indigent, ideoque sibi contractu fœnebri, aut locatione quadam prospicere cupiant, iis subveniendum est legibus, modos id consequendi tutiores præscribentibus obligantibusque, ad eorum observationem. Quisquis usum ejus, quod suum est, alteri gratis concedere nequit propter officia erga se ipsum, is aut ipse eodem indiget, aut illius compensatione æqua, si illum aliis concedere mavult. Priori casu illicitum est, eum alteri concedere; posteriori illicitum est, eum alteri gratis concedere seu donare (§. 1414. *P. IV. Jur. nat.*). Quia illicitum est hoc casu, usum alte-

Quid de fœnore & locatione rerum operarumque statuendum.

alteri donare, quem aliis præſtare valet, dum ipſe eo non indiget, ſed tantum illius æqua compenſatione; illis eum præſtare debet, qui illum ex æquitate compenſare & poſſunt & volunt. Conſtare ergo debet, quænam compenſatio ſit æqua, hanc omnibus momentis rite excuſſis leges definire civiles, tutioresque modos eam conſequendi præſcribere & obligare cives ſuos ad eorum obſervationem debent, tum quando pecuniæ cauſa contractu fœnebri utuntur, ſive pecuniam fœnori locant, tum quando aliarum rerum vel operarum uſum elocant conducturis.

Recepto ubique more locatio concedit alteri uſum fructumve rei ſuæ aut operæ ea lege, ut pro illo uſu ſolvatur pecunia, aut res alia, qua indiget locator, & quæ pretium uſus æquet. Hujusmodi eſſe poſſunt quævis vitæ præſidia, uti in contractu vitalitio, in functione munerum publica aut privata, & in operis ſervilibus locatis & conductis. Poſſunt quoque eſſe partes fructuum frugumque, uti convenit.

§. 352.

Quis modus uſuris ſit præſtituendus?

Ne uſuraria pravitas exerceatur, fœnori modus ſecundum æquitatem naturalem legibus eſt præſtituendus, quem excedere nulli ſit impune. Legibus enim definiendum eſt, quis modus ſit optimus obtinendi indemnitatem uſus pecuniæ aliis conceſſi (§. 351.). Sed melior modus dari nequit eo, qui æquitati naturali convenit, utpote qui non tantum juſtus ſimul eſt (§. 582. *P. V. Ethic.*), ſed & ne imperfecto quidem alterius juri adverſatur (§. 240. *P. I. Phil. pract. univ.*), ideoque & perfectæ & imperfectæ obligationi erga alios ſatisfacit (§. 242. *ibid.*). Quapropter uſurariæ pravitatis arcendæ cauſa is lege civili ponendus eſt uſurarum modus, qui reſpondeat æquitati naturali, ſaltim ut plurimum (§. 982. & 986. *P. VIII. Jur. nat.*).

Irrita autem esset lex, modum usurarum definiens, si impune violaretur (§ 587. *P. VIII. Jur. nat.*). Quapropter & legi usurarum modum statuenti tales tantæque addendæ pœnæ, quæ ad cohibendam ejus transgressionem, quantum datur, sufficiant (§. 585. *ibid.*), neque permittendum est cuiquam, ut eam impune violet (§. 647. & 656. *ibid.*).

§. 353.

Modi usurarum definiendi fons primus.

Vt plurimum peti is modus potest ex convenientia usurarum cum rata mercatoriæ societatis. Etenim societas mercatoria est pactum de rebus operisque eum in finem conferendis, ut & lucrum & damnum sit commune (§. 1318. *P. IV. Jur. nat.*). Jam quilibet socius obligatur facere, quod ad finem consequendum facere potest, & quod conventum est, ut ab ipso fiat (§. 7. *P. VII. Jur. nat.*). Prout res atque operæ ab hominibus pro æquo pretio invicem sunt communicandæ (§. 322. *P. IV. Jur. nat.*): ita æquum operarum pretium id est, quo alii eas nostro loco subire solent, quando ipsimet illis vacare impedimur (§. 293. *ibid.*); & æquum usus pecuniæ pretium, quo dominus gaudere potest, si ipse ea recte utatur, demto operarum, & demto, si quod ab altero recipitur, periculi avertendi pretio, vel generatim demtis necessariis impensis (§ 1410. *ibid.*). Quia ut plurimum usuræ dantur vel lucri ex pecunia conducta faciendi, vel damni impendentis avertendi causa, experientia teste: ut plurimum modus usurarum licitus peti potest debetque ex spe lucri annui sortis, societati sine periculo inferendæ, & damni periculique tantisper propulsandi (§. 1411. *ibid.*).

Si cui prædium est emendum pecunia aliena, cujus usus pretio dominus indiget, aut esset vendendum, nisi pecunia usuris conduceretur: ineundus est calculus, quantum lucri demtis impensis inde possit percipi, aut quantum damni averti ope illius pecuniæ conductæ. Quod si ad annuum spatium, & ea, quæ

ordinario fieri ſolent, revocetur, patebit, quantum demtis demendis uſurarum loco alteri dari poſſit ex æquitate, ad illum ratione uſus alteri conceſſi indemnem præſtandum. Idem etiam ſic oſtendi poteſt: ſi concipitur, prædium alii locari pro annuis reditibus. Tum annui reditus erunt integrum locarium. Cognito prædii pretio, inferetur integri prædii reditus annui ſunt hi, de quibus convenit: quantum illorum debetur creditori pecuniæ conductæ, & quantum domino? Quoniam periculi averſi pariter ſuum habet valorem, quo redimi poteſt, minor debet eſſe uſura, quando periculum prædii eſt debitoris, quam quando eſt creditoris. Priori caſu uſuræ non ſolent eſſe, niſi quincunces, aut ſemiſſes pro diverſis prædiorum proventibus, quorum cauſa ſors quæritur credenda. Poſteriori autem caſu ad beſſem, vel usque ad aſſem concedi ſolent, habita rurſus ratione diverſitatis proventuum. V. c. ſi periculum carinæ creditor recipiat, vel periculum mercimoniorum &c.

§. 354.

Alter fons modum uſurarum definiendi.

Deinde conſiderandum eſt, quanti interſit vel creditoris vel debitoris, ut id fiat, quod in contractu fœnebri quæritur & convenitur. Variis enim modis intereſſe poteſt contrahentium, uſum pecuniæ pro uſuris ſibi concedi vel alteri locari, ſeu illico, ſeu dato tempore brevi aut longo, item tantæ ſummæ, quanta alter indiget, aut cujus uſuris alter carere nequit, item ne alteri concedatur pecuniæ uſus, & tum uſuræ licitæ erunt pro eo, quod utriusque intereſt (§. 1412. *P. IV. Jur. nat.*). Quam ob rem lege civili modus uſurarum etiam definiendus eſt ex eo, quod contrahentium intereſt, uſuras tales aut tantas ſtatui.

Interdum honoris intereſt exiſtimationisque ac famæ, interdum lucri adquirendi & continuandi, aut damni avertendi vel præveniendi, aut gratiæ & amicitiæ cujusquam magnatis aut principis aucupandæ vel conſervandæ, a qua pendet ſalus omnis hujus vitæ. Hujusmodi res ſæpe adſtringuntur loco, tempori, occaſioni rerum gerendarum non prætermittendæ.

Inde

Inde præter uſuras conventas naſcuntur & uſuræ moræ, ſolvendæ ideo, quod debitor eſt in mora ſolvendi, eaque ſæpe creditori damnum dat, ſi non irreparabile, ſaltim majus uſuris annuis. Inde quoque qui perbrevi tantum tempore credi ſibi pecuniam cupit, majores ſolitis uſuras ſtipulari poteſt, vel indemnitatem, opportunitatis interim collocandæ illius ſummæ in uſuras. Inde & pœna conventione ſtatui poteſt moræ ſolvendi, & anatociſmus adhiberi, uſuras pro nova ſorte retinens (§. 1426. *ibid.*).

§ 355.

Si quis licito & præſenti uſu pecuniæ ſuæ plus lucrari poteſt, quam ex uſuris vulgaribus, concedendum eſt illi, ut plus ſolito uſurarum accipiat ab eo, qui mavult illum indemnem præſtare, quam uſu pecuniæ ejus carere. Dominus enim quovis licito modo uti pecunia ſua poteſt, uti officia ejus requirunt, neque cuiquam jus eſt, illum in uſu ejus impediendi (§ 650. *P. II. Jur. nat.*). Quare & licitus uſus oblatus illi eſt concedendus, & ſi eo plus lucrari poteſt indubie, quam ex ſolitis uſuris, is alius, qui mavult illius pecunia gaudere, quam carere, indemnem eum præſtare debet majoribus ſolito more uſuris (§. 99. *P. I. Jur. nat.*). Quare ſi melius ſibi conſulere neſcit, hoc illi concedendum, pactoque illo ſtandum erit (§. 789. *P. III. Jur. nat.*).

Tertius fons uſurarum modum ſtatuendi.

Quando duo imminent mala inæqualia, & ſubeundo minus evitari poteſt majus, nullum dubium eſt, quin minus ſit ſubeundum, ut majus avertatur (§. 213. *P. I. Phil. pract. univ.*). Idem contingit in hoc caſu, quando v. c. aut cum majori damno eſſent vendenda, aut cedenda creditoribus prædia, e quibus vitæ præſidia petenda debitori ſunt; aut quando inſigne lucrum aliter haberi nequit, quam ſi ſolitis majores dentur uſuræ: ideoque tum pacto promitti, & promiſſæ præſtari debent, ut indemnis præſtetur pecuniæ dominus, alio pari aut majori emolumento noſtri cauſa cariturus. Vnde exceptiones ab ordinaria uſura dari & concedendas eſſe apparet, ubi uſuraria pravitas abeſt, & non agitur niſi de indemnitate domini, alium parem aut ma-

jorem pecuniæ usum in gratiam alterius negligentis. Neque necesse est, ut is in legibus exprimatur casus, quanquam id quoque fieri potest, modo a superiori judice implorato, oborta de illo lite, secundum illum jus dicatur.

§. 356.

Idem de fungibilibus aliisque rebus valet.

Quia usuræ non sunt nisi usus pecuniæ legitimus, & quidquid pro eo datur (§. 1403. *P. IV. Jur. nat.*): quod de usuris ostendimus, valet quoque de aliarum rerum usu, qui aliis gratis concedi nequit. Hinc & *de usu rerum fungibilium similiter statuendum est*, ac de usu pecuniæ, cui is æquipollet (§. 1418. *seq. ibid.*). *Neque aliter sanciendum de usu earum rerum, quæ usu non consumuntur*, ideoque & ipsæ reddendæ sunt citra culposam depravationem, cum pretio usus æquo.

Si quis venditurus est suum frumentum, alter eo indiget sementis faciendæ aut alterius usus causa, emere vero illam nequit, neque permutare cum re sua, qua venditurus egeret, promittit ergo illius restitutionem cum compensatione damni, quod alter usu pretii destitutus interim incurreret; contrahi passim idque legibus concedi solet, ut pars quinta reddito addatur, quod appellant auf den fünften geben vel austhun zur Saat. Simile quid contigit in Aegypto, cum Josephus sementem daret colonis. *Genes.* XXXXVII, 24.

§. 357.

Quibusnam ex usuris vivere liceat?

Cavendum quoque, ne ex solis usuris multi victitent desides, qui civitati possent inservire cæteris præstantiores. Hominibus enim laborandum est, nec cuiquam prorsus otiandum (§. 514. *seq. P. I. Jur. nat.*), & cuique is eligendus est labor, cui se parem sentit, & qui ipsum decet (§. 528. *seq. ibid.*). Quod cum & opulentos obliget, & in civitate ferendum non sit, ut otio diffluant, quibus vires ad laborandum suppetunt, sed curandum potius, ne illis labor honestus desit (§. 422. *P. VIII. Jur. nat.*): per-

perſpicuum eſt, ferendum quoque non eſſe, ut divites iique præſtantiores cæteris deſidem agant vitam, qui ex uſuris aliisve reditibus laute vivere & otiari poſſunt. Licet illis, qui juſtam habent excuſationem vel ætatis, vel valetudinis, vel impotentiæ cujuscunque, vel aliis modis civitati proſunt, aut quibus alii meliores, habiliores, & meritis præſtantiores dantur, permitti poſſit, ut ſuo indulgeant arbitrio in ſuo vitæ genere; ne tamen aliis pravo noceant exemplo, adhibendi ſunt ad labores fere gratuitos, ſibi tamen honorificos, utpote ad artium utilium & ſcientiarum incrementa amplificanda. Ad ea igitur invitandi ſunt honorum titulorumque prærogativa, ne plures, quam civitatis ſaluti expedit, otio transeant vitam, uſuris reditibusque abutentes. Multo minus ipſis concedendum eſt, ut in iſtum finem diligentiores uſuris vexent atque locario enormi, iniquisque aliis modis.

Præter neceſſitatem utique nemo eſt adigendus ad labores hujusmodi, quos non niſi invitus ſubit, & quibus recte fungi nequit. Item quamdiu alii non deſunt, qui publicis vacare cupiunt laboribus, quibus pares, ne illi quidem labores illis ſunt obtrudendi, quibus pares eſſent, niſi alia ſalutis publicæ habendæ ratio accedat. V. c. ſi ſplendidius gerere ſeſe in functionibus poſſint, idque in decus civitatis vergat. Tum enim civitatis decoro lubenter ſtudere & bene de illo mereri eo magis debent, quo id ſuismet meritis augendis eſt conducibilius. Quo graviores autem habent rationes abſtinendi a publicis negotiis, & privato ſeceſſu otioque litandi, eo lubentius id illis eſt indulgendum, ſi aliis modis conſulere ſaluti publicæ malunt, vel & anterioribus functionibus vacationem meruerunt. Ita T. Pomp. Atticus civitatem romanam ſentiens admodum perturbatam, neque ſibi dari facultatem pro dignitate vivendi, quin alterutram partem offenderet, animis civium diſſociatis, idoneum tempus

ratus ſtudiis obſequendi, Athenas ſe contulit, neque eo ſecius amicos adjuvit, & remp. ut ſemper optimarum partium & eſſet & exiſtimaretur, teſte *Nepolte in ipſius vita.* Quo minus ergo civitas laborat defectu virorum peritorum & dignorum, & quo majori eorum copia laborat: eo facilius permittendum eſt locupletibus, ut ejusmodi labore fungantur, quo in primis delectantur, & in quo ideo plus boni præſtabunt, quam in alio quovis. Alliciendi ergo ſunt alii ad hos, alii ad illos labores illaque ſtudia, quibus pauciores vel propterea vacant, quia non faciunt ad lucrum captandum, aut panem ſibi parandum. Si qui vero locupletes impares ſint rebus publicis gerendis, præſtat eos otioſe ex reditibus vivere, quam cum dedecore civitatis publicis rebus admoveri. Iſto enim caſu utcunque alit alios partim ſervientes, partim vendentes ea, quibus indiget, & tributa confert; hoc autem vel negligit commune bonum, vel impedit eique nocet.

§. 358.

De curandis circa locationem & conductionem.

In locatione & conductione rerum ſeu mobilium ſeu immobilium, operarumve ſervilium aliarumque legum civilium obligatio & exſecutio non ſolum juſtitiæ ſed & æquitati legum naturalium eſt attemperanda, nec ferendum, ut otiandi, mendicandi & male agendi libidine operarum locatio fugiatur. Poſtulant prius eædem rationes civiles, quas antea attulimus in curandis informandisque contractibus itidem onerosis (§. 335. *ſeq.* 351.), præſertim quatenus illæ ad æquam penſionis, locarii & mercedis determinationem, ad obortarum inde controverſiarum promtam deciſionem in caſibus tacitam conditionem & exceptionem complexis, & in emergentibus damnis fortuitis, uti par eſt, ferendis, rite ſunt applicandæ ſecundum §. 1194-1316. *P. IV. Jur. nat.*

Poſterius non tantum illis nititur momentis rationum, quibus §. 357. oſtendimus, non ferendos eſſe divites, turpi otio vacantes, ſed & aliis gravioribus, quia ſcilicet deſides inopes

opes non possunt non vitiis operam dare, ut obtineant, unde nutriantur. Ideoque furtis, quæstui meretricio, latrociniis, rapinis, & ut paucis reliqua complectar, omnis generis sceleribus, aliique aliis nec paucis adsuefiunt, sibique tandem multisque aliis noxam parant perniciemve.

Si ferendum non est, ut opulenti sint desides, suosque & aliorum mores desidia corrumpant; multo minus ferendum est, ut inopes vacunæ se dedant, & operas locare illis denegent, qui conducere eas æqua mercede cupiunt. Hi enim non possunt non in dies magis magisque degenerare, globos nefarios inire, & adversus bonos cives conspirare, quævis genera flagitiorum vitiorumque sectando, plurimisque modis salutis publicæ nocere. Ad minimum pigritia stipem cogendo civibus molesti sunt, dignioribusque pauperibus præripiunt, quæ ipsis debebantur. Quæ sic corradunt, ea helluando pergræcandoque abliguriunt, aut lupanaribus lustrisque impendunt.

§. 359.

Quia societas in commune lucrum damnumque locat pecuniam operasque (§. 1318. *P. IV. Jur. nat.*): *quæ §. 358. de locatione & conductione præcepimus, cadunt quoque in communionem & societatem quamcumque, ad salutem publicam secundum leges naturæ* (§. 1319 - 1409.) *attemperandam, promovendam tuendamque.* *Circa societates mercatorias &c.*

Societati affines sunt locationes & conductiones hortorum, ædium, pratorum, agrorum, armentorum, gregum & pecudum in genere terrestrium, ferarum, & piscium, astacorum, aucupii, fodinarum, salinarum &c. pro certa seu pecunia seu lucri & redituum rata. Dantur enim mancipes & conductores vectigalium, seu publicani, redemtores molendinorum, venationum, piscationum, prædiorum villici, caupones, admodiatores fundorum omnis generis, & coloni conductoresve alii partiarii, partem frugum fructuumque dimidiam, tertiam, quartam, quintam

&c.

&c. habentes, prout diverſitas proventuum & operarum ac ſumtuum permittit paciſci. Huc pertinet contractus *Socidæ*, pecudum nempe reſtituendarum talium, quales datæ ſunt, quæ noſtris dicuntur eiſern Vieh, & contractus ſimiles, uti alveariorum, piſcinarum, retium & plagarum, inſtrumentorum, & utenſilium omnis generis, mancipiorum, & glebæ adſcriptorum, ædificiorum generis cujuscunque, &c. conſervandorum & reparandorum. Vid. *P. IV. Jur. nat. c.* 4.

§. 360.

Circa debitorum ſecuritatem & mutationem.

Pignoribus, hypothecis, fidejuſſionibus, ex promiſſione conſtituto, delegatione, ceſſione, transactione, novatione uti cives tuto & caute utantur, leges civiles præſcribent, ea, quæ Jus naturæ de his dictat, quam optime fieri poteſt, applicando. Non indigent hæc nova probatione, ſed ſatis luculenter patent repetitione eorum argumentorum, quibus in hoc capite aliquoties utendum fuit. Vid. *P. V. Jur. nat. Cap. I. & IV.*

Cum dominus gaudeat jure vindicandi ſibi res ſuas, uti in alienatione, ita & in pignore cavendum, ne res aliena niſi conſentiente domino oppignoretur, aut pignoris loco recipiatur; item ne venditio pignoris, vel datio in ſolutum fraudi ſit ejus domino. Itaque publica autoritate cognita cauſa ſubhaſtatio pignoris inſtituenda. Idem quoque valet de hypothecis, quæ ideo judicialiter conſtituendæ, ne dolus facile committi & creditor falli poſſit, præſertim ſi ſub nomine hypothecæ lateat vera venditio, omne periculum ejus in creditorem devolvens, & retrovenditionem tacitam debitori conſervans. Sic & fidejuſſio nuda deterior eſt ea, quæ bonorum obligationem adjunctam habet, & ad hæredes tranſit cum iisdem. Novatio autem, delegatio & ceſſio ne imperitis fallendis fraudulenter adhibeatur, leges & cautelæ civibus ſunt patefaciendæ. Vſus quidem id docet eos, qui ſuo periculo aut damno ſentiunt tandem, quam falſi fuerint in ſua opinione. Præſtat tamen & in hujusmodi conſuetudinibus, &

alibi

alibi non usitatis moribus, apertis legibus occurrere fraudibus pravorum, & bonis civibus oculos aperire, quam istis occultatis calliditati & astutiæ locum peccandi dare & impunitatem. Quod hic de præcipuis contractibus accessoriis monetur, de aliis quoque notandum.

§. 361.

Neque secus existimandum est, de contractu æstimatorio, institorio, exercitorio; de contractibus, quos dicunt, innominatis, & de quasi contractibus, in societate paterna, negotiorum gestione, indebiti solutione & acceptione, quasi locatione & societate, seu communione incidente, cæterisque. Vid. *P. V. Jur. nat. cap. 1.* *Circa contractus reliquos, & quasi contractus.*

§. 362.

Providendum quoque *est, ut contractus, aleam continentes, ludi, sponsiones, vitalitia, ratæ fodinarum, emtiones per aversionem, spei & missilium, & sortilegia non aliter concedantur, quam æquitati naturali & saluti publicæ conducunt. Providendum est juribus in re aliena seu servitutibus* recte adquirendis moderandisque ad commune bonum. *Favendum denique modis obligationem ad contractum legitime tollendi, & cavendi, ne quid illis contrarium admittatur.* Vid. *P. V. Jur. nat. cap. 2. 4. & 6.* *Circa contractus aleam continentes & servitutes.*

Contraho & mitto hic plurima in compendium, ne justo longior evadam, singula persequendo. Qui enim præcedentia tenent præcepta, illi facile & in his viam invenient, qua sit eundum, si, quid in his vel indulgendum, & quomodo ac quamdiu id sit indulgendum, disquiratur; item quando & cur non sit indulgendum; sed prohibendum, & contra prohibitum agentes puniendi sint hoc vel illo modo.

SECTIO II.
DE
CVRA SAPIENTER PERFICIENDI CIVIVM CORPVS ET STATVM EXTERNVM SEV FORTVNAM.

CAPVT I.
DE
Cura civium vitæ ejusque præsidiorum ſapienti.

§. 363.

Perficiendus eſt corporis civium ſtatus internus & externus.

Non animi tantum ſed & corporis civium ſtatusque ejus conjunctis viribus perficiendi ratio habenda eſt in Rep. Cives enim conſtare ex animo & corpore eidem reſpondente, dubio caret. Sed conjunctis viribus enitendum eſt, ut homines in civitate evadant ſintque tales, quales poſtulat ſalutis publicæ comparatio conſervatioque quam optima (§. 303 *P. II. Polit.*). Quare conjunctis quoque viribus opera navanda eſt, ut quemadmodum animum eorum perficiendum eſſe docuimus, ita quoque oſtendamus, quomodo ipſorum corpus ſalutis publicæ cauſa, quam optime curari, conſervari, ejusque ſtatus internus & externus ad eundem finem aptiſſimus fieri & durare poſſit (§. 38. *P. I. Polit.*).

Parentum partes in corpore liberorum ſuorum educando in œconomicis excuſſimus. Hic ea reſtant addenda, quæ a civitate & bene conſtituta rep. exſpectanda ſunt, nec extra illam æque haberi poſſunt. Plus enim fieri poteſt viribus conjunctis & publicis, quam privatis ſejunctisque, & civitas ea propter initur, quæ ſingulorum aut paucorum viribus nequeunt obtineri (§. 1-4. *P. VII. Jur. nat.*).

§. 364.

§. 364.

Quia ſtatus corporis civium internus & externus perficiendus eſt (§. 363.); perficitur autem bona corporis obtinendo, tuendo, augendo (§. 556. *Pſychol. empir.*), & promovendo bonum commune, quod bona fortunæ complectitur, quia infert abundantiam eorum, quæ ad vitæ neceſſitatem, commoditatem jucunditatemque faciunt & ſecuritatem ab injuria aliorum & a vi hoſtium externa (§. 9. *P. VIII. Jur. nat.*): *opera danda eſt in rep. ut bona corporis civium & ſingulorum & omnium promoveantur, conſerventur & a vi interna atque externa, quantum fieri conjunctis viribus poteſt, tuta præſtentur* (§ 42. *P. I. Polit.*). *Ope bonorum corporis promotorum.*

§. 365.

Sunt autem bona corporis, vita, ſanitas, integritas organorum membrorumque omnium, vigor, robur, pulcritudo & agilitas, quæ naturalia vocantur, quatenus naturæ beneficio debentur, quatenus autem, quod ipſis ineſt, culturæ & arti debetur, adquiſita vocantur, uti gradus innumeri, conſpicui in motibus habitibusque legitimis, non niſi exercitio parandis (§. 751. *P. I. Jur. nat.*). Mala cum abſentia boni, & illius contrario abſolvantur: mala corporis ſunt, mors, morbi, vulnera, rupturæ, fracturæ, laxationes & privationes membrorum corporis, eorumque uſus expediti, dolores, languor, debilitas, enervis deformatitas, inertia & torpor (§. 752. *ſeqq. ibid.*). *Bona & mala corporis.*

§. 366.

Si igitur civium bona corporis ſunt provehenda & tuenda (§. 364.): *mala corporis* e contrario *erunt arcenda, & ſi irrepſerint, quantum vires permittunt, tollenda aut minuenda* (§. 365.), & (§. 43. *P. I. Polit.*). *Mala corporis ſunt avertenda.*

§. 367.

Primum inter bona corporis locum meretur id, ſine quo nullum aliud locum habere poteſt, quodque ideo baſis eſt omni- *Primaria cura verſetur*

circa vitam & mortem. um cæterorum, ſcilicet, vita; primum inter mala, ipſius vitæ privatio, mors, omnia ſimul corporis bona reliqua tollens. *Primaria igitur civium vitæ cura eſſe debet, quando corpori ipſorum bene eſt proſpiciendum in civitate.* Pariter & in malorum avertendorum ſtudio, *primæ partes vindicandæ ſunt curæ mortis pro viribus averruncandæ.*

§. 368.

Quid circa vitam civium curandum? Liquida omnibus conſtat experientia, homines homini vitam nec dare, nec ereptam reddere poſſe. *Redit igitur omnis cura circa vitam civium ad ſapientem ejus conſervationem,* quando eam Deus dedit, & quamdiu eamdem largiri pergit, *juvandam, & ad impedienda ea, quæ ipſius conſervationi obſtant.*

§. 369.

Punienda eſt autocheiria. Obſtat apertiſſime conſervationi vitæ ſuo marte in ipſam graſſans αὐτοχειρία. Et intereſt reip. ne crimina & delicta maneant impunita (§. 656. *P. VIII. Jur. nat.*). Quapropter *αὐτοχειρία voluntaria omnis generis non tantum acriter prohibenda, ſed & ſevere punienda eſt.* Se ipſum enim vita privare, non tantum contra naturam eſt, contra jus Dei (§. 195. *ſeq. P. IV. Ethic.*), ſed & contra officia civilia, ſive temere minuat numerum civium, ſive pœnæ evitandæ cauſa committatur, ſive ex quocunque alio vitio profecta malo noceat exemplo Ideoque autochires, niſi fuerint furioſi, amentes, deliri, melancholici, recte privantur honeſta ſepultura, aut pro re nata inhoneſta, aſinina, aut graviori, more aliorum delinquentium & ignominia, puniuntur (§. 712. *P. VIII. Jur. nat.*).

Vti varii dantur gradus gloriæ, celebritatis, dignitatis & famæ laudabilis poſt mortem, qua interdum gaudent, qui vivi illa carebant: ita quoque varii dantur gradus denegandi illa virtutum merita, & irrogandi vitiorum ignominiam & infamiam promeritis, vel ſi hoc mavis, demeritis, h. e. gradibus vitiorum flagitio-

gitiorumque. Apud Aegyptios olim ſepultura prohibebantur alii ob intentata crimina, alii ob æs alienum non ſolutum, teſte *Diod. ſic. Bibl. hiſt. L. I. c. 92.* Licet inter paganos, qui tædio vitæ, vel impatientia doloris mortem ſibi conſciverant ex ſtoicorum erronea diſciplina, impuniti manerent; qui tamen ante ſententiam ſibi intulerant manus violentas, pro confeſſis & condemnatis habebantur, eorumque bona publicabantur *l. 3. ff. de bonis eorum, qui ante ſententiam;* modo delicti eſſent rei, ob quod morte erant plectendi, & criminis conſcientia ſibi manus intuliſſent, nec hæredes eorum innocentiam oſtenderent. Carolina nemeſi ſepultura ignominioſa non irrogatur niſi his, qui ex frivolis cauſis mortem ſibi conſcivere; in dubio tamen caſu, aut ſi melancholia, delirium, morbi rigor uſum rationis inhibens, adfuit, mitior dictatur pœna, aut nulla, quando nullum oſtendi poteſt delictum. Puniendi tamen & illi ſunt, qui non impediverunt, quantum potuere, inſana ejusmodi hominum conſilia & attentata. Vbi conſilium malitiæ manifeſtum eſt, recte carnifici traduntur cadavera in loco maleficorum, ſaltem non honorifico ſepelienda (§. 705. *P. VIII. Jur. nat.*), & infamis cenſetur, ſi quis alius ea contingat ſpolietve. Poſſent etiam propter prævia alia crimina inſepulta relinqui, ſuſpendi, rotæ imponi &c. Item exaſperanda erit pœna ob alias rationes graves, v. c. frequentiam delicti, iterata attentata &c.

§. 370.

Vitæ conſervationi obſtant certamina ſingularia, quibus haud raro injuſte vita adimitur vel alterutri, vel utrique concertantium; id quod per ſe eſt manifeſtum. Idcirco *certamina privatorum ſingularia in republica non ſunt toleranda, ſed potius impedienda, rigoroſe prohibenda & punienda,* ſive ineantur controverſiæ decidendæ, ſive famæ tuendæ, & vindictæ exercendæ, ſive peritiæ pugnandi, & quaſi fortitudinis oſtentandæ cauſa (§. 569. *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*). *Duella ſunt rigoroſe prohibenda & punienda.*

Germanis appellantur duella, ſeu bella hæc privata & privatorum, Zweykämpfe, quia a duobus iniri & abſolvi poſſunt. Eſſe illa vel in ſtatu naturali illicita, & inepta ad litem decidendam, injuriam vindicandam, famam tuendam, periculum virium & peritiæ pugnandi faciendum, patet ex §. 1091. *ſqq. P. V. Jur. nat.* Involant in jura majeſtati divinæ in hominum vitam reſervata (§. 1109. *P. I. Theol. nat.*). Involant quoque in jura civitatis, cujus intereſt, ut vita civium conſervetur, quamdiu Deus eam non aufert (§. 17. *P. VIII. Jur. nat.*), & cujus eſt vindicta injuriarum publica (§. 559. *ſeq. ibid.*). Peccant quoque in ſe ipſos temerarii hi concertantes, omnia fere bona animi, corporis & fortunæ periculo ſubjicientes, quod audaciæ eſt & temeritatis inſanæ. Quando privata aut privatorum dico hæc certamina, diſtinguo illa ab his, quæ publica autoritate inter duos vel paucos loco omnium, ſeu totius exercitus conflicturos ineuntur (§. 498. *P. I. Polit. not. 2.* 499. *& ſeq.*); diſtinguo pariter a moderamine inculpatæ tutelæ, quæ eſt officii naturalis.

§. 371.

Quomodo ſint impedienda?

Ad impedienda, quantum fieri poteſt, duella, oportet animos veri honoris principiis imbuere ſolida convictione, eximere illis quævis præjudicia, duellorum fomites & fomenta, inhibere injurias, iis locum facientes, provocationes, ac vindictam privatam, imperare aliis præſentibus interceſſionem, & publicam vindictam ita promte exercere, ut læſo cuique ex aſſe honeſteque ſatisfiat. Etenim ſi impedienda ſunt duella, opera danda eſt, ne in actum erumpant, ſed potius eorum cauſæ & initia præcaveantur, quod ſua radiat luce (§. 726. *Ontol.*). Sed cauſæ internæ latent in falſis de honore notionibus & præjudiciis; hæc ergo eorum refutatione, & ſolida convictione de veritate honoris, de abſurditate leviores injurias ulciſcendi periculo graviorum temerario; de modeſtia & manſuetudine per eos, qui publice alios docere debent, ſunt tollenda. Externæ cauſæ ſunt injuriæ & offenſæ, ad vindictam irritantes. Hæ igitur ſunt ſevere interdicendæ, & ſi contigerint, publice

ita ulciscendæ, ut læso honeste & ex asse satisfiat, quemadmodum lædens in simili casu sibi ab aliis satisfieri vellet.

Cum vero initia duellorum sint provocationes in arenam, & promissiones comparendi; nemini licere debet, nec citare alterum in arenam, nec citationi parere, nec huc quemquam incitare, multo minus alterutri aut utrique auxilium polliceri. Potius illis, qui nascenti origini adsunt, injungendum est, ut in prima herba suffocent iram, odium, vindictæ cupiditatem, & exserenti se conatui valide resistant & intercedant.

Inepte alii fingunt, se læsos esse, ubi nulla adest læsio; alii, se lædentem esse punituros, vel e medio sublaturos, ne amplius lædere possit; cum, quantum sibi in alterum licere statuunt, tantum ipse sibi in ipsos arroget. Nec aliud agunt, quam ut tantam copiam se puniendi ipsi faciant, quantam sibi pollicentur. Inepte quoque Deum sibi adfuturum esse statuunt, quem propriæ vindictæ studio sibi reddunt iratum, ejus jura sibi nequiter arrogando. Quid igitur mirantur, si longe secus certamina cecidisse vident, ac ipsi & autores eorum sibi persuaserant? Quid igitur sapientius, quam vel Deo soli relinquere vindictam, vel si gravis ratio id urgeat, rem tradere magistratus cognitioni?

§ 372.

Qui aperto marte armis lethiferis in vitam suam invicem grassantur, illi aut trucidant se mutuo, aut alter tantum occiditur, aut neuter. *Primo casu gravius puniendi sunt, quam si quis sibi tantum conscivisset mortem* (§ 369.): uterque enim & alterius necis & suæ simul autor est. Quocirca pro re nata infamia publica notari, & cadavera latronum instar rotæ implicari aut suspendi, & hæredes, si non debite obstitere, macula notari possunt, propter quam non facile ad honores admittantur. *Secundo casu* in superstitem pro gradu culpæ aut malitiæ *tantum pœnæ decernetur, quantum in homicidam dolosum licet. Tertio casu* si, quantum in se fuit, egere, ad vitam sibi invicem auferen- *Quomodo punienda?*

rendam irrito ſucceſſu, *in ſervile opus publicum aut ergaſtulum compingendi erunt*, ut miſeria vitæ & ipſos reſipiſcere & alios ſapere doceat.

§. 373.

Quid in conſortes ſtatuendum. *Neque impunes dimittendi ſunt, qui arbitri, moderatores vel adjutores, ſaltem incitatores certaminis ſingularis eſſe voluere, ſed pro gradu malitiæ, qua promoverunt duellum, aut eidem non obſtitere, in eos itidem eſt animadvertendum.* Hi enim conſortes ſunt & participes homicidii admiſſi aut admittendi, ideoque id ipſis eſt imputandum, quatenus ab eorum voluntate libera pependit (§ 650. *ſeqq. P. I. Phil. pract. univ.*). Eapropter ipſis eo magis imputandum eſt duellum, quo minus illud, cum potuiſſent, impedivere, & quo magis illud adjuvere, conſilio, argumentis, opere denique ipſo.

§. 374.

Quid in provocatores & aggreſſores? *Ut eo magis evitentur duella, ne provocatio quidem & receptio certaminis, multo minus aggreſſio, quamquam per interceſſores impedita, relinquenda eſt impunita* (§. 371.). Quo rectius enim obſiſtitur facti principiis, eo certius factum ipſum præcavetur, quod eſt præcavendum. Sed quo ſeverior eſt prohibitio initiorum duelli, nempe provocationum ad illud, receptionis, aut ſubitæ aggreſſionis, eo rectius & efficacius reſiſtitur principiis ejusdem. Et eſt eo ſeverior illa prohibitio, quo major ſanctio pœnalis, quo magis quis auctor eſt duelli, item fax & tuba.

De illis agetur deinceps, qui nolunt provocatum in arenam occidere, ſed tantum vulnerare.

§. 375.

Etiam clandeſtina nex ſui impedienda. Quia omnis generis αὐτοχειρία prohibenda eſt & punienda (§. 368.), *non tantum impedienda eſt ea, quæ violentis utitur manibus, ſed & quæ tectiori modo procedit*, v. c. veneficio, ſubmerſione in aquas, ſuffocatione carbonum, præcipitatione ex edito loco, fau-

faucium occlusione per linguam, perpetratione aut plane fictione admissi delicti capitalis, ob quod vitæ pertæsus morte plecti cupit &c.

Inde pharmacopolis prohibendum est, ne vel suspectis vel imperitis vendant facile venena, & alia vitæ periculum creatura; e contrario ipsis injungendum, ut vel bona fide ementes sed ignaros moneant, ne quid periculi sibi contrahant. Interdum occurrunt, qui tædio vitæ se accusant ut delicti reos, cujus corpus quando ostendere nequeunt, propter supplicium insane quæsitum objurgari, aut pro re nata castigari merentur, nisi melancholia aut delirium adsit. Hiemali tempore in tabernis aut cubiculis haud raro extinguuntur, qui prunis appositis similibusque fornacis vaporibus se tantum adversus frigus defendere voluerunt. Mancipia æthiopica & similia, lingua intra fauces retorta, se enecare perhibentur.

§. 376.

Et intemperantium cacoëthes.

Nec abs re esset, si quoque helluones, ebriosi & libidinosi, subjicerentur pœnis promeritis, quia & hi sua intemperantia sibi aliisque vitæ filum abrumpunt. Licet enim lentius ad mortem properent, naturalem tamen vitæ suæ terminum æque assequi nequeunt, ac *nimis laboriosi*, vires corporis frangentes & ante diem absumentes. Illi ergo mulctis, carcere, & corporis afflictionibus quadamtenus, rectius autem & plenius moralibus argumentis reducendi sunt ad meliorem frugem. Hi autem justo salario, mercede æqua, alio genere laboris, & plenius morali disciplina emendandi sunt.

§. 377.

Arcendi globi latronum, furum &c. tollendique.

Obstat civium vitæ omne genus latrocinii & globorum latrocinantium, prædantium, & furtis inhiantium, qui, quando potiri aliter præda & furtis nequeunt, trucidare alios non verentur, luculenta experientiæ fide. Quam ob rem *non tantum* latro-

(*Wolfii Politicæ P. III. Sect. II. C. I.*)

latrocinia, ſpolia, furta, rigoroſiſſimis legibus ſunt interdicenda, ſed & globi latronum, prædonum, piratarum, ſpoliatorum furumque omni cura præcavendi & arcendi; ſi irrepſerint, detegendi, valida manu disjiciendi & ad ſupplicia promerita quantocyus trahendi ſunt (§. 367.). Idque eo magis, quo plurium innocentium ſecuritas & vita periclitatur (§. 366. & §. 42-46. *P. I. Polit.*) in plurium nefaria conſpiratione, nequaquam toleranda (§. 81. *P. I. Polit.*).

§. 378.

Nec plurium bella privata admittenda. Neque multo melioris notæ ſunt conſociationes, vel nobilium, privatæ vindictæ cauſa ad alios infeſtandos comparatæ; noſtratibus Befehdungen dictæ, quatenus & iisdem ſæpe plures necantur. Licet enim ſpecioſo juris (Fauſtrecht) vel belli privati titulo ornentur; conſtat tamen, bellum privatum in civitate non eſſe tolerandum (§. 560. *P. VIII. Jur. nat.*), niſi ubi copia judicis haberi nequit (§. 562. *ſeqq. ibid.*). *Sunt igitur & illi puniendi, qui lites a judice decidendas bello privato committere audent; neque illis vel petentibus venia ſic in vitam mutuo graſſandi indulgenda* (§ 370.).

§. 379.

Evitandum quoque bellum publicum, quantum pote. Quo plurium civium ſtrages in bello publico fieri conſuevit (§. 482. *P. I. Polit.*), *eo diligentius fugiendum eſſe intelligitur publicum bellum, etiamſi foret juſtum* (§. 483. *ſeqq. ibid.*). Neque enim quod juſtum foret bellum, id ideo quoque conſultum eſt (§. 503. *ſeq. ibid.*). Omnesque modi mitiores componendi controverſiam & injuriam arcendi bello præferri merentur (§. 498. *ſeqq. ibid.*) (§. 983. *P. I. Jur. nat.*) & (§. 582. *ſeqq. Jur. Gent.*). *Multo magis igitur vitandum eſt bellum injuſtum, vel magis ob cauſas ſuaſorias quam juſtas ſat graves ſuſcipiendum* (§. 622. *ſeq. ibid.*). *Denique & juſtum bellum, quod neceſſitas extorſit, quantocyus finiendum potius eſt, quam præter neceſſitatem producendum.*

§. 380.

§. 380.

Sæpius & incuria civium aut inepta curiositas culposis & fortuitis homicidiis locum facit. Quod cum pariter in civitate vitari possit ac debeat, ut pote lege naturali prohibitum (§. 1026. *P. I. Jur. nat.*) & (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*): *prohibenda & punienda quoque sunt illa, quæ homicidiis fortuitis & culposis ansam dant.* En rationem legum civilium de vitanda dejectione temeraria eorum, quibus prætereuntes necari possent; de arte sagittandi, jaculandi, globos explodendi, non exercenda, ubi homines necari possent; de pontibus & ponticulis ruinam minantibus reparandis; de non temere tentanda glacie fluminum; de non onerandis nimium navibus; de non struendis tabulatis opificum, onerandisque sic theatris & speculis, ut ruina multos spectatores pessumdare possit; de ædibus non ita exstruendis, ut brevi ruina incolas obruant; de reparandis, fulciendis aut diruendis ædificiis ruinæ proximis; de cavendis ludicris spectaculis vitæ haud raro periculosis; de navibus examinandis, num quo laborent vitio, interitum allaturo, &c. Brevitatis studio hæc in summam contracta sunt.

Item homicidium culposum.

Consectaria.

§. 381.

Multo magis igitur occurrendum est omni, qua fieri potest, ratione homicidiis dolosis, cujuscunque sint generis. Quo magis enim hæc nocent civitati & per se, & exemplo, & gradu pravitatis; eo magis intendenda est cura, ad illa avertenda, reprimenda, & minuenda, quando quidem penitus exstirpari nequeunt (§ 626. *seqq. P. VIII. Jur. nat.*). Quem in finem opus est & legibus severis, & suppliciis pro re nata exasperandis, eorumque exsecutione exemplari, cæterisque nequitiæ impedimentis, quibus & insidiæ vitæ & vis omnis arceantur. Neque tantum in adultis, sed & in liberis cujuscunque ætatis, ipsisque fœtibus a nece defendendis illa cura suas habet partes peragendas.

Multo magis dolosum quodvis.

§. 382.

Corollaria. Quare patefcit *cura obſtetricum* peritarum, examinandarum & publica autoritate conſtituendarum, item chirurgorum & medicorum in caſu difficili obſtetricantium, ut ſi non utriusque, ſaltem ſeu matris ſeu fœtus mors caveatur. Patefcit indidem *neceſſitas legum* & pœnarum *contra abortuum procurationem, contra infanticidia* ſuadenda, adjuvanda & perpetranda, ſeu a nefandis matribus, ſcelera ſua occultaturis, ſeu ab aliis quibuscunque; *porro brephotrophiorum* & *orphanotrophiorum*, ne pereant infantes a ſcortis &c. abjecti, vel expoſiti, vel pauperibus orbati parentibus; item *legum & pœnarum adverſus veneficia, philtra, ſicarios*, & truculentos quoscunque eorum percuſſores, quorum inhiant rebus opibusve. Quæ fuſius enucleare facile poterit, quisquis volet.

Abortus in genere dicuntur partus intempeſtivi, qui vel invita matre invitoque patre e cauſis naturalibus vinci neſciis oriuntur; vel hominum ſeu malitia ſeu culpa provocantur. De his procurationibus voluntariis abortuum hic ſermo eſt, præſertim eo ſubdole comparatis, ut fœtus enecetur, vel antequam excludatur ex utero, vel dum abigitur, antequam extra uterum vivere posſit. Privari fœtus ſic vita poteſt vel vi externa, qua uterus quomodocunque ſic afficitur, ut fœtui ſit pereundum; vel remediis abigentibus fœtum & ejicientibus, ne nutriri & perfici poſſit, aut ſuffocantibus eum in utero, & necantibus occulto modo. Veneficia ſunt applicationes veneni ad homines necandos illicitæ. Ita diſcernitur a ſupplicio Athenis & Romæ non ignoto, quod veneno ſumendo peragebatur. Videantur quoque de veneno in billis diſputata §. 877. *ſeqq. Jur. Gent.* Philtrorum nomine veniunt pohilenta vel quæcunque alia amori venereo aliis in generando deſtinata, ſeu incitamenta amatoria aut venerea. Quæ cum abſona ſint, venena eſſe ſolent, uſum rationis ſæpe & ipſius vitæ eripientia, veneficiisque accenſeri merentur. Sicarii hic notant eos, qui clandeſtinis inſidioſisque homicidiis operam dant

dant, & improviſa nece, cui reſiſtere necandus nequeat, homines e vita exturbant. Qui ſi ab aliis ad id conducti ſint privatis, aſſaſſini, ſi vel a belligerante adverſus hoſtem mittantur, percuſſores dicuntur. Conf. §. 881. *Jur. Gent.*

§. 383.

Licet ſupplicia in republica ſint neceſſaria (§. 840. *P. VIII. Jur. nat.*); jus tamen gladii non extendendum in infinitum, nec pœna capitalis infligenda eſt maleficis, ubi mitioribus melius conſuli poteſt ſaluti civitatis (§. 839. *ibid.*). *Qua de re ob rationes ſingulares ſat graves & ſaluti reip. conformes, pœnæ etiam capitales vel remittendæ ſunt vel mitigandæ* (§. 656. *ſeqq.* & 845. *ibid.*). Quam ob rem tum opus eſt uſu juris, quod dicunt, aggratiandi (§. 843. *ibid.*), vel quoque juris abolendi inquiſitionem cœptam, præſertim ſi crimen dubium eſſe deprehendatur (§. 846. *ibid.*). *Modus in ſuppliciis tenendus.*

§. 384.

Cum rationes pœnam vel remittendi, vel mitigandi, ſint merita præclara ſeu ipſius malefici, partim jam præſtita, partim majora in poſterum ſperanda; ſeu ſimul majorum ejus & cognatorum (§. 659. *ſeqq. P. VIII. Jur. nat.*); *diſpiciendum erit* ſaltem illis, quorum ſunt jura majeſtatis, *num qua dentur hujusmodi præclara majorum, cognatorum, ipſiusque rei merita præterita & ſpes futurorum, propter quæ pœna capitalis vel remittenda vel differenda ſit?* Quo majora ſunt illa merita, quo minor eorum aut parium ſpes ab aliis, quo reſipiſcentia certior: eo conſultior erit pœnæ capitalis ſeu remiſſio ſeu dilatio ſuſpenſioque in aliud tempus ſapienter facta. *Suſpenſio & remiſſio ſupplicii propter merita.*

Ipſe Deus remiſit ſeu diſtulit pœnam capitalem Kaino ob Abelis fratris necem irrogandam *Geneſ.* IV, 14. 15. & Lamecbi v. 24. ob multiplicandum genus humanum, & tempus pœnitentiæ ipſis concedendum VI, 3. Sic David diſtulit pœnam capitalem Joabi, ob cætera ejus merita *1 Reg.* II, 5. De Lynceſte bis

ſibi inſidiato Alexander M. Curtii *L. 8. c. 8.* ait, ſe eum bis liberaſſe & tertio convicti pœnam biennio diſtuliſſe.

§. 385.

2) Propter juſtam defenſionem.

Si occiſus autor rixæ fuit, & nocentior eo, qui in moderamine tutelæ exceſſiſſe videtur, huic etiam ſupplicium remittendum erit. Etenim ſi aggreſſor & autor rixæ, alterum in vitæ diſcrimen conjecit, ipſe verſatur in dolo, non is, qui ſe ex officio defendit, qui illi eo ipſo nullam facit injuriam (§. 976. *P I. Jur. nat.*), aggreſſor vero injuſtus in ipſum eſt (§. 985. *ibid.*). Quamdiu igitur nec in defendendo ſe modum excedit, nec quidquam odio aggreſſoris facit, tam diu non peccat (§. 1006. *ibid.*). Licet vero odio quoque & vindictæ cupidine quidquam agat, aggreſſori tamen injuriam non facit (§ *cit.*), aliquid ergo condonandum eſt affectui ab aggreſſore exacerbato. Ideoque ſi interfecit ipſum vel erronea opinione, qua periculum vitæ ſuæ, vel ſuæ mutilationis membrorum aliter evitari non poſſe credidit, quod licere novit (§. 1013. *ibid.*): ultimo tamen ſupplicio non erit afficiendus, ſi antea nullo flagravit aggreſſoris odio ſi jure ſuo ſe uti firmiter non ſine ſpecioſa ratione credidit, ſi ſit forte unicus ſuæ gentis, nec meritis carens.

Hujusmodi videntur fuiſſe rationes, quibus Joab Davidi perſuaſit veniam fratricidii Abſolomi *2 Sam.* XIV, 7. *ſeqq.* 14. XIII, 21. 32.

§. 386.

3) Propter ingentem multitudinem.

Ob ingentem maleficorum multitudinem civitas omnium ſupplicio majus damnum incurreret, quam ſi terror ad omnes, ipſum vero ſupplicium ad paucos perveniat. In magna enim multitudine, maxima pars cœco impetu credula nimis pravos ſequitur duces, ideoque non tam malitia peccat, quam credulitate & errore. Quare ſufficit, paucos autores & duces ad ſupplicium rapi, cæteros in civitatis uſus conſervari, præſertim ſi terror mortis quoque

que hos perculit, ut in poſterum eo ſint cautiores (§. 1062. *P. I. Jur. nat.*). Satius igitur eſt, ſupplicium ad paucos pervenire, terrorem & exemplum ad omnes, quam ſi omnis maleficorum multitudo non ſine inſigni civitatis detrimento interimeretur (§. 1058. *ſeq. P. I. Jur. nat.*). Quod detrimentum eo foret majus, quo major eſſet delinquentium impetu magis, quam conſilio copia; inde & eo ſolicitius eſt cavendum.

Semel Deus exemplum poſuit deletorum per diluvium impiorum omnium. Poſtea ne ipſe quidem utut creare multo plures poſſet, quam delevit, iſtud ſe facturum eſſe ſtatuit. *Geneſ.* IX, 11. Crudelibus pœnis & acerbis judiciis civitas vaſtatur magis, quam corrigitur, judice *Saluſtio in Orat. 1. ad Cæſ.* Mihi placet, inquit *Ariſtoteles*, qui non urget ſummum jus in pejus (ὁ μη ακριβοδικαιος εις το χειρον). *Eth. Nicomach. V. c. 10.* quod *Cicero L. I. offic.* ſic reddit; ſummum jus ſæpe ſumma injuria eſt. Vir ſapiens, ait *Seneca*, alieno ſanguini tanquam ſuo parcit, & ſcit, homine non eſſe prodige utendum. Huc pertinet *Amneſtia.* oblivionem & remiſſionem injuriarum perpetuam ſanciens (§. 848. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 387.

Hinc decimatio &c. orta.

Quare quando in tumultu & ſeditione, vel in militum plurimorum deſertione, rebellione aut officii neglectu, pœna exemplaris ſtatuenda eſt; *autores quidem præcipui ſupplicio ſunt addicendi, cæteri vero ſancita amneſtia impunes dimittendi, aut pro re nata decimandi vel centeſimandi malefici*, præſertim ſi autores ignorentur (§. 386.). Nempe ſi inter puniendos æquali pœna ſorte legitur decimus vel centeſimus quisque, terror in omnes redundat, ſed pauci tantum morte plectuntur (§. 849. *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*).

Sic Appius *Livio teſte L. II. c. 59.* in proditorem exercitum militaris diſciplinæ, ſigno amiſſo ſigniferos, ad hoc centuriones, duplicariosque, qui reliquerant ordines, virgis cæſos ſecuri per-

percussit. Cætera multitudo sorte decimus quisque ad supplicium lecti. Macrinus, *cap. 12. Capitolini*, clementem se dicebat, quod eos centesimaret, qui digni essent decumatione atque vicesimatione.

§. 388.

4) Quando generosa magnanimitate utendum est.

Si generosa magnanimitate spernenda aut ignoscenda potius videtur injuria vel in Regem ipsum admissa; sic quoque capitalis pœna remitti poterit, aut differri adjecta conditione, ne quid posthac amplius peccetur. Hoc enim casu præstat vel contemnere vel ignoscere, quam punire dictæ virtutis causa injuriam acceptam. Cum igitur præferendum sit id, quod melius est (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*): capitalis pœna etsi promerita tunc potius erit remittenda sub conditione, aut differenda in tempus opportunius.

Ita Simei maledictis & facinoribus in Regem Davidem supplicio se reddiderat dignum. Sed noluit rex, ut puniretur, magnanimitatis generosæ causa: eandemque ob rationem deprecanti deinceps pepercit. *2 Samuel.* XVI, 8. *seqq.* XIX, 18. *seqq.* Quem tamen Salomo ob novum delictum ultus est suasu parentis *1 Reg.* II, 8. *seq.*

§. 389.

5) Alii casus similes.

Quando vel gravidæ fœtui parcendum; vel morbo summo ad supplicium ducendi hominis, vel animo si fieri potest emendando; vel causa supplicii non prorsus manifesta est, sed aliquatenus dubia manet; vel supplicium minus verentur malefici, quam miseram vitam; vel ex summo errore, insania & amentia &c. ortum est facinus; supplicium quoque vel remittendum erit, vel differendum, aut in aliam pœnam mutandum. Pœnarum enim finis esse debet remedium malitiæ, emendatio peccantis, si haberi potest, cautio de non lædendo, seu futura securitas, & aliorum a sceleribus avocatio (§. 1059. & 1062. *P. I. Jur. nat.*), & capitales tum demum in civitate licitæ sunt, cum crimina aliter prorsus non, aut non melius coërceri possunt (§. 638. *P. VIII. Jur. nat.*).

Enim-

Enimvero ſi gravida ſupplicii rea eſt, innocens fœtus ejus non erit occidendus, ideoque exſpectandum eſt & differendum ſupplicium, donec pepererit (§. 665. *ſeq. ibid.*).

Si ducendus ad ſupplicium reus tam gravi morbo laboret, ut totum corpus langueat, ducique ad ſupplicium nequeat, pœna, quæ exemplaris eſſe debet, erit differenda (§ 706. *ibid.*); ſi enim convaleſcat, pœna rectius exſecutioni dabitur; ſi moriatur, eam in cadavere exſequi licet (§. 705. *ibid.*), niſi conſultius videatur a Deo punitum ipſius relinquere judicio prorſus.

Quia in pœnis emendatio rei quærenda eſt, quatenus haberi poteſt, vel quatenus de ea admittenda convinci poteſt (§. 609. *ſeqq.* 1058-1062. *P. I. Jur. nat.*): differenda quoque erit pœna capitalis, donec pateat, an emendationem animi ſit admiſſurus, nec ne?

Si malefici mortem lubentius ſubeunt, quam vitam acerbam & miſeram, hæc magis eosdem aliosque avocare poterit a ſceleribus, quam illa. Quare cum tales tantæque pœnæ legibus addendæ ſint, quæ ad cohibendam legum transgreſſionem plurimum valituræ ſunt (§ 585. *P. VIII. Jur. nat.*): manifeſtum eſt, tunc quoque pœnam capitalem mutari in talem poſſe, quæ vitam reis morte graviorem relinquat (§. 635-637. *ibid.*), ſed in publica commoda convertendam.

Si facinus alias morte piandum, commiſſum eſt ex ignorantia vel errore invincibili, vel in furore, delirio, ſomnio, melancholia gravi, ebrietate ſumma, ei pœna capitalis irrogari nequit (§. 671. *ſeq. ibid.*): in his igitur caſibus pœna capitalis vel plane remittenda, vel pro culpæ gradu in aliam non capitalem erit mutanda.

Denique quia nemo puniri poteſt, niſi maleficii ſatis convictus (§. 673. *ibid.*), ne quidem ſua ſponte confeſſus, ſi ſuſpecta ſit confeſſio, forte ex tædio vitæ aliave cauſa facta, nec de cor-

pore delicti constet (§. 674. *ibid.*): superest, ut pœna capitalis tum quoque remittenda sit aut differenda, quando reus supplicii plane convictus non est, & si impunis dimitti nequit, supplicium in aliam pœnam esse mutandum, quam intelligitur satis promeruisse.

§. 390.

Regula generalis supplicia non exsequendi.

Generatim *quoties virtutis & officii erga rempublicam, erga homicidam, aliumve maleficum ultimo supplicio dignum, vel erga ipsum judicem ratio ostendit, præstare, ut supplicium vel remittatur vel differatur: toties vel ab infligenda morte promerita salutis publicæ causa erit abstinendum, vitæque malefici parcendum.*

Differt & ipsa Dei longanimitas maleficorum supplicia, quoties summæ sapientiæ rationes indubiæ id flagitant, & quamdiu dilatio pœnæ promeritæ præstat ejus repentinæ irrogationi. Centum & viginti annos ante diluvium supplicii promeriti exsecutionem distulit. *Genes.* VI, 3. Et quot sæcula jam distulit adventum ad extremum judicium, pœnitentiæ omnium, qui resipiscere volent, locum daturus? 2 *Petr.* III, 4-9.

§. 391.

Profligandi sunt morbi letales.

Obstat conservationi vitæ civium quoque pestis cum universo genere contagiorum, morborum & vulnerum, quod sua radiat luce. Eapropter *opera navanda est in civitate, ut*, quantum fieri conjunctis peritorum viribus potest, *pestis & contagia arceantur a civitate, saltem quantocyus cohibeantur, si undecunque irrepserint* (§. 719. *P. VIII. Jur. nat.*). Veniunt in hunc censum quoque alii morbi exitiosi, quicunque sanari possunt, nec nisi neglectu remediorum & peritiæ illis utendi, lethales fiunt. *Procuranda igitur, & parata esse debent in civitate medicamenta æquo pretio parabilia, adversus omnis generis morbos letales, adsciscendique, qui rectum eorum usum moderentur.* Quo magis vero morbi civitatem devastant, eo intensior cura requiritur eos avertendi extinguendique (§. 386.).

Quo-

Quoniam morbi e diametro ſanitati opponuntur, & demum in exitu letales fiunt, quando ſanari nequeunt, jam de his plura non addo, reſervaturus cætera capiti ſecundo, curam ſanitatis tractaturo.

§. 392.

Vt paucis multa complectamur, *quibus licet, modis, quid-quid vitæ inſontium noceat, cavendum eſt in civitate procurandumque, ut & vitæ inſidiæ omnes, diſcrimina, & pericula proſcribantur, prævertantur & e medio tollantur, quam optime fieri poteſt, & vitæ ſecuritas cuique tuta, ſarta tectaque præſtetur* (§. 13. & 532. *P. VIII. Jur. nat.*). Quæ cura dum demandata eſt rectori civitatis, aut cuicunque ejus vicario, hujus eſt cura ſecuritatis publicæ, domorum, vicorum, pagorum, oppidorum, urbium, platearum, angiportorum, provinciarum, viarum, ſylvarum, fluminum, marium, portuum, diverſoriorum, cauponarum &c Vnde fluit jus &cura neceſſaria arcendi, capiendi, perſequendi, exſtirpandi ſceleratos autores factionum, conſpirationum, conjurationum & ſeditioſorum, inſidiatores, graſſatores, latrones, homicidas, piratas, ſicarios, omnesque alios furfuris ejusdem & purgamenta civitatis. Item jus proſcribendi & impunitatem aut & præmia concedendi & largiendi his, qui tales vivos aut mortuos exhibituri ſunt, ſaltem proditurı & indicaturi, ubi lateant. Nec non jus ſocietatem navalem adverſus piratas, prædones, aut hoſtes, privatis hanc aleam ſubituris concedendi, quam ſocietatem *admiralitatem* vocant (§ 498. *P. V. Jur. nat.*). Piraticam vel Antipiraticam illam eſſe (die Caperey), vel antileſtricam in omni ambitu ſuo, aut captatoriam conſectantemque, ſi hoſtes includas, ex verbis facile intelligetur. Vnde & quid jus conſectandi & perſequendi proſcriptos, profugosque homicidas, latrones, piratas & graſſatores ſit, liquido patet.

Reliqua vitæ cura publica.

§. 393.

Quid sint vitæ præsidia? *Vitæ præsidia* vocantur res externæ, quarum usus ad conservationem vitæ requiritur; vel sine quibus vita corporis conservari nequit. Differunt igitur a rebus necessariis, quæ non tantum vitæ præsidia, sed & res ad sanitatis conservationem, item quæ ad animi perfectionem, & in genere ad vitam perfectam requiruntur, includunt (§. 499. *P. I. Jur. nat.*). Germanis dicuntur Lebens-Mittel, vel Leibes Nothdurft; sed vitæ necessitas die Lebens Nohtdurft tam late patet ac res necessariæ, die Nohtdurft vel nohtwendigen Dinge.

Sic aëris salubris copia, ad respirationem necessaria; pertinet ad vitæ præsidia æque ac nutrimenta, quia a demta salubris aëris copia, ejusve respiratione, vita æque continuari nequit, ac sine alimentis.

§. 394.

Necessitas prospiciendi vitæ præsidiis. Nemini ignotum est, vitam conservari sine necessariis vitæ præsidiis non posse (§. 393.). Sed copia vitæ præsidiorum est inter fines civitatis (§. 13. *P. VIII. Jur. nat.*), & requirit affluentiam sufficientem eorum, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem, jucunditatemque requiruntur (§. 12. *ibid.*). Quoniam hic potissimum vitæ conservandæ ratio tradenda, *curandum est in civitate, ne vitæ præsidia cuiquam recte se gerenti desint;* ideoque *copia eorum sufficiens conjunctis viribus est comparanda, ne cuiquam eorum defectu sit pereundum* (§. 262. *P. II. Polit.*).

§. 395.

Vitæ præsidiorum divisio. Sepositis tantisper sanitatis præsidiis, redeunt vitæ præsidia ad *aërem salubrem*, *victum*, *amictum* & *habitaculum* temperando frigori & calori letali aptum, seu domicilium tutum. Eget enim vitæ conservatio & aëre salubri respirando; & alimentis, quibus nutriatur corpus, ut vivere possit, unde nutrimenta victus dicuntur; & vestimentis tegumentisque, quibus corpus ab

ab injuria exteriori lethifera defendatur, quæ amictus atque vestitus nomine indicantur; & domicilio, in quo habitet, & cumque adversus nocturna latrocinia, & enecans frigus aut æstus incendium tueri se, & aliorum ope tutus degere possit (§. 394.).

L. 43. de Verb. signif. Vlpianus docet, victus verbo contineri, quæ esui, potui cultuique corporis, quæque ad vivendum sunt necessaria. Quo amplo sensu, vestem quoque victus habere rationem Labeo ait. Sed præstat subsistere in usitatiori significatu, quo a vestitu distinguitur, pariter ac a cultu corporis, in Cicerone aliisque optimis autoribus. Amictum *Varro de Ling. lat. IV. 30.* interpretatur amiectum seu circumjectum, a quo etiam, quod vestitu se involvunt, circumjectum appellant, & quod amictui habent purpuram circumjectam, vocant circumtextum.

§. 396.

Quia rectori civitatis curæ esse debet, ne desit rerum ad victum, amictum & habitationem necessariarum copia sufficiens (§. 420. *P. VIII. Jur. nat.*): patet, propter necessitatem prospiciendi vitae præsidiis (§. 394.), *operam dandam esse, quantum fieri potest, ut civitati, omnibusque civibus quam optime prospiciatur de aëre, victu, amictu & domiciliis salubribus* (§. 395.) & (§. 262. *P. II. Polit.*). *De singulis civitati est prospiciendum.*

Restrictionem, quantum fieri potest, ideo addimus, quia ad ea, quæ viribus humanis vel civitatis majora sunt, nulla esse potest obligatio (§. 209. *P. I. Phil. pract. univ.*); nec ideo ulla eorum cura dari, aut sapienter suscipi a quoquam poterit. Deinde eadem quoque removetur objectio, quasi ultra vires civitatem onerare auderemus.

§. 397.

Aëris salubritatem civitas quidem efficere nequit; potest tamen debetque eamdem investigare, ubi habeatur, & in suos convertere usus. Nimirum salubritas consistit in convenientia cum sanitate, vel in vi sanitatem conservandi & præcavendi morbos (§. 395. *P. I. Jur. nat.*): uti insalubre est, quidquid sanitati est contrarium, *Cura 1) circa aëris salubritatem.*

vel morbos, aut plane mortem creat præcocem (*ibid.*). Jam omni dubio caret, nec aërem a quoquam homine effici posse, nec salubritatem dari ei, qui est insalubris. Oppido igitur patet, aëris salubritatem nullam efficere posse civitatem.

Enimvero, quia & salubritas aëris & insalubritas non per se ipsi inest, sed est mutabilis, atque suis gaudet notis, unde utraque seorsum agnosci, & a se invicem internosci potest per modo allata; neque hæ notæ captum humanum excedunt, sed per experientiam saltem se exserunt, quod medici & Physici evincunt; nec ulla obstat lex naturæ id prohibens, cum prostet id injungens (§. 393. *seq.* & 400. *P. I. Jur. nat.*): licet easdem investigare eorum opera, qui proprietates aëris penitius perspexere, atque æstimare ex suis criteriis didicerunt. Licet igitur quoque explorato aëre salubri uti, ab insalubri vero sibi cavere, quemadmodum id optimum factu deprehenditur. Quoniam quod fieri potest & licet, communis boni causa in civitate fieri debet (§. 15. *P. VIII. Jur. nat.*): relinquitur, aëris salubritatem & insalubritatem in civitate esse investigandam, illamque in commune bonum civium adhibendam, hanc vero inprimis mortiferam, quantum fieri potest, vitandam (§. 396.).

Spectamus hic potissimum aëris salubritatem, quatenus est inter vitæ præsidia; quatenus proxime inter sanitatis præsidia refertur, deinceps erit spectanda. Inde apparet, hic agi de *vitanda insalubritate, quæ est letalis*, cum dari etiam possit, quæ letalis non est, & tamen sanitati adversa. Distingui nimirum morbi, qui ab insalubritate aëris proficiscuntur, ut cæteri ex aliis causis enati, possunt, in letales, & qui exitiosi non sunt. Cæterum de his nemo rectius statuat in civitate, quam qui causas salubritatis & insalubritatis aëris ex physicis & diæteticis exploratas habent, saltem explorare valent.

§. 398.

§. 398.

Vbi aëris ſalubritas in civitate explorata habetur, ibi condenda ſunt domicilia, ſive ſegregata, ſive conſociata in vicos, pagos, oppida, urbes & emporia. Inveſtigata enim aëris ſalubritas in uſus civium quam optime eſt convertenda (§. 397.). Sed melius converti in uſus civitatis nequit, quam ſi in domiciliis, ubi cives, & quicunque in civitate dantur, ut plurimum degunt, ſive in illis habitando, ſive in eorum vicinia ſuum vitæ genus exercendo, reſpiretur, & vitam conſervet, ſine reſpiratione & aëris ſalubritate ceſſaturam, quod ſua quisque experientia compertum habet. Struenda ergo & incolenda ibi ſunt domicilia, ubi ſufficiens aëris ſalubris copia habetur. *Quo modo ſalubritate ſit utendum?*

§. 399.

Vbi autem inſalubritas aëris exitialis explorata habetur, ibi domicilia civium præſertim copioſa condenda non ſunt, ſed eligenda ſunt loca ſalubria, modo haberi poſſint (§. 398.). *Fugienda eſt aëris inſalubritas.*

§. 400.

Aëris inſalubritas tolli aut poteſt, aut nequit; illa dicetur *ſanabilis*, hæc *inſanabilis*. Nempe cauſæ inſalubritatis inveſtigatæ, aut ſunt majores viribus humanis, aut iisdem inferiores. Si ſunt majores viribus humanis, ab iisdem removeri nequeunt. Erit igitur ejusmodi inſalubritas nulla vi humana mutabilis, ſed inſanabilis. Si autem cauſæ inſalubritatis deprehenduntur non eſſe viribus humanis majores, ſed potius iisdem minores & inferiores, mutari illæ & removeri poterunt. Quibus ſublatis, ipſa aëris inſalubritas mutabitur, ſanabiturque, ideoque erit hoc caſu ſanabilis. *Quotuplex ſit aëris inſalubritas.*

Ponamus, v. g. aëris inſalubritatem pendere a ſolo paludoſo, ſi paludes tolli, & ingeſta terra copioſa exſiccari poſſunt, tolletur cauſa inſalubritatis, ideo & ipſe aër inſalubris vento diſſipabitur, eique ſalubris ſurrogabitur. Aër enim eſt mobilis, & diſſi-

dissipabilis in plagas superiores. Inde non amplius respirabitur, nec ideo exitialis esse poterit, sed salubrior, qui nunc ibi respiratur, vitæ inserviet conservandæ prorogandæque ad terminum a Deo ipsi præstitutum eam.

§. 401.

Cura secunda eam mutandi, si fieri potest sanatio ejus.

Si aëris insalubritas est sanabilis, ea utique est sananda, ubi salubrior ad habitandum locus haberi nequit Etenim ubi salubrior aër ad habitandum dari nequit, ibi aut erit sanandus, aut non erit. Si non erit sanandus, locus erit incultus relinquendus & deserendus, qui tamen a Deo ad incolendum est destinatus, quia insalubritas ejus est sanabilis. Quod cum officio hominis & Dei gloriæ ibi quoque illustrandæ repugnaret, nefas esset, in civitate non admittendum (§. 391. *P. VIII. Jur. nat.* & §. 202. *seqq. P. I. Polit.*) Relinquitur ergo insalubritatem aëris ibi esse sanandam, ubi est sanabilis, ne fiat maneatque exitialis.

Sanandæ insalubritatis hæc præcipua est ratio, quam adduxi, non tamen unica. Etiamsi nempe alibi domicilia strui possunt, ideo tamen sanatio insalubritatis, quia ope ventorum, illa se late diffundit, & soli procuranda fertilitas eamdem sanationem requirit. Variis enim locis e paludibus oborta insalubritas, earum partim exsiccatione, partim aquarum per fossas ope molendinorum derivatione fertilissimum dedit & salubre solum, uti in Belgio & alibi passim.

§. 402.

Ubi sanationis spes detur.

Insalubritatis sanabilis spes ibi erit, ubi ejus eædem vel similes sunt causæ, ac alibi, quæ sublatæ fuerunt; item ubi antea salubritas fuit, sublata dein per causas humana vi superabiles. Nimirum quod jam factum est, id rursus fieri posse, cæteris paribus, dubio caret (§. 170. *Ontol.*). Sed si alibi sanata est aëris insalubritas, extinctis aut amotis illius causis, quales denuo occurrunt, sive prorsus sint eædem, sive admodum similes; sanatio insalubritatis hujusmodi jam facta est, locumque ideo facit non ineptæ

simi-

similis eventus exspectationi. Quare non vana spes est, ibi insalubritatem simili modo sublatum iri.

Si vero loci ejusdem aër antea salubris fuit, qui postea insalubris est factus, erit ut salubritas ita & insalubritas mutabilis humana ope, quoties causæ illius non excedunt virium humanarum modulum. Explorandæ ergo erunt ejus causæ, num tolli humana vi possint, nec ne (§. 400.)? Si tolli possunt, factis iis, quæ fieri propterea oportet, non desperanda est pristinæ salubritatis restitutio.

Causæ insalubritatis aëris infecti, & remedia illas tollendi, relinquendæ sunt & tradendæ suis locis. Hic sufficit officia civilia ostendisse.

§. 403.

Vbi insalubritas loci est insanabilis, ibi nil restat, nisi ut domicilia ibi nulla statuantur, aut quæ structa jam sunt, in locum salubrem transferantur. Quia enim est insanabilis reapse, non vana opinione, causæ ejus tolli non poterunt (§. 400). Si tolli non poterunt, erit illa in nostro casu exitialis, ideoque vitanda (§. 397.). Sed vitatur, si innotuerit, antequam ibi habitetur, quando nulla ibi domicilia conduntur (§. 399); si vero demum postea innotuerit, quando transferuntur in locum salubrem, ubi ab initio condenda fuissent (§. 398.).

Quid curandum, si mutari nequeat?

Præcipua hæc est ratio, domicilia, vicos, pagos & oppida aliorsum transferendi, uti persæpe factum est; præstitisset autem ante explorare loci salubritatem, quam postea demum sapere piscatorem ictum. Præter quam rationem aliæ quoque dantur, quæ non sunt hujus loci.

§. 404.

Neque tantum in pagis, oppidis & urbibus procuranda est salubritas aëris, sed quoque in castris & ædificiis, ubi haud parva hominum multitudo confluit, aut diu una versatur. Si enim ibi insalubritas aëris

Cura circa loca pluribus & diu frequentanda.

aëris eſt exitialis, illa multos corripit, inficit, interimitque; & quo pluribus, quoque diutius ibi eſt verſandum, eo major erit clades hominum morte præcoci abreptorum. Quæ cum per ſe manifeſta ſint, patet neceſſitas curæ civilis, ut caſtra aliaque ædificia pluribus recipiendis fovendisque deſtinata ſalubri aëre referta, & ſi qua in iis naſcatur inſalubritas, ea ſubinde tollatur.

Docet experientia, naſci aërem inſalubrem, quando idem ſemper manens multorum exhalationibus, reſpiratione, & transſpiratione redditur effœtus; quando vaporibus, fumo, nebulis aliisque humiditatibus refertus eſt; quando incluſus manens ob putrefactionem humorum, cloacarum, parietum, aliorumque corporum ſitu ſqualentium aut muceſcentium, effluvia ſulphurea & enecantia imbibit.

§. 405.

Duo remedia contra aëris inſalubritatem.

Templa igitur, in quibus plurimi congregantur, *tam ſpatioſa & alta intus ſtruenda ſunt, ut tot hominum halitus, effluvia eorum, hiemali tempore quoque ignitabulorum diſſipari longe lateque poſſint*, ne perniciosa ipſis evadant. Sic in noſocomiis, orphanotrophiis, Xenodochiis, brephotrophiis & ptochotrophiis; in militum caſtris, tentoriis, caſulis, diverſoriis, in navibus denique bellicis præſertim & diuturnum iter facientibus, præterquam quod libero aëre utendum eſt, quoties illo potiri exeundo & ſub dio verſando licet, aër ſubinde eſt mutandus, & ejecto inſalubri ſentina infecto, ſalubris ſubinde ſubſtituendus. Generatim igitur *cavendum, ne aër in cœtu & domiciliis inficiatur, & peſtilens vel letificus evadat, ſed potius illius loco ſalubris ſemper adſit & recuperetur.*

Modus aërem domiciliorum renovandi in ipſa eorum ſtructura architectis eſt injungendus, ut libero aëri & ventis pervia ſint, quoties libero & ſalubri aëre opus eſt, apertis nempe ſpiraculis; iisdem vero opertis introitus aëri externo ſit occluſus. Item quia

quia foco opus est & caminis, ignis quoque ope aër insalubris est ejiciendus, & salubri aditus, quamdiu opus est, patefaciendus, ut respirari salubris possit. Eodem artificio uti quoque in navibus licet, si omnia ad eum finem in ea construantur. In eumdem usum excogitata est Halesii machina, *ventilator* dicta, quæ igne non indiget, sed solo rotæ inclusæ giro e quocunque loco navis, conclavis, hospitalis &c. aërem insalubrem ejicit, salubri externo accessum largiendo. Est hæc quædam ratio, ventum in loco singulari excitandi & dirigendi, quorsum lubet. Quæ si successu temporis amplificari posset, ope ventorum, si non excitatorum, saltem directorum quorsum placet, plura præstari possent. Observavit *Gaugerius*, quod enarrat *in sua caminorum fabrica* seu *Mechanica ignis*, se ob clausum hiemali tempore in museo aërem, tussi & catarrhis idemtidem laborasse: a quo incommodo liberum se sensit, postquam quotidie purum aërem in museum introduxit. Neque deerunt alii, idem experti, quanquam hanc non solam catarrhorum tussiumque rationem esse existimo.

§. 406.

Quia victus salubris in civitate est procurandus (§. 396): *explorandum non tantum est, quis victus pro natura climatis & soli sit salubris, quisve insalubris, sed opera quoque danda, ut illius copia sufficiens habeatur, & æquo pretio venalis sit, insalubris vero a civibus evitari possit* (§. 397.). *Cura victus salubris ingenere.*

§. 407.

Dum victus alimenta notat, quibus corpus est nutriendum (§. 395.); alimenta vero vel esculenta continent seu edulia, vel potulenta, quorum illa edi, hæc bibi consueverunt: *victus salubris complectitur & esculenta salubria & potulenta.* Illa proprie & usitatius dicuntur cibus & cibaria, improprie pastus; hæc potiones sæpius quam potus. Vnde quid cibi potionesque salubres sint, clarescit. *Victus requirit cibos & potus.*

§. 408.

Cibaria animalia & vegetabilia. Cibi ordinarii vel petuntur ex genere animantium, vel vegetorum & vigentium, altero alterius defectum ſupplente; quorum illi animales, ut quadrupedum, avium, piſcium, cæterarumque beſtiarum comeſtibilium, carnes; hi vegetabiles dicuntur, ut olera hortorum, fruges agrorum, & fructus arborum. Olerum vel partes ſubterraneæ, vel ſupra terram in aëre creſcentes, vel ambæ ſunt in uſu cibario. Primi generis ſunt rapa, ſiſera, tubera; medii ſunt cucurbitæ, melones, fraga, braſſica, acetaria; tertii ſunt petroſelinum, cepa, apium. Fruges cernuntur & in frumentis omnis generis, quorum ſemina propriis gaudent glumis; & in leguminibus, quorum ſemina plura communi ſiliquæ inſunt, ut ſiliquæ dulces, fabæ, phaſeoli, piſa, lentes, cicer & cicerculum. Sunt vero alia frumenta hiemalia, ut triticum ſecale cæt.; alia æſtiva, ut fagopyrum, oryza, milium, avena, Turcicum Mays cæt. Quanquam & ſecale, & hordeum hybernum & æſtivum datur, utrumque tamen ſuæ indolis. Fructus arborum (Obſt) ſemen vel pulpa eduli circumdatus habent vel minus. Priora poma dicuntur ſiſtuntque vel ſemina duro & cortice incluſa (Stein-Obſt), uti mala Perſica, Armeniaca, pruna, ceraſa cæt.; vel duro cortice deſtituuntur (Kern-Obſt), uti mala Europæa, citria, aurantia, cydonia, punica, pyra, ficus, baccæ, cæt. Poſteriora nuces ſunt varii generis, uti maxima clappæ (cocos), amygdala, juglans, avellana, myriſtica cæt.

De extraordinariis cibis, qui parum apti ad nutriendum, aut parum ſalubres ſunt, vix opus eſt ut ſeorſum agatur, cum niſi duro neceſſitatis telo urgente illis locus non ſit concedendus, quando ſcilicet ſine illis vita ſervari non poſſet. Hujusmodi ſunt corium varii generis, oſſa, canes, feles, mures, cadavera, furfures, cortices, radices duræ inſolotæque, lolium, gramina & pecudum pabula, ut porcorum ceratia, glandes, ſaginæ, glumæ, her-

herbæ, cerevisiæ, purgamenta (Träbern), linteamina cæt. Curandum tamen, ut constet, quænam cæteris præferri in casu necessitatis mereantur.

§. 409.

Potiones naturales & artificiales variæ.

Potiones naturales fere ad lac & aquam redeunt, si vel eam, quæ in nuce cocos continetur, vel quæ ex vite & betula verno tempore læsis destillat, vel thermas & acidulas cogites. Artificiales autem vel parantur ex uvis, uti mustum, defrutum & vinum, vel ex melle, uti mulsum, sive hydromeli (melicratum), sive œnomeli, sive oxymeli sit; vel ex frumento, uti cerevisia, sive triticea sit, sive hordeacea, sive avenacea; vel ex pomis, uti ex malis, piris, cerasis, limoniis, grossularia cæt. Deinde si vinum destillatur seu sublimatur, nascitur spiritus ardens, & simili modo paratur spiritus frumenti, variis aliis admixtis, uti cinnamomo, rorella, cæt. Nec silenda sunt decocta foliorum Theæ, fabarum Arabicarum (Coffé), quæ pulpa cerasi vestiuntur, nucleorum cacao, vaniliæ cæt. (chocolata), similiumque.

§. 410.

Præcipua cura alimentorum domesticorum.

Curandum est in civitate præcipue, ut domestica alimenta cujuscunque generis diligenter colantur, conserventur, quam optime perficiantur & multiplicentur. Opera enim danda est, ut alimentorum salubrium copia omnibus in civitate degentibus sufficiens & habeatur, & æquo pretio venalis sit (§. 406). Ad hoc obtinendum plurimum & in primis facit, si ea diligenter colantur, quibus ferendis ipsum clima ejusque solum favet, quæ & copiosiora & nutriendis hominibus ibidem degentibus sunt accommodatiora. Quæ & ob hoc ipsum viliora esse & æquiori pretio emi vendique possunt, quia non egent illis sumtibus, quibus peregrina essent advehenda; & quia non tantum recto usu soli rerumque naturalium cultores alunt, ditantque abundantium, quæ aliis alendis vendunt, pretio. Quo melius illa perficiun-

tur natura, cultura & arte, quo magis multiplicantur, eo ampliori emolumento beant & poſſeſſores, & cives, & mercatores, qui abundantia divendunt exteris & peregrinis. Liquet igitur admodum e rep. eſſe, ut ea ſolicite curentur.

§. 411.

Promovenda res frumentaria & hortenſis.

Vt nutrimenta domeſtica abundent in civitate curanda (§. 410.), *injungenda, incitanda & promovenda eſt quam optima & ampliſſima agricultura, item cultura hortorum & olerum, pomariorum, vinearum & vitium.* Videlicet id agendum eſt, ut res frumentaria, olitoria, & pomaria floreat, abundetque petendus inde commeatus (§. 406.). Nec ea re tantum rudes fortunandi ſunt cultores, & qui diligentiores cæteris ſunt aliis præferendi, & privilegiis aptis ornandi evehendique, ſed & inventores novorum incrementorum, in academiis ſcientiarum & ſocietatibus fertilitatis augendæ ſtudioſis, promeritis condecorandi ſunt honoribus, præmiis reditibusque (§. 433. *P. II. Polit.*). En legum ruralium & ruſticarum conſtitutionum neceſſitatem!

§. 412.

Fertilitas annorum vertenda eſt in remedium ſterilitatis.

Quoniam luculenta conſtat experientiæ fide, fertilitatem annorum non ſemper eſſe eandem, nec artem ſupplere id poſſe, quod natura negavit: *curandum quoque eſt, ut annona copioſior fertilium annorum ad ſupplendum ſterilium defectum quam optime conſervetur.* Etenim proventus rei frumentariæ & hortenſis uberior præſtat annonam copioſiorem, docetque anni fertilitatem, quod ſe mutuo explanat. Iſta quidem abundantia civitati primum largitur pretii vilitatem, quæ emtoribus quibuscunque tanto eſt gratior, quanto venditoribus eſt ingratior. Deinde inſervit exteris, quæ ſibi deſunt, aliunde quærentibus & plus pretii offerentibus, quam domi datur, itaque commercio externo colendo, juvandis peregrinis ut viciſſim nos juvent, & ditandis venditoribus, conducit expeditque. Enimvero quia illa demum

aliis

aliis debentur, quibus nos carere salvis officiis erga nos possumus; & non tantum præsenti sed & futuræ necessitati consulendum est, uti a priuato quovis homine, ita & a civitate: manifestum est, retinendum esse in civitate ex annonæ ubertate, quantum requiritur ad sterilium annorum defectum supplendum, & annonæ inopiam levandam. Qno ipso simul cavetur, ne ob abundantem copiam nimis vilescat pretium, nec ob inopiam incendatur & caritas nimia evadat. Est nimirum annona nobis non latius dicta (§. 928. *P. VIII. Jur. nat.*), sed strictius anni proventus e tellure, ideoque proventus annuus rei frumentariæ & hortensis: quanquam non ignoramus, & pro alio proventu alimentorum annuo nomen usurpari. Hinc annonæ copia & inopia, vilitas & caritas, diversis annis pro eorum fœcunditate & sterilitate nascuntur. Quæ quoniam a divina pendent providentia, civitatis est, illa pariter ac hac recte uti, ideoque curare, ut unius anni copia alterius levet inopiam, ne cives vitæ præsidiis careant.

§. 413.

Cum futurorum fatorum præscientia homines careant, mirum non est, quod & futuræ annonæ status civitati sit ignotus. Eapropter quoniam ad incerta, & profutura aut obfutura saluti civitatis, saltem eatenus detegenda, quatenus fieri potest, civitas obligatur, & ad curandum, ne boni communis fruitio a quoquam impediatur (§. 20. *P. VIII. Jur. nat.*): *opera quoque danda est, ut quanta fieri potest, probabilitate ex præteritorum annorum longa serie futurorum conditio conjectetur*, itaque in re incerta, tutius quod deprehenditur, id eligetur, *reservabiturque ex occurrente abundantia, quantum futuræ sufficiat necessitati.* *Quæ norma hac in re sapienter adhibeatur.*

Constabat Josepho in Aegypto e divina inspiratione, quod Regi per somnium erat adumbratum, septennium fertile instans sequuturum esse septennium sterile per universam Aegyptum.

Id-

Idcirco prospici poterat futuræ annonæ caritati & penuriæ, abundans frumentum in granariis congerendo asservandoque *Genes.* XLI - XLVII. Jam quidem ejusmodi oraculum exspectandum hodie non est; verisimilis tamen conjectura capi potest ex multorum sæculorum observationibus annonæ, quænam in illo climate, illaque ejus regione, ubi civitas habetur, plerumque usu venire soleat. Quæ notitia ex proxime prægressa annorum serie, earumque seu fertilitate seu mediocritate non spernendam de futuro suppeditat conjecturam, qua rectores civitatis ad cautionem utantur. Elucescit hinc nova utilitas observationum hujusmodi, quæ vulgo nihili fiunt, nec annotantur in gratiam posterorum; multo minus attenditur ad causas naturales, unde ista annonæ conditio, aut penuria fluere solet. Inde sapientes regulæ deduci possunt, progressu temporis elmandæ. Tantisper enim præstabit, si quid nutrimentorum redundet futuro quoque anno, quam desideretur.

§. 414.

De modis alimenta diu conservandi scrutandis.

Exploranda adhibendaque sunt optima, annonam & alimenta quævis, quam diutissime fieri potest, conservandi, remedia. Fieri enim potest, ut frumenta & generatim alimenta multo diutius conserventur, quam vulgo fieri solet, docente fida rerum naturalium magistra. Nec tamen cuique eadem magistra per se patet, quot modis id fieri possit, & quinam eorum his vel illis rerum, climatum & finium conditionibus positis præferri cæteris mereantur. Complurium igitur peritiorum civium, civitatum, & nationum usus, experientia & experimenta consuli merentur, ut innotescat, quinam modi usu sint recepti & approbati, quique cæteris sint meliores hac in re, ut frumenta, alimentaque cujuscunque generis pro dato scopo datisque conditionibus, quamdiu opus est, conserventur, & usibus suis apta retineantur (§. 412.) Quia necdum omnia sunt inventa, quæ optari possunt, publicæ etiam curæ pars est, ut sagaciorum ingenio

genio investigentur, si qua meliora exploratis usitatisque jam subsidiis remedia interitus brevioris reperiri possunt (§. 941. *Oecon.* & § 404. *P. II. Polit.*).

Habentur hujusmodi interitus frumentorum alimentorumque avertendi remedia passim in re œconomica, mercatoria & nautica olim usitata, eaque etiam in aliis populis alia. Nec ideo nihil restat novi & melioris eruendum. Quod editis nuper libris comprobatum dedere Cel. *du Hamel, du Monceau*, quem Germanis aliquanto auctiorem & vernaculum edidit *Titius*, ex sorore mea procreatus, & inter Italos *Barhol. Intieri.* Neque credendum est, ita ab his omnia esse exhausta, ut aliis nihil, quod agant excutiantque, relictum sit. Quid de aliis ciborum potionumque generibus diu ita tuendis, ut prodesse homini cuique possint? Vel sola aqua incorrupte servari nequit in itinere maritimo, æquatorem transeunte, nisi remedia avertendæ ejus corruptioni opponantur. Longum foret de cæteris verba facere, quæ usu jam aut dudum sunt comprobata. Sufficere enim hæc possunt ad præceptum hoc civile illustrandum.

§. 415.

Sensio molesta deficientis in ventriculo cibi, dicitur fames; uti sensio ingrata deficientis potionis, sitis vocatur. Quare fames gignit appetitum cibi, & sitis appetitum potionis; oriturque fames ex defectu cibi tædioso, & sitis ex defectu potus molestiam vel tædium nobis creante. Fames & sitis vel diuturna est, quæ multos dies continentes durat, vel brevis, unius tantum vel alterius diei.

Quid fames & sitis sit?

§. 416.

Diutina fame & siti homines cætera sani enecantur. Hoc non tantum experientia docet, sed constat id quoque ex eo, quia sine cibo & potu salubri nemo vitam conservare potest (§. 394. & 407.). Sed fames & sitis diuturna oriuntur ex defectu cibariorum & potabilium per multos dies continuato (§. 415.).

Diuturna fame & siti homines pereunt.

Inde & tot dies involvit, quibus vita fine alimentis fuftentari nequit. Quod fi vita ob defectum ciborum potionumque continuari amplius nequit, neceffe eft, ut oriatur mors, non illa naturalis, fed violenta & præcox. Itaque diuturna fame & fiti homines vel fanos enecari oportet.

Alii quidem diutius paulo famem fitimque ferre poffunt, quam alii, antequam fame & fiti interimantur, attamen omnes tandem diutina fame moriuntur, etiamfi aqua gauderent, quam bibant fat copiofe; & fiti pariter, etiamfi cibus ficcus, quo vefcerentur, fuppeteret, experientiæ fide. Quod vel experiuntur, qui in mediis maris fluctibus navigant, quando ut alia potione ita & aqua dulci deftituuntur, quæ falubris eft, quum marina infalubris fit & morti dare poffit. Vti Stoici nonnulli fponte fua inedia vitam finiebant: ita & alii alios inedia adhibita necare poffunt & interdum necarunt.

§. 417.

Quomodo curandum fit, ne quis fame aut fiti pereat.

In rep. fapienter cavendum eft legibus, fanctionibus pœnalibus, diligenti cura alimentorum & ftipium erga prorfus egenos & mendicos, ne quisquam fame aut fiti extinguatur. Vita enim civium fapienter confervanda eft; & impedienda, quæcunque ejus confervationi obftant, ut mors pro viribus averruncetur (§. 387. *feq.*). Sed legibus pœnisque caveri poteft, ne quis vel fe vel alios fame aut fiti facile enecet, nec melius univerfim ejusmodi malitiæ occurri poteft. Quia vero & ob defectum ciborum potionumque vel nolentibus pereundum eft (§. 416.): illi defectui fapienter pro viribus occurrendum eft debita cura alimentorum falubrium, quæ vitæ omnium confervandæ fufficere poffint, & imperanda commendandaque liberalitate erga egenos & mendicos (§. 394.).

§. 418.

Quomodo defectus anno-

Defectus annonæ domefticæ, undecunque optime fieri poteft, eft fupplendus tollendusque. Sapienter enim cavendum eft in civitate, ne

ne quisquam fame extinguatur (§. 417.). Enimvero & defectus annonæ tantus esse potest, & interdum contingere solet, ut propter illum multi fame extinguerentur. Quapropter is defectus quo major est, quoque pluribus ideo fieret fatalis, eo magis curandum est, ne cui multisve eo defectu sit pereundum (§. 394.). Quod cum teste experientia locuplete in ipsa annona sæpe aliter, saltem melius fieri nequeat, quam ut aliunde, ubi scilicet annona abundat, & ubi salubrior & minori sumtu ac aliubi haberi potest, quam optime suppleatur tollaturque. *næ propriæ sit supplendus.*

Est quidem interdum, ut in obsidione, commeatus dimensum parciori & tantilla copia largiendum, qua vita utcunque licet ægre toleretur. Sed hoc nec multis nec diu sufficit remedium, æque ac illud, quo res insolitæ & parum ad hominum alimenta aptæ ex necessitate adhibentur. Quatenus ex domesticis animalibus supplementum habetur, id quidem semper adhibendum est, sed & ideo avertendæ annonæ penuriæ impar est (§. 408.).

§. 419.

Si propter annonæ domesticæ calamitatem & penuriam hominibus fame esset pereundum, curandum est, ut cum privatorum, tum, ubi opus est, publico ære, undecunque fieri potest, alimenta salubria comparentur advehanturque. Cavendum enim est, ne quis civium fame pereat (§. 417.). Deficiente igitur adeo annona domestica, ut hominibus in civitate degentibus fame esset pereundum, quia id aliter & melius caveri nequit (§. 418.), curandum utique est partim eorum, qui opibus gaudent, emtione salubrium alimentorum (§. 420. *P. VIII. Jur. nat.*), partim eorum, qui illis destituuntur, ex collecta stipe vel publico ærario paranda undecunque gratuita alimonia (§. 734. *ibid.*), ne cuiquam fame sit pereundum. *Quando alimenta unde alimenta sint arcessenda?*

§. 420.

Docet rerum usus, perquam adaucto, ut nunc est, ge- *Quomodo*

 neri *deficienti ci-*

bo agresti medendum? neri humano, non amplius sufficere alimenta vegetabilia, etsi salubriora persæpe animalibus. *Quare frumentorum, olerum fructuumque defectus supplendus est rebus animalibus salubrem victum præbituris* (§. 418.), *quoad ejus fieri potest.* Quemadmodum vice versa, ubi animalia cibaria desunt, aut quatenus non sufficiunt, eorum penuria vegetabilibus est sarcienda, minuendave.

Hoc ipse Deus ita sapienter instituit, ut quemadmodum aliorum brutorum ventriculus ad mera tantum vegetabilia comminuenda & concoquenda, ita aliorum ad animalia tantum cibaria dissolvenda & digerenda sit destinatus. Nec desunt, quæ ad utrumque genus ciborum alimentorum loco comedendum & concoquendum aptum sortita sunt ventriculum. Ex horum genere est quoque homo, cui post diluvium indulsit Deus utrumque genus ciborum *Genes.* IX, 2-3.

§. 421.

Domesticus cibus animalis præponendus est peregrino. *Quamdiu domesticus cibus animalis sufficit ad supplendum, quod vegetanti desit, tamdiu hoc supplementum domesticum præferendum est peregrino. Ubi vero & is deficit, extraneus unde quam optime fieri potest, erit comparandus.* Plerumque enim domesticus cibus minori stare solet sumtu salubriorque esse, cives eum parantes alit una cum aliis, ideoque cæteris paribus utilior civitati, quam peregrinus, ideoque ei præponendus & præcipue curandus (§. 410.). Quare cum meliora præferenda sint cæteris (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*), quamdiu haberi potest supplementum domesticum cibi patrii ab agris hortisque denegati, tamdiu is utique erit præferendus peregrino nihilo meliori (§. 421. *P. VIII. Jur. nat.*).

Quando autem supplementum patrium haberi nequit, tum nil restat, quod fami mortiferæ depellendæ opponatur, quam ut extraneus cibus animalis admittatur, quando sponte adducitur, aut si non sponte affertur, ut quæratur & petatur ali-

aliunde, ubi quam optime procurari poteſt (§. 420. *P. VIII. Jur. nat.*).

Ob rationes allatas in omni alimentorum genere domeſtica præferenda ſunt alienis, niſi inſalubris aut plane ſterilis loci natura obſtet. Ordine enim naturæ ſapientiſſime adeo inſtituto ſibi invicem reſpondent ubivis locorum ibi nata viventia, ſive inanimata ſive animata, & inter hæc humana corpora, nutrimentis e prioribus ſeligendis conſervanda; nec ſolet niſi paucis in locis inſanabilis eſſe vitioſitas, a cauſis ſingularibus, tanquam exceptionibus ſapienter admittendis, pendens. Vſu paſſim comprobatum eſt, meliora frumentorum, tritici, ſecalis, hordei, avenæ, olerum, radicum, tuberum, ficuum, uvarum, cucurbitarum cæt. genera aliunde aſportari, vegetari & propagari inſigni cum emolumento & ibi poſſe, ubi non ſunt domeſtica hæc vegetabilia, & interdum degenerant in ſobole, ut denuo afferenda ſint.

§. 422.

Cum cibus animalis domeſticus ſapienter præferendus ſit peregrino (§. 421.), *opera danda eſſe intelligitur, ut, quænam beſtiæ circa beſtias ſalubrem præbeant cibum aut & potum, exploratum habeatur, eæque edules debito ſtudio conſerventur, augeantur, perficiantur, & in poteſtate civium, quantum fieri poteſt, verſentur, item ad cibum humanum rite aptentur.* Dicemus illiusmodi animalium eſculenta. *Partes curæ*

§. 423.

Differunt beſtiæ eſculentæ terrenæ ab aquatilibus; hæ in aquis, illæ in terræ facie degunt. Terreſtrium aliæ deſtituuntur alis, & in terra ſe ſponte movent, ſeu eunt, unde euntes tantum dici poſſunt, aliæ ſunt alatæ, quæ & ire queunt & volare, h. e. alis ſe in aëre movere. Illæ ſunt bipedes ac plumoſæ, vocanturque aves; hæ quadrupedes, ambæ pecudes vocantur. Ambæ vel imperio humano ſubſunt, & cicures vel manſuetæ vocantur; vel neutiquam, ſed ſui juris ſunt, in libertate *Diviſio edulium beſtiarum.*

tate naturali degentes, quæ feræ dicuntur. Aquatiles natant in aquis vel dulcibus vel marinis, eæque vel pedibus gaudent, vel carent, & pinnis natant. Quæ pinnis natant, pisces dicuntur. Quæ pedibus gaudent, vel bipedes sunt, ut manati, vel quadrupedes, ut phocæ, ursi, leones marini, &c. Præter has dantur quoque quædam crustaceæ & testaceæ edules bestiæ, uti astaci, cancri, ostreæ, conchæ, cæt. item quædam amphibiæ, utrique elemento adsuetæ; & insectæ, ut quædam locustæ, apium mella.

§. 424.

Cura rei pecuariæ.

Pecudum causa curandum est, ut floreat in civitate res pecuaria, concessis eum in finem juribus pascuorum, actuum, saginæ, cæt. *latisque legibus seu statutis de re pecuaria quam optime instituenda.* Sunt enim pecudes bestiæ mansuetæ seu imperio humano subjectæ & subjiciendæ, ut earum usus haberi quam amplissimus possit (§. 423.), sed illæ debito studio sunt conservandæ, alendæ, multiplicandæ, saginandæ, ut earum usus amplissimus evadat (§. 421.). Quem in finem opus est & juribus pascendi & pascuorum, actus vel agendi ad pascua & rursus in stabula, saginandi, securitatis adversus abigeos, commercandi, damna avertendi, & datorum reparationem exigendi, & officiis pastorum aliisque legibus sapienter præscribendis, & pro re nata extorquendis.

Ecce causam pascendi & alendi columbas, gallinas, anates, anseres, porcos, oves, capras, boves aliasque bestias generis edulis. Item avertendi, quantum fieri potest, morbos & contagia pecudum, sanandique sanabiles. Quare curandum quoque in civitate, ut explorata sint & præsto medicamina pecudum morbis præcavendis, depellendis & sanandis profutura, & ut sint, qui rite applicare illa & possint & velint, ne noxa bestiarum non tantum opibus dominorum detrahat, sed & alimentis cæterorum.

§. 425.

Quoniam plerisque in civitatibus alimenta animalia non adhibentur cruda nec ſordida, more beſtiarum carnivorarum: *ut plurimum quoque opus eſt civibus, qui comparandis, mactandis, repurgandis a ſordibus, & præparandis ad cibum complurium aliorum operam dent* (§ 421.). Apparet inde *neceſſitas* lanienæ, popinarum & rei coquinariæ, atque ſimul *curæ & legum, opificio lanionum popinonibus & coquis ferendarum* in oppidis urbibusque, atque in ſalutem publicam recte obſervandarum exſequendarumque. *Cura laniorum & coquorum.*

§. 426.

Quum feræ quadrupedes non ſint per ſe in hominum poteſtate (§. 423.), ſi illis veſcendum eſt, capiendæ prius ſunt, ut ſeu vivæ ſeu mortuæ in eorum poteſtatem redigantur. Quod ut quam optime communi boni cauſa fiat, cavendum eſt, ne id promiſcue a quolibet, nec intempeſtive & ita fiat, ut conſervationi & multiplicationi ferarum noceatur (§. 424.). *Opus* igitur *eſt jure venatorio ſapienter ad publicam ſalutem reſtricto, & legibus venatoriis recte facienda inculcantibus, fugienda prohibentibus, addita pœnarum ſufficientium ſevera ſanctione.* Quibus etiam accedere poteſt ferarum voracium nec edulium, inprimis carnivorarum ſeu rapacium perſecutio, ad eas, ſi non exſtirpandas, ſaltem minuendas, quam plurimum fieri poteſt. *Cura rei venatoriæ.*

Quia feræ quadrupedes non unius tantum generis ſunt, & aliæ aliis utiliores, delicatiores, carioresque, diſtingui jus venandi ſolet vel bifariam in ſuperius & inferius, vel trifariam, in ſuperius, medium & infimum; quod noſtrates vocant Hohe-Mittel-und Nieder-Jagd. Tunc primum complectitur cervos, uros, alces, biſontes, lynces, urſos cæt.; medium capreas, apros, lupos cæt.; tertium lepores, vulpes, caſtores, lutras, meles, martes, cæt. Inde civibus uti non licet niſi eo, quod ipſis conceſſum eſt.

§. 427.

§. 427.

Cura aucupii. Par ratio est avium ferarum; inde de his similia, ac de quadrupedibus feris, statuenda sunt in civitate (§. 426.). Ideoque *opus est jure aucupii, & legibus aucupium ad salutem publicam moderantibus.*

Jura aucupii similiter dividuntur, ac jura venandi quadrupedes feras. Ad summum aucupium referuntur struthiones, ardeæ, inprimis cristis elegantibus instructæ, cygni, tardæ, urogalli, phasiani, cæt.; ad medium tetraones (Birkhühner), attagines, rubetræ eximiæ, cæt.; ad infimum, perdices, anseres, anates, fulicæ, coturnices, ficedulæ, turdi, palumbes, turtures, cæt.

§. 428.

Cura piscationis salutaris. Pisces cum plurium alimentis, & nonnusquam historia teste soli, inserviant (§ 423), *cum jura tum leges piscandi salutares in rep. requiruntur* (§. 426.), sive pisces fluviatiles spectes, sive marinos Quod ex paritate rationis non minus valet de cæteris edulibus dulcium aquarum, lacuum, stagnorum, & marium ipsorum animantibus, quocunque nomine appellantur, & sive cute, sive crustis, sive testis tegantur; nec non de amphibiis (§. 423.).

Potuisset quoque jus piscandi haud secus dividi atque reliquum jus feras capiendi bestias. Sed plerumque id minus attenditur, aut passim restringitur ad quædam genera aquatilium, aut ad piscium majoris seu molis seu multitudinis, vel ad instrumenta capturæ angustiora & ampliora, uti retia, sagenas seu verricula cæt.

§. 429.

Cura circa pecudes peregrinas. Licet cibi domestici merito præponantur peregrinis (§. 421.); *sapienter tamen curandum est, ut peregrinæ pecudes animantesque cæteræ alibi abundantes, vel minori pretio ac domesticæ, vel, si meliores illis sint, majori quoque seu emantur seu permutentur cum aliis domi*

redun-

redundantibus, ut mactari possint, aut si id fieri queat, inter domesticas educari, multiplicari, & e peregrinis domesticæ fieri possint, quatenus id e re publica futurum esse intelligitur (§. 410.).

Ita meliores oves, vaccæ, gallinæ cæt. passim aliunde arcessitæ jam habentur studioseque coluntur & propagantur fere ut in natali climate, modo observentur, quæ in patria usitantur. Si quando autem successu temporis ob climatis indolem degenerare nobilior indoles incipit, reparanda est soboles aliis e patrio solo arcessitis parentibus egregiis, stirpem nobilem daturis.

§. 430.

Potionum naturalium salubritas æque exploranda est & procuranda, quantum in humana ope situm est, *ac ciborum*, ob rationes easdem (§. 396. 406. *seq.*). Quam ob rem quia plurimus est aquæ usus in omni potionum, decoctorum, jusculorumque genere, ante omnia curandum est, *ut constet de aquarum, quibus utendum est, salubritate, & si qua occurrat insalubritas, de illarum vel sanatione vel evitatione.* *Cura salubritatis potionum, præsertim aquæ.*

De modis aquæ salubritatem explorandi in physicis, diæteticis, & chemica corporum analysi agendum est. Hic sufficit notasse, aquas alias filtro, alias coctione aut destillatione, alias fermentatione aut putrefactione, alias adjectione remedii sanari; si vero ejusmodi subsidia non satisfaciunt, puteos profundiores esse effodiendos, e quibus, quantum satis est aquæ salubrioris, hauriri possit. Vltimum remedium est in translatione sedis in locum salubriorem.

§. 431.

Lactis copia dependet a cura rei pecuariæ (§. 409.), ideoque aliis non indiget institutis, nisi ut *una curetur pecudum sanarum imprægnatio, a quibus lac est petendum, & nutritio copiosior, quo lac uberius suppeditent.* Quando largior lactis copia ex peregrino pecudum genere haberi potest, illud adsciscendum & deteriori surrogandum esse, quoad ejus fieri potest, patet per ratio- *Cura lactis copiosioris.*

rationes §i 421. & 429. Sicut lac naturale eſt nutrimentum fœtuum lacte nutriendorum, ob imbecillitatem ventriculi ad alios cibos digerendos: ita quoque ab aliis infirmis & ægris mortem arcere poteſt, quam alias eſſent oppetituri.

Plurimis uſitatum eſt lac vaccinum, ovillum, caprinum; paucioribus aſininum, equinum, camelinum. Humanum ſanæ mulieris homini ſalubre eſſe, dubitari nequit. Fortaſſis plurium pecudum & ſterilium quoque elici poſſet, ſi recte tractarentur ubera, nec deſperaretur, ubi non ſtatim copia optata obtinetur. Docuit enim experientia, in humana femina lac natum eſſe & paulatim copioſius affluxiſſe citra præviam graviditatem; & continuaſſe tres quinque & amplius annos poſt partum. De cæteris potibus naturalibus nihil addendum videtur.

§. 432.

De examine potionum artificialium.

Potionum artificialium examen ſalubritatis eo magis eſſet neceſſarium, una cum legibus accurato examini ſuperſtructis, quo minus variarum letalis indoles, exemplis ſat manifeſtata, adhuc multis perſuadetur. Indulgent enim homines gulæ ejusque deliciis & irritamentis, neque facile ab his avocantur, experientiæ triſti documento. Alii, qui ex his lucrum captant, vel & iisdem æque indulgent, præparant illas, & exquiſitis variis modis plurimorum palato & adſpectui commendant. Ita varo fieri, ut complures ante diem ſuum obeant, experientia teſtatum paſſim fecit. Idcirco cura vitæ civium hanc quoque requirit cauſæ mortiferæ inveſtigationem ſeriam, definitionemque, quatenus & quibus ſalutaris eſſe hæ potiones poſſint, vel nequeunt (§. 397. & 406.).

Quo facto legibus præcipiendum eſt, quod ſalubre deprehenditur; prohibendum vero, quid, quibus quantumque inſalubre & mortiferum fieri ſolet, non ſine pœna conveniente (§ 979. *P. VIII. Jur. nat.*), ut vitæ civium conſulatur (§. 392.). Quod eo magis conſultum neceſſariumque eſt, quo minus vulgus & imperitia civium id intelligit, ſed ſenſuum fallaci ducitur

tur dictamine & affectuum impetu. Validiores esse solent gulæ illecebræ deliciæque, quam seriæ prudentiorum seu concionatorum, seu medicorum, seu amicorum dissuasiones, quibus a sensitivo appetitu & affectu, pravaque consuetudine & sodalitate fides derogatur; etsi his argumentis nihilominus utendum, ut pœnarum metus servilis evelli ex animis possit.

Nolo hic excurrere in varia siceræ genera, quorum natura inebrians, æthereaque serius ocyusve multis letalis fuisse, deprehenditur. Anglorum ea de peste querelæ passim leguntur urgenturque boni communis causa.

§. 433.

De juribus & legibus parandi potus salubres.

Salubrium vero potionum efficiendarum propinandarumque jura & interdum privilegia sapienter sunt constituenda & tuenda in civitate. Facile enim peccaretur inscitia aut avaritia autorum parantium, nisi fide & legibus adstringerentur ad salutaria tantum adhibenda, fugienda autem in præparatione & absolutione quævis nocitura. Quæ cum per se pateant, manifesta est ratio instituendi zythopeptas & œnopœos, sanciendique leges cerevisiarias (coctorum & cauponum), vinarias & œnopolarum, ne qua adhibeatur corruptio vitæ civium infesta (§. 367.). Si quis vero ausus sit secus facere, ut parata in ipsum sit inquisitio & pœna haud eludenda (§. 302. & 368.).

§. 434.

Cura circa potiones peregrinas.

Licet potiones domesticæ naturales & artificiales præferri mereantur & debeant peregrinis, æque ac cibi (§. 429); *sapienter tamen admitti quoque possunt peregrinæ salubres*, domi deficientes & alibi abundantes, præsertim si æquo pretio cum rebus aliis domi abundantibus permutentur, *commercii juvandi causa*, & ut quæratur modus, eas, si fieri possit, domi in posterum obtinendi (§. 315. *seq.* & §. 424. *seqq. P. I. Polit.*).

Ita œnopolium in plurimis exercetur locis, ubi vel nullum vinum crescit, vel non tam generosum, ac alibi abundat. Zythopolii par est ratio, quum zythum quoque aliud atque aliud paretur aliis locis, nec ubique æque feliciter parari possit. Diversitas quoque temperamentorum corporis in causa est, ut aliis aliud genus salubrius deprehendatur, saltem videatur. Quibus nonnihil indulgendum est, æque ac illis, qui medicinæ instar peregrinis potionibus utuntur. Taceo de oleis mulsis aliisque similibus liquidiorum speciebus generibusque.

§. 435.

Necessaria amictus salubris cura.

Amictu insalubri, variisque ad vestitum & integumenta corporis humani adhibitis rebus, contagiis ipsaque pestilentia truculentissima infici corpora humana, magnasque & incredibiles civium strages edi opinione citius, tristibus constitit dudum multarum civitatum exemplis. Inde *non postremam salubritatis rerum ad amictum receptarum recipiendarumque curam in rep. esse debere innotescit* (§. 396.). Quæ cura quoque porrigitur ad avertenda quævis vitæ pericula, quæ ex rebus ad vestimenta tegumentaque pertinentibus oriri possunt (§. 368.).

§. 436.

Divisio operimentorum humanorum.

Integumenta corporis humani, quæ amictui inserviunt, vel sunt *diurna*, vel *nocturna*. Illa indumentorum vestiumque nomine veniunt; hæc lectorum. Indumenta vestimentaque vel *interiora* sunt, vel *exteriora*; utraque vel marium vel feminarum. Interiora vel proxime, vel propius tamen, quam cætera, corpus operiunt ambiuntque; exteriora remotius. Ad illa referuntur indusium, subucula, tunica (interior), vestis; ad hæc togæ, saga, chlamydes, pallia, amicula. Reliquam omitto distributionem, quæ vel ab usu vario, vel a forma diversa, vel a partibus corporis, quas, uti caput, collum, pectus, ventrem, manus, femora, pedes, tegunt, vel a materia, unde constant, petuntur. Hæc autem materia vel petitur ex animalibus, uti pel-

pelles, lana, capilli, pili, plumæ, ſericum, corium: vel ex vegetantibus, uti linum, cannabis, ſpartum, goſſypium, byſſus, lanugo clappæ nucis ſtramen, liber arborum mollior, cæt. Lecti vel ſunt inferiores, vel ſuperiores; illis jacentes incumbunt; his ſupernæ teguntur, uti ſtoreæ, ſtrata, culcitæ, pulvini, cervicalia, tegmina, ſtragulæ. Huc etiam pertinent aulæa, periſtromata, peripetasmata, tapetes, conopea, cadurca, ephippia, lecticæ, cingula, omnis generis panni, lintea, & textilia quæcunque, farcta, ſutilia & acu picta.

§. 437.

Quia veſtimenta & lecti in amictu ſunt (§. 436.), & amictus ſalubritas curanda eſt, ne vitæ periculum ſubeatur (§. 435.): *publicæ ſalubritati veſtimentorum lectorumque operam dandam eſſe in civitate*, arcendamque ſolicite inſalubritatem earum exitialem & contagioſam, omni vacat dubitatione. Id quod itidem de omni materia utriusque generis involucrorum corporis humani ex eadem cauſa ſtatuendum eſt. *Cura ſalubritatis veſtium lectorumque.*

§. 438.

Quæ amiciunt corpus noſtrum veſtium lectorumque genera, ea cum eodem caleſiunt, atque ita vapores virulentos dilatatis poris ejusdem inſinuant immittuntque copioſe. Quod experientiæ fide ſat certo conſtans, ſimul docet, *quo propius illa corpus noſtrum afficiunt, quoque magis & facilius cum ipſo incaleſcunt, eo illa eſſe pernicioſiora, ſi contagione vel peſte quadam ſint imbuta.* Hinc *& cura eo intenſior eſt adhibenda, ad contagioſam amictuum indolem & materiam, uti longe a limitibus arcendam, ita, ſi clam irrepſerit, quam optime innocuam reddendam.* *Ejusdem gradus majores.*

Dudum docuit majores noſtros contagiorum diffuſio per amictum ejusque materiam, quod vapores exhalationesque contagioſæ inficiant habitus, lectos, ipſamque eorum materiam, quodque virus acceptum transfundant in corpus humanum illa con-

trectans. Ne ergo pestilens contagium longe lateque more suo serpat, maturrime eidem occurrendum, ut ejus civium strages avertatur.

§. 439.

Quænam res sint arcendæ. Vt a finibus res contagio infectæ longe arceantur, *non sunt illæ res, quæ e locis contagiosis veniunt, intromittendæ*, sed ab ultimis divergiis & collimitiis arcendæ (§. 438.); vel e suspectis ob contagium regionibus advectæ non sunt admittendæ in arcifiniis, donec exploratum habeatur, eas contagio vacare (§. 435.). Neque discrimen ponendum inter res infectas civitatis peregrinæ & nostræ, cum ambæ æque sint vitæ civium exitiosæ.

§. 440.

Etiamsi non ad amictum faciant. Docet experientia, alias quoque res, ad amictum non necessarias, item homines ipsos, aliaque animata contagio ita infici posse, ut alios vicissim inficiant: ea propter & homines, & bestiæ, & res quæcunque imbibere effluvia contagiosa, & inhærentia secum transferre valent, arceri debent a confinio, ne quemquam inficiant causa mortis (§. 439.).

§. 441.

Quomodo purgandæ sint res infectæ aut suspectæ. Causæ contagiosæ non solent esse, nisi effluvia corrupta, h. e. exhalationes & vapores sudoresque pravi, corporibus infectis inhærentes aut adhærentes per inquinamentum quoddam. Eapropter *res infectæ*, v. c. ædium pestilentium, hominum peste absumtorum; item ex locis contagiosis allatæ & contagii suspectæ, quæ aqua ablui & omnino purgari, aut igne torreri, & sic ab inquinamentis liberari possunt, *probe probeque sunt repurgandæ, ante quam in civitatem admittantur*, aut sanorum hominum usui concedantur. Quia nisi hoc modo causæ contagii tollantur, eæ homines inficiunt, magnaque strage edita (§ 440.) civitatem depopulantur.

Sic

Sic v. c. pecunia peſte infectorum, qua aliquid emi ſibi cupiunt, injicitur aquæ, qua lavetur, aut & ebulliente excoquatur, & ſic purgetur ab infecturis contagio inquinamentis, ante quam ſanorum hominum manus ſubeat. Simili ratione res quoque aliæ & ſuſpectæ liberandæ ſunt ab eo, quod contagioſum in illis eſſe poſſet. Etiamſi ſuperfluum quidquam ita fieret, præſtat tamen ſupervacua agere, quam temere peſtifera admittere.

§. 442.

Quomodo homines infecti aut ſuſpecti tractandi.

Homines e locis contagioſis aut ſuſpectis venientes, animantesque cæteræ ob eandem rationem admitti non debent, donec nihil periculi ab iis imminere conſtat (§. 440.). Quocirca tamdiu extra civitatem, pagum, urbemque, & in genere extra conſortium aliorum hominum ejus civitatis, in quam admitti cupiunt, commorari jubentur, quamdiu nondum liquet, utrum contagio quodam laborent nec ne? Quod cum intra quadraginta dies exſerere ſe ſoleat recte, *jubentur quadragenam dierum foras commorari, & ab omni aliorum commercio abſtinere.* Si tum nihil contagii emergat, ſed omnes ſalui incolumesque maneant, debita purgatione rerum (§. 441.) præmiſſa admitti poſſunt, quoad conſultum videtur. Notum enim eſt, non omnes peſte infici, & eadem liberatos dein degere ſoſpites, etſi res contagioſas tractent, aut ſecum gerant, quibus alii infici poſſunt ac ſolent.

§. 443.

Item intra civitatem peſte infecti cum rebus ſuis?

Eædem rationes quoque poſtulant, ut oborta jam intra civitatem, urbem & pagum peſte, aliave contagione & lue perniciosa, homines intra ædes infectas coërceantur & cogantur abſtinere ab aliorum, & alii ab eorum commercio, ne malum latius ſerpat (§. 441.). Vnde *res infectæ*, quarum difficilis aut vix ſperanda eſt purgatio ab inquinamentis contagioſis, *rectius comburuntur, quam pauperibus donantur. Aedes vero* infectæ aut pro peſte infe-

infectis seorsum conditæ, quam optime fieri potest, *claudendæ, rebus salutaribus instruendæ, custodibus sepiendæ*, & seu absumtis incolis & dominis, seu nonnullis sanitati restitutis, quo optime fieri potest modo, sunt repurgandæ, ante quam hæredibus libere habitandæ concedantur, aut ab aliis rursus frequententur. *Laborantibus* autem *peste* & contagiis *subveniendum esse alimentis, cura & medicamentis*, quibus optime illis consuli potest; *cadavera autem peste abreptorum ita efferenda & terræ mandanda esse, ne quid inde periculi aliis creetur*, ex ante dictis manifestum est.

Compendii studio multa hic in summam contraximus perbrevem, quæ evolvi & uberius corroborari facile potuissent. Scilicet usitatum olim est, & facile perspicitur, ob quas rationes maximi momenti, ut, antequam ædes inficiantur, qui peste correpti videntur, ab aliorum consortio removeantur, & vel sub dio commorentur, dum cœlum patitur, vel obstante ejus inclementia intra nosocomia peste infectorum concludantur ægri vel suspecti de contagio, gradibus tamen & in his sapienter observatis. Præterea chirurgis opus est & medicis, & pharmaceutis diligenter ea, quæ contagiis obstant & medentur, invenientibus, & inventa aut usu dudum comprobata dextre applicantibus. Vbi fieri potest, ut inservientes contagiosis non sine periculo suo, abstineant ab aliorum consortio, ibi nec ea pars sapientiæ est prætermittenda. Vbi vero id fieri nequit, ibi sanitatis administris tam remote opem ferre ægris convenit, ut extra teli contagiosi jactum id faciant. Idem illud valet quoque de ministris ecclesiæ ut medicis animorum salvandorum.

§. 444.

Cura salubritatis domiciliorum. Quæ hic dicta sunt de ædibus ab infectione contagiosa defendendis liberandisque, ea in genere *nobis suggerunt curam salubritatis domiciliorum in re publ. minime negligendam.* Apertum enim est, domum peste similive contagio infectam, pestilentem esse & fieri eam ingredientibus & in eadem commorantibus; nec

nec his tantum, ſed ea unica urbem, provinciam, regnum & imperium integrum infici, & terribili exitio, internecione ac vaſtatione multari ſolere, ni ſapienter illi officiatur (§. 441. & 443.). Sed præter peſtem & plagam luemve contagioſam, dantur & aliæ cauſæ exitioſæ, quæ ædibus ineſſe, ac incolentium vitæ mortiferæ evadere poſſunt, etſi non tantam civium cladem, ac illæ, pariunt. Quæ quia itidem cives interimunt, qui prodeſſe civitati diutius potuiſſent, & in rep. conſervandæ civium vitæ, quanta poteſt, opera navanda (§. 367.): dubio caret, curam ſalubritatis domiciliorum neutiquam eſſe negligendam.

§. 445.

Cura circa ædes peſtifero vitio nocituras.

Si qua regio vitioſitate ædium latius ſerpente laborat, quæ & incolis peſtifera fiat, utique curandum eſt, ut illa arceatur, aut inopinato oborta, ſanetur, ſi fieri poſſit; ſi nequeat, ædes diruantur. Inficiunt nempe hujusmodi ædes ſua vitioſitate incolas, & virus ſuum in eosdem transfundunt, per hypotheſin, ex §. 441. liquidam. Cura igitur ſalubritatis ædium nequaquam negligenda (§. 444.), requirit, ut inſalubritas ea incolis nocitura, aut plane exitioſa futura avertatur, quantum opis eſt humanæ; ſi nihilo ſecius ingruerit, nil ſapientius fieri & cenſeri poteſt, quam ut quantocyus expellatur, aut ſi expelli nequeat, ipſæ ædes deſtruantur, ſive comburendo, ſive diruendo, ne ignaris peſtiferæ indolis evadant fatales.

Hujusmodi peſtis fuit ædium leproſarum, de quibus Moſes non ſine juſſu divino ſapienter præcepit, *Levit.* XIV, 33-47. eas eſſe vacuefaciendas, ne res hominesque ab illis inficiantur, & niſi ſanentur, diruta parte infecta & reparata, integras eſſe demoliendas, lapidesque, lignum & cæmentum ejicienda in locum impurum. Si malum hujusmodi ſit naturale, remedia naturalia erunt quærenda; ſi ſupernaturale, nec aliud dabitur remedium, quam ex eodem fonte hauriendum. Exemplo ſunt

ſoror Moſis *Deuteron.* XXIV, 14. & *Num.* XII, 10. *ſeqq.* & Uſiah 2 *Chron.* XXVI, 19. *ſeqq.* Quæ de domo leproſa ibi præcipiuntur, eadem & ad res quascunque alias, ipſosque homines leproſos merito applicantur, qui, ne alios inficerent, excludebantur ex eorum conſortio, & ſeparatim habitare, aut includi locis peculiaribus & ſegregatis jubebantur. *Levit.* XIII. *tot.* & XIV. 3. *ſeqq.*

§. 446.

Quomodo avertatur talis vitioſitas?

Si naturale eſt hujusmodi vitium domorum, oritur illud e vitioſo ligno, lapide, cæmento, aut & ſolo putrido, ideoque *arcetur, ſi prohibeatur, ne quis in ſolo putrido, vel e materia putredini facile obnoxia ædes ſtruat.* Prius docet experientia, fida rerum magiſtra. Poſterius liquet, quia cauſa vitioſitatis averſa ipſa avertitur vitioſitas, præſertim quoties, uti hic, alia illius cauſa non eſt (§. 898. *Ontol.*). Vitando igitur ſolum putreſcens & inficiens, quod ſuperſtruitur, putredine, vitando materiam ædium immaturam, aut corruptione putida laborantem, arcetur ædium peſtifera corruptio. Vetandum igitur dominis architectisque, ne impune peccare contra leges audeant.

Etiam nunc ædes non quidem lepram corrodentem inficientemque & conſumentem gangrænæ inſtar parietes & muros experiuntur; attamen quandoque ſentiunt vitium corruptionis putris, materiem ſenſim ſitu, eroſione ac diſſolutione afficientis & collabefacientis. Quod in cauſa eſſe ſolet, ut calx vel gypſum dealbans brevi tempore decidat, & quotiescunque renovetur, aut & muro abraſo denuo profundius immittatur, tamen paullo poſt iterum dehiſcat diſcedatque. Fons ejusdem vel in ſolo putri & urinoſo ſimilique ſale gravido, vel in lapide imperfecto & humorem imbibente, vel in ligno putredine laborante dari conſuevit. Vnde ab his cavendum, vel hæc interdicenda eſſe intelligitur. Non adeo noxium eſt hoc ædium vitium ac lepra, interim nocet, conſumit tapetia, & tabulata, & alia, ut effluvia effœta ſitus, ſqualoris, marcoris, corruptionis & fœtoris ſanitati vitæque obſint.

§. 447.

§. 447.

Si quid letiferum in ædibus olim exstructis nascatur, legum Mosaicarum exemplum docet, quid medelæ earum vitiositati sit adhibendum (§. 445.). Infectionem domiciliorum a contagiis quoque oriri, & pariter publica magistratus cura, & legum salubrium adjumento atque exsecutione removendam esse, patet ex §. 443. *Quomodo expellatur.*

§. 448.

Potest & ruina domiciliorum inhabitatores enecare, & prætereuntes, nec desunt ita obrutorum extinctorumque exempla. Quamobrem *curandum* quoque *est in civitate, ut ædes & ab initio ita exstruantur, quo durare in longum tempus possint, ideoque a metu ruinæ immunes sint, & si quocunque modo in eum statum perveniunt, quo ruinam minantur, ut reparentur, seu dirutæ restituantur.* Quem in finem *& legibus opus est*, & *ædilium autoritate, diligentique inspectione* (§. 392.). *Ruina ædium uti avertenda?*

Cum cedentis soli & labascentis variis de causis, tum materiæ pravitate seu primordiali, seu dein vetustate temporis, incolarum nequitia aut ignorantia & imprudentia, aut hostium vi & odio contracta, contingere solet, ut ædes labefactentur, & ruina impendeat, etiamsi architectorum fabrorumque nulla accesserit culpa. Quapropter tollendis his ruinæ mortiferæ causis sapienter est occurrendum legibus institutisque, quæ usus præstare cæteris ostendit.

§. 449.

Similiter eluvionibus & aggerum perruptionibus ibi junctis viribus sapienter occurrendum, ubi ab his haud paucis accolis interitus est metuendus (§. 368.). Nec minus avertendum est vitæ civium periculum, *quod a navibus* seu male structis, seu vetustis, seu a vermibus erosis, quod *a pontibus, ponticulis, pontonibus* & id genus aliis vehiculis struibusque *proficisci solet.* Summatim omnis generis vitæ pericula arcenda sunt a civibus, quæ & quate- *Item similia pericula quævis.*

nus humana, præſertim publica, ope caveri poſſunt (§. *eod.*). Neque temere ullum in his legum, ſanctionum pœnalium, utilium inſtitutorum, vigilantiæque adminiculum eſt prætermittendum.

SECTIO II.

CAPVT II.

DE

Sapienti cura ſanitatis reliquorum corporis bonorum.

§. 450.

De curæ valetudinis neceſſitate.

Mortem naturalem plerumque pendere a morbis, neminem fugit. Morbi autem e diametro obſtant ſanitati, tantæ corporis viventis præſtantiæ, perfectioni (§ 391. *P. I. Jur. nat.*), ipſi quoque animo ſervienti, ut vitæ, ſine qua dari nequit, non tantum velut integritas ejus æquiparetur, ſed & quadamtenus recte præferatur, quod ægris notum eſt ſanisque. Cum profligandi ſint e civitate, quantum datur, morbi exitioſi (§. 391.), cum vita ſapienter conſervanda ſit, vitandumque, quidquid ejus conſervationi adverſatur (§. 368.): obſcurum eſſe nemini poteſt, *morbos in civitate ſolicite eſſe cavendos ſanandosque; & ſanitatem omni cura conſervandam reſtituendamque, quoad ejus fieri poteſt;* & in genere *curam valetudinis publicam perneceſſariam eſſe.*

Neque tantum morbi vitæ ſunt infeſti, ſanitatemque lædunt, ſed in ſe quoque & ſingulis civibus nocent, & univerſitati eorum, quatenus eos impediunt redduntque ineptos, aut prorſus impotes, ad ea, quæ vel privatim, vel publice ipſis ſubeunda ſunt, officia. Quoniam igitur ſuperior in civitate obli-

obligatur ad conferendum, quidquid potest, ad sanitatem civium conservandam, amissamque restituendam (§. 715. *P. VIII. Jur. nat.*), & ad instituenda subsidia, quibus officiis suis satisfacturi adjuventur, & ab impedimentis liberentur (§. 396. *seq. ibid.*): vel ex eo capite apparet, morbos esse profligandos, sanitatemque quam optime tuendam procurandamque.

Sanitatem strictius sumtam esse statum corporis vivi aptum ad usus omnes, quibus partes ejus destinantur, vel illum corporis nostri statum, quo singulæ partes ad munia sua peragenda aptæ sunt & expeditæ, docetur uberius *Horar. subseciv. Marburg. P. I. p. 328. seqq.* Vnde, quia morbus sanitati repugnat, is erit status ineptus ad functiones corporis vivi partium obeundas, *ibid. p. 481*: curam sanitatis involvere fugam omnium morborum, dubio caret. Vivum autem est corpus, dum menti est conjunctum, vel dum respirat, & sanguinis circuitu gaudet. Valetudo infert habitudinem corporis viventis ad sua munera obeunda, & quantum in illis præstare possit.

§. 451.

Quid sit valetudo secunda, & adversa.

Valetudo bona, sanitas est, mala, morbus. Est enim valetudo habitus corporis viventis ad munia sua obeunda (§. 450.). Sed habitus ille est status aptissimus ad suos fines ususque, & vel convenire potest, cum muneribus suis, h. e. cum functionibus earumque usibus, ad quas destinantur ejus partes a Deo; vel non convenire, seu illis repugnare. Priori casu par erit habitus suis functionibus præstandis; posteriori impar; seu priori, valetudo erit bona & secunda, h. e. sanitas; posteriori, mala seu adversa, h. e. morbus (§. 451.). Liquet ergo, valetudinem secundam esse sanitatem; adversam esse morbum, insanitatem invaletudinemque. Hinc sanitas quoque dici potest habitus corporis viventis fungendi suis muneribus, & morbus, defectus sanitatis.

§. 452.

Gradus valetudinis varii.

Dantur vero diversi valetudinis gradus, ideoque tum sanitatis, tum morborum. Quia valetudo est habitudo viventis ad suas functiones (§. 450.); corpus vivens autem variis gaudet organis, seu membris & partibus, & unaquæque pars aut magis aut minus apta, habilis & expedita esse potest ad suas functiones: duplex datur graduum valetudinis fundamentum, materiale & formale. Ratione materiæ *eo major erit valetudo corporis vivi, quo plures ejus partes illa afficiuntur, & eo minor, quo pauciores partes illa sunt affectæ.* Ita *sanitas est eo major, quo plures partes corporis habitu pollent fungendi suis muneribus*, tum vero *maxima*, cum *omnes partes habilitate suos præstandi usus instructæ sunt. Eo* autem *bona valetudo est minor, quo pauciores partes ad peragendas suas functiones aptæ sunt expeditæque.* Item *morbi eo sunt majores, quo major est numerus partium insanarum;* & *eo minores, quo minor est partium ægrarum numerus.* Ratione formæ autem, *quo magis membrum corporis*, seu organum, *aptum est ad suas functiones, quoque melius, constantius expeditiusque iisdem sufficit, eo perfectior sanitas erit & melior; quo vero minus aptum expeditumque ad agendum, seu* quo ineptius & deterius agit, *quo magis habitu caret suas edendi functiones, eo* valetudo adversa, seu *morbus erit major*, pertinaciorque. *Optima* igitur *erit* valetudo secunda, sive *sanitas*, quando partes corporis omnibus suis functionibus pares sunt non tantum, sed & in iisdem expeditissimæ, ut agere valeant, quidquid possunt, idque facillime, citissime, promtissimeque citra defectum evitabilem; *optima vero & maxima simul*, cum omnes partes corporis optima gaudent valetudine. *Pessima* vero erit valetudo, cum pars corporis vix uni utcunque inservit functioni; & *minima* simul, cum vix una alterave pars uni inservit functioni.

Singularum partium vivi corporis sanitas, & ejus usus, item morbi eorumque varietas, scientia & sanatio medicis merito re-

lin-

linquitur. Hic enim utriusque valetudinis habitus ad philosophiam civilem tantum consideratur, quatenus ejus cura civitati incumbit, & sapienter instituenda est. Quare & magnitudo & bonitas sanitatis hic est spectanda, ut, quid utrique debeatur, melius perspici ostendique possit, quid promovendus illius usus ad civitatis salutem involvat.

§. 453.

Præterea *notari quoque meretur sanitatis & morborum diversa vis, duratio & efficientia in vitam humanam mortemque.* Dantur enim functiones aliæ, quæ corporis nutritioni & vegetationi, aliæ, quæ vitæ ipsi, aliæ, quæ mentis operationibus in cognoscendo appetendoque inserviunt. Hæ vocantur animales, illæ vitales, istæ naturales. Sine animalibus actiones mentis externæ, quæ vel sensitivæ sunt, vel rationales & humanæ, absolvi nequeunt; sine vitalibus durare vita corporis & actio humana nequit; & sine naturalibus nec vita durare & stabilis esse potest, nec sensio, intellectio & motus voluntarius, nec vegetatio, digestio, chylificatio, nutritio, agilitas, vigor, secretio, propagatio & transpiratio: quemadmodum & sine vita actiones naturales dari nequeunt. Proinde momentum valetudinis metiendum est potissimum ex eo, quod facit ad actiones humanas ad civitatis salutem comparandas. Naturalium igitur & vitalium functionum cura eatenus præsertim est necessaria, quatenus illa facit ad habitus actionum humanarum perficiendos. Cum in his vita humana saluti publicæ proficua, & in ejus privatione mors contineatur: oppido liquet, sanitatis morborumque momentum niti vi, stabilitate & efficientia in vitam humanam mortemque.

Momentum valetudinis diversum.

Extra controversiam positum est, hominem functionibus tantum naturalibus & vitalibus gaudentem civitatis saluti operari non posse, sive actionibus sensitivis adhuc gaudeat, sive his quoque propemodum careat. Non igitur nisi virtutum exemplo aliis prodesse potest & documento, in quem statum redigi homo

pos-

possit, si id agat, ut illi obnoxius fiat. Meretur igitur vita vel ob hunc usum in civitate conservari.

§. 454.

Quid postulet publica valetudinis cura?

Quia valetudinis momentum præcipuum est in tuenda vita humana, ad salutem publicam requisita (§. 453): dispalescit, *curam valetudinis præcipuam versari debere in tuenda valetudine bona organorum, sensus & motus voluntarii. Quatenus* tamen *illa haberi nequit, nisi functionum vitalium & naturalium salva continuatione (ibid.); eatenus & illarum valetudo bene est curanda* (§ 450.).

§. 455.

Quid propius contineat, quid remotius.

Ratione salutis publicæ propius afficit civitatem cura valetudinis præcipua, seu actionum humanarum, remotius solarum animalium, naturalium & vitalium. Etenim in civitate singuli se obligant universis, & universi vicissim singulis, ad commune bonum, quantum valent singuli & universi, promovendum (§. 28. *P. VIII. Jur. nat.*). Sed obligatio non est nisi necessitas moralis, ex connexione incitamenti cum actione libera perspicienda (§ 115. & 118. *P. I. Phil. pract. univ.*). Quapropter ea locum non habet nisi in actionibus humanis, ex intellectu, voluntate & facultate locomotiva oriundis (§. 70. *ibid.*). Constat igitur, curam civitatis nil propius occupare & afficere cura actionum humanarum, & valetudinis ad eam requisitæ, quam dicemus *sanitatem humanam*, vel homini propriam.

Quatenus vero valetudo secunda animalis cum vitali naturalique basis est sanitatis humanæ, eatenus & illius cura in civitate est necessaria (§. 454). Sed quia propter humanam sanitatem potissime & proxime laborandum est in civitate: illius cura non nisi remotius afficit civitatem, tanquam cura subsidii, sine quo humana sanitas haberi nequit. Sanitas ergo animalis, naturalis & vitalis, non est nisi sanitas communis homini cum bestiis, ideoque naturalis & vitalis sub animali continetur.

§. 456.

§. 456.

Dum cura sanitatis humanæ propius, animalis remotius afficit remp. (§. 455.), *illius cura* dicatur *propior*, hæc *remotior.* Propiori igitur cura sanitatis hominum amplectenda & studiosius procuranda est sanitas humana; remotiori vero eorundem hominum sanitas animalis. Neutra vero in civitate est negligenda, neutra curari recte potest & ex asse, nisi simul morbis utrique obstantibus medela optima paretur, quanta conjunctis viribus obtineri potest (§. 450.).

Quæ cura sanitatis propior, quid remotior sit.

§. 457.

Vniversis quidem in civitate jus est cogendi singulos, ut satisfaciant suæ obligationi, si vel id facere nolint, vel in eo negligentiores se præbeant (§. 29. *P. VIII. Jur. nat.*); civitati tamen in vitam civium nihil licet, nisi quando crimina sine pœnis capitalibus coërceri nequeunt (§. 638. *ibid.*), aut resp. aliter salva esse nequit, ut in bello. Hinc quia morbus, quo quis usu rationis orbatur, ideoque functionibus humanis impar redditur, crimen non est, sed calamitas civiliter insontis, nec civitatis salus periclitatur, si ejus vita vel animalis tantum conservetur: *civitati nihil licet in vitam vel eorum civium, qui morbo impotes redditi sunt vitæ humanæ, & vix degunt aliam vitam, quam animalem tantum, etsi aliis molestam, aut & infestam.* Nesciunt enim, quid tum agant, inde nec delinquunt, nec crimen committunt, etiamsi hominem trucident (§. 670. *ibid.*). Vnde *sufficit, si in eum statum redigantur, ne nocere sibi aliisve possint, etiamsi conentur* (§. 670. *P. VIII. Jur. nat.*). Et horum igitur vita est conservanda, *& horum morbis afferenda medela, qua, si superabiles sunt, sanentur.* Vellet id quisque sibi fieri in simili statu, unde æquum est, ut id ipsi præstetur ab aliis (§. 99. *P. I. Jur. nat.*) & (§. 608. *ibid.*). Idem quoque requirit propior sanitatis humanæ cura, & officiis erga Deum vacans, & sperans, dum vita superest, aut

Cura sanitatis humanæ, etsi molesta.

convaleſcentiam & reſtitutionem uſus rationis, aut alium ſapientem vitæ exitum (§. 456.) & (§. 928 *ſeqq. P. I. Theol. nat.*); nec involare cupiens in reſervatum Deo vitæ hominum arbitrium. (§. 970. *ibid.*).

§. 458.

Cura delirorum & furioſorum. Quia nihil licet civitati in vitam hominum, uſu rationis ob morbum captorum (§. 457.): nec mente capti, delirantes, furioſi, etiamſi admiſerint facinus alias morte luendum, e vita ſunt exturbandi, ne aliis moleſti ſint (§. 671. *P. VIII. Jur. nat.*); *ſed laborandum eſt conſanguineis, affinibus, amicis, aut, his deficientibus, civitati ipſi publico ſumtu, ut eorum vita & ſanitas humana recuperetur, ſi fieri poſſit, furor vero interim, delirium & amentia coërceatur, ne ſibi aliisque noceat; ſi vel iſta ſpes decollet, Deo tamen arbitrium de ipſorum vita ſtatuendi eſt relinquendum, & cuilibet homini, & civitati* (§. 192 *ſeqq. P. IV. Ethic.*).

§. 459.

Opus eſt gyrgathis variis. Eo quod hæc cura delirorum furioſorumque plerumque privatorum civium vires excedit, licet nonnihil impendiorum ad ſuorum curam ſanitatis recuperandæ & vitæ conſervandæ conferre poſſint, re ipſa teſte: *publicis ſumtibus pro mente captis, deliris, & furioſis, loco idoneo conſtruenda, conſervanda, & præfectis, medicis, chirurgis, cuſtodibus, ſervisque, alimentis medicamentisque inſtruenda ſunt clauſtra diverſi generis, in quibus miſeris illis, quam optime fieri poteſt, conſulatur.* Quæ cum *gyrgathi* dicantur (Tollhäuſer): patet, *gyrgathis opus eſſe in urbibus emporiisque amplis* (§. 739. *P. VIII. Jur. nat.*).

In his clauſtris firmamentisque cuſtodiarum pro gradu dementiæ, maniæ & rabiei, diverſis opus eſt conclavibus, caveis, clatris, gyrgathisque, ut neque in ſe ipſos, neque in ſe invicem, neque in alios ſævire in paroxysmis poſſint. Quæ omnia publicos requirere ſumtus, & publicam ſapientiam autoritatemque, nemo non videt.

§. 460.

§. 460.

Similiter *pro aliis ægrotis*, atra bile laborantibus decrepitisque, quorum ipsa senectus morbus & marasmus esse solet, sensim eos conficiens, *quatenus officiis erga se sunt impares*, *condenda sunt jobæa*, *nosocomia & valetudinaria*, in quibus, si non sanari, saltem levari ipsorum morbus, & vita sustentari possit, donec a Deo repetatur, auferaturque (§. 458. *seq.*). Quæ commode connecti sic cum gyrgathis possunt, ut nocere alii ægri aliis nequeant, & sumtuum compendium obtineatur. Separandi tamen contagioso morbo decumbentes ab iis, qui a contagione sunt immunes, & multo magis peste correpti ab omnibus aliis ægrotis (§. 443.). *Et nosocomiis.*

Nefarie olim stoici quidam sibimet ipsis imperarunt & intulerunt mortem, quando id ipsis consultum videbatur. Nefarie alii populi senes vietos & veternosos depontanos fieri voluerunt, aut enecarunt, turpiter in Dei jus vitæ & necis involantes, insontesque damnantes. Non est igitur tale nefas in civitate tolerandum, sed publico instituto vel neglectui officii privati medendum.

§. 461.

Ad morbos hominum a civitate quam optime arcendos, & obortos sanandos quidquid facit, id in civitate est necessarium constituendumque sapienter. Etenim necessarium est, ut morbi arceantur sanenturque (§. 450.). Sed qui cupit consecutionem finis, is nequit aversari adjumenta, sine quibus is obtineri nequit (§. 941. *Ontol.*), & qui sapit, is nihil omittit eorum, quæ faciunt ad obtinendum finem suum, sed ubi plura dantur, ibi meliora & certiora cæteris præfert, viam sequens brevissimam, ubi ambages nihilo plus præstarent (§. 678 *seqq. Psychol. rat.*). Requirit igitur sapiens constitutio reip. (§. 393. *P. VIII. Jur. nat.*) ratione sanitatis, ut quæcunque faciunt ad morbos arcendos sa- *Opus est subsidiis sanitatis.*

ſanandosque, ea ſapienter conſtituantur (§. 717. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 462.

Gradus hujus curæ.

Si ſapienter conſtituenda ſunt ſanitatis civium ſubſidia (§. 461.): *quo illa plus atque propius faciunt ad ſanitatis præſidia & remedia, eo majori diligentiorique cura illa ſunt dignanda, procuranda & perficienda in civitate; eoque facilior, promtior & accuratior eorum uſus eſt procurandus*, ut res præſto ſint egentibus illis, & modus eas optime applicandi non ignoretur.

§. 463.

Excolendæ ſunt artes ſanitati profuturæ.

Excolendæ igitur & exercendæ rite ſunt in civitate ſcientiæ & artes ſanitati tuendæ & recuperandæ inſervientes, cujusmodi ſunt *medicæ, chirurgicæ, pharmaceuticæ & chemicæ.* Etenim ſcientiæ & artes ſanitati tuendæ & recuperandæ inſervientes propius, quam aliæ, faciunt ad ſanitatem civium procurandam, quod per ſe liquet. Eapropter & hæ diligentius in civitate ſunt excolendæ exercendæque quam optime (§. 462.). Sed chemica analyſis corporum explorat partes, vires & uſus. Pharmaceutica præparat medicamenta ſimplicia & compoſita, quæ ope chemiæ jam ſunt explorata, & divendit. Chirurgia habitu manuum ſanat vulnera, laxationes, oſſium fractiones, tumores & ulcera; & diſſecat aliter inſanabilia. Medica ſcientia & ars ſanandis morbis internis occultioribus remedia ſuppeditat. Hæ igitur artes in rep. ſunt perficiendæ (§. 717. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 464.

Opus eſt chemicis.

Opus eſt in civitate chemicis, qui in academiis ſcientiarum ſunt alendi (§. 313. *P. II. Polit.*), ut analyſi corporum naturalium naturam, uſusque ignotos explorent, notos vero emendent amplificentque (§. 411. 417. 452. & 456. *ibidem*). De inventis ab ea, cum academia ſcientiarum, utrum vera & certa ſint, tum

tum majestas statuet, quomodo illa sint in civitatis usus transferenda (§. 461. & 462. *ibid.*). Eisdem quoque committendum examen ab aliis repertorum, si publico testimonio aut privilegio gaudere velint.

Spectatur hic chemia quoad usus sanitati profuturos, qui multiplices esse possunt ac solent. Subservit illa rei pharmaceuticæ, chirurgicæ, materiæ medicæ & therapeuticæ. Cæteri enim usus ejusdem non sunt hujus loci.

§. 465.

Item Pharmaceutis & pharmacopoliis.

Opus est pharmaceutis & pharmacopoliis, bene instructis ab omnibus, quorum usus in re chirurgica & medica requiritur, & visitandis subinde, num idonea & genuina sint medicamenta. Sunt enim pharmaceutæ, qui scientiam & artem callent internoscendi, conservandi & conficiendi medicamenta omnis generis; pharmacopolia autem officinæ, in quibus medicamenta parata venduntur emunturque. Quibus indigere civitatem, patet per §. 463. Ne vero inutilia, corrupta aut noxia sint, quæ prodesse civibus debent (§. 414 *seq. P. I. Jur. nat.*), utique idemtidem examine opus est, in visitatione eorum a peritissimis medicis publica autoritate instituendo (§. 941. *Ontol.*).

§. 466.

Eorumque privilegiis salutaribus.

Ut abundare pharmacopolia possint genuinis medicamentis, instruenda sunt privilegiis, quibus honeste sibi suisque consulant pharmacopolæ; nec concedenda nisi artis suæ omnino peritis, & ad optima quæque comparanda obligatis. Opus enim est pharmacopoliis bene instructis ab omnibus, quorum usus ad sanitatem requiritur (§. 465.). Quod cum indemne esse pharmaceutis & pharmacopolis debeat, (§. 268. & 321. *P. IV. Jur. nat.*): indulgenda ipsis sunt privilegia, quibus pares esse possint officio & civitati & sibi suisque consulendi (§. 717. *P. VIII. Jur. nat.*). Quibus ut recte uti possint, non danda sunt nisi sat peritis eorum,

quæ noſſe & tractare debent; & ut idem quoque velint & faciant, obligandi ſunt, quemadmodum reliqui cives ad ſua quique officia obligantur (§. 396. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 467.

Peregrinis quoque medicamentis.

Præcipue igitur, uti in alimentis, ita & in medicamentis, domeſticorum copia debet eſſet exquiſita & ſuffectura; quibus accenſeri poſſunt thermæ & acidulæ ſalubres, ubi occurrunt; his autem deficientibus, aut ad ſcopum imparibus, præſtantiſſimorum quoque peregrinorum remediorum copia eſt comparanda. Domeſtica enim corporibus civium ſolent eſſe convenientiora, ob climatis indolem, eadem & recentiora, abundantiora ac efficaciora haberi poſſunt, quam longe petenda; ideoque & viliora eſſe conſueverunt peregrinis, ſi cæterorum paritas habeatur, uti in alimentis (§. 410.). Enimvero uti alimentorum domeſticorum defectus, undecunque ortus, quam optime fieri poteſt, peregrinis ſupplendus eſt (§. 418.): ita ob easdem cauſas idem quoque valet in cura medicamentorum, thermarum & acidularum ſalubrium, cæt. Non parcendum igitur ſumtibus eſt, neceſſariis ad comparanda & incorrupte conſervanda quoque peregrina medicamenta, inprimis ſimplicia, quæ clima domeſticum aut non fert, aut non ejus indolis & vis fert, quæ in ipſis alibi datur. Cujusmodi non pauca dari, diuturnus rerum uſus docuit majores, docetque nos etiam nunc.

§. 468.

Et taxa pharmaceutica.

Ut æquo pretio cives comparare ſibi medicamenta poſſint, opus eſt pretio medicamentis præcipuis carioribus præſtituto, quo nec pharmacopolæ, nec cives lædantur. Privilegia enim, quibus Pharmaceutæ & pharmacopolæ inſtruendi ſunt (§. 466.), poſſent in abuſum & damnum civitatis verti, ut conſpirantes inter ſe pharmacopolæ medicamenta nimis caro venderent. Quod cum ipſis permittendum non ſit, recte initur æſtimatio pretii medicamen-

mentorum æqui, idque divulgatur (§. 717. *P. VIII. Jur. nat.*), ne ignorari ab illis possit, qui damni sui avertendi sunt studiosi. Par & hic occurrit ratio, ac in alimentis (§. 406.) & (§. 417. *P. VIII. Jur. nat.*).

Solent hæ leges variari, pro locorum varietate, quia, ubi copiosiora sunt quædam medicamenta, aut minori pretio emi possunt, ibi quoque minoris possunt vendi, his, qui eorum usu indigent. Contra ea, ubi rariora habentur, & carius emenda sunt, ibi quoque majoris sunt vendenda. Pauperum causa dispiciendum est, quænam viliora medicamenta cariorum loco adhiberi & propinari ipsis possint, in primis e rebus domesticis. Appellari solent leges pretiorum pharmaceuticorum Apothecker Taxen, vel Artzeney-Taxen. Quanquam præter pretia & alia legibus pharmaceuticis publicæ salutis causa inculcari solent.

§. 469.

Opus est chirurgis peritis, & ad diligenter fungendum partibus suis obligatis. Exercendæ enim sunt in civitate, quoties opus est, quam optime fieri potest, artes & operationes chirurgicæ varii generis (§. 463.). Sed excoli & exerceri nequeunt melius, quam ab illis, qui artem illam probe didicerunt, callent, & habitu gaudent dextre illam applicandi; id quod nemo sanus in dubium vocabit. Liquet inde, non admittendos esse in civitate imperitos chirurgos, qui plus noceant sanitati civium, quam prosint, sed peritos potius, qui & debite didicerunt artem suam, & examinati specimina suæ peritiæ edidere fidei haud sublestæ. Ne vero degenerent, & ab officio recedant, obligatione civili cavendum est, qua bene merentes præmiis, male agentes pœnis afficiantur pro meritorum ratione. (§. 395. & 417. *P. VIII. Jur. nat.*). *Opus est chirurgis peritis fidisque.*

§. 470.

Ad excolendam chirurgiam in casibus abstrusis difficilioribusque instituendæ sunt academiæ chirurgicæ. Incidunt enim in praxi haud *Et academia chirurgica.*

raro

raro caſus perplexi & intricatiores, in quibus chirurgi, vulgarem praxin exercentes, hærent, aut ſi audacter agunt, a janua aberrant. Tunc ergo ab ipſis adeundi & conſulendi ſunt peritiores, ne hallucinentur, & ſicubi academia chirurgica datur, ipſa academia conſulenda; ſin minus, medici graves. Neque id demum in caſu emergente, ſed & antea mature explorari poteſt, problematibus hujusmodi, quæ cruces ſunt chirurgorum, excuſſioni propoſitis, præmio addito, quo afficiatur, qui optima ſuggeſſit (§. 411. & 417. *P. II. Polit.*).

§. 471.

Cujusmodi medicis opus ſit in civitate.

Potiſſimum vero opus eſt medicis, ſolidiori ſcientia arteque conſpicuis. Medici enim avertendis ſanandisque morbis internis & abſtruſioribus operam dare debent (§ 463). Quo difficilius autem eſt, eorum cauſas notasque internoſcere, & in iisdem ſanandis non niſi ægrotorum naturæ apprime conſentanea, tutiſſima & certiſſima adhibere medicamenta: eo major & ſolidior in medicis requiritur ſcientia, ſapientia & artis præſtantia. Opera igitur danda, ne medici imperiti, plurima funera daturi admittantur, ſed, qui admittendi ſunt, ſolidiori ſcientia & arte ſalutari ſint conſpicui (§. 717. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 472.

Unde colligatur peritia medicorum.

Ut conſtet rudioribus, quinam ſint rei medicæ & artis ſatis periti, vel utendum eſt publico Medicinæ Doctorum & Profeſſorum teſtimonio, qui profectus candidati ſatis explorarunt, & obligati ſunt ad conteſtandam veritatem; vel ex colloquio cum illis, de notis aliunde morborum caſibus, & felici praxi, judicium erit ferendum. De artifice enim non rectius niſi artifex judicare valet, ejusque judicium eo erit dignius aſſenſu aliorum, quo is eſt excellentior in ſua arte, & quo integrior incorruptiorque. Id quod res ipſa loquitur & ἀξιοπιςία (§. 613. *Logic.*) nec dubitationi locum relinquit. Hinc

& de medicis nemo rectius judicare valet, quam medicus; qui quo est præstantior in sua scientia & arte, quoque integrior, addo, & quo plures sunt tales in eodem judicio de quopiam consentientes: eo tutius & fide dignius ipsorum erit de scientia & arte ejus testimonium. Iam Professores medicinæ in academiis non sunt constituendi, nisi de quorum scientia, fide, dono didactico, & arte medica satis constet intelligentibus harum rerum judicibus, ex certa animi convictione editisque speciminibus haud suspectis (§. 390. *P. II. Polit.*). Qui dum sancte obligantur ad ingenuum de veritate testimonium edendum, & pœnam habent metuendam, si corrumpi se patiantur; dum plures hujusmodi consentiunt in idem testimonium, quorum integritas aliunde quoque perspecta habetur: eorum testimonium omnium assensu dignum erit statuendum, qui, cum sint rudiores rerum medicarum, per se de ipsis judicare nequeunt.

Si qui autem rerum medicarum, scientia gaudeant, aut perfecta, aut imperfecta, & ex parte tantum, quam partem ab aliis peritioribus audiverunt, aut in ipsorum scriptis legerunt, & experientiæ fide comprobatum habent; hi cum ipsis verba facientes de casibus difficilioribus, aut saltem de hujusmodi casibus sibi notis, & rationes dictorum urgentes, facile perspicient, num bene rem calleat is, cum quo confabulantur. Quodsi in variis casibus recte se habere deprehendatur ipsius judicium; si idem praxis felicior amplior que confirmet, accedente præsertim intelligentium approbatione ab ipso factorum: non erit, cur de ejus peritia in rebus medicis dubitetur.

Denique si habeantur quodam in loco medici dudum approbati, iique novum quendam advenam, qui se medicum dicit, explorare jubeantur, illorum consentiens encomium, aut vituperium haud suspectum invidiæ, docebit, quid & rudioribus artis medicæ, de illo sit habendum. Unius quoque me-

dici insignis, integerrimi & amici ejus, qui ipsum consulit, judicium testimoniumque rerum argumentis firmatum suo non carebit momento in dijudicanda ignoti peritia medica.

Plerumque Doctoris Medicinæ titulus, & disputatio, haud raro a Præside candidati conscripta, publici instar testimonii habentur de scientia & peritia medica ejus, qui Doctor est creatus. Si omnia recte sunt facta, uti fieri debent, possunt rudiores in illo adquiescere. Qui vero per se judicare valent, illi non ex titulo, sed ex re ipsa & indubiis rationibus suum formabunt judicium, cujus veritatem habent exploratam. Contingit nonnunquam, ut medici satis periti & felices in praxi occurrant, qui demum in adulta ætate ex libris medicis naturali meomriæ, judicii & ingenii acumine, sua hauserunt, nulloque titulo gaudent. Non possunt illi quidem dici αὐτοδίδακτοι, cum ex aliorum libris ea didicerint, quæ tenent, & ex librorum præceptis exercent. Perinde est, utrum ex ore, an ex scriptis aliorum profecerint, & si ingenue loquantur, profiteri etiam non erubescent, cui suam debeant artem. Sunt illi similes his vel rusticis, vel opificibus, qui ex aliorum libris philosophi, mathematici, mechanici facti sunt, pristinum vitæ genus seu abdicantes seu retinentes.

§. 473.

De medicorum salariis privilegiisque.

Quando medicis compertæ soliditatis & fidei diligentiæque cum neglectu rei privatæ certis publicis functionibus est vacandum, æquum est, ut illis salarium constituatur, quo indemnes præstentur, & manere potius quam abire malint, in primis si inopibus multis sit medendum. Eædem pro ipsis, ita constituendis, ut sustentari decore possint, militant rationes, quæ pro salariis omnibus (§. 907 *seqq. P. VIII. Jur. nat.*), & pro minervalibus Professorum adductæ sunt §. 393. *P. II. Polit.* Unde & privilegia immunitatesque medicorum nascuntur, quæ quandam velut partem salarii conficiunt, quatenus certa gaudent æstimatione valoris, aut & omnis salarii loco

loco sunt, si ipsis nullum datur salarium. In utroque casu patet, iniquum fore, ut ea ipsis denegentur, quibus inter cultiores gentes præsertim christianas tantum non ubique gaudent (§. 906. *P. VIII. Jur. nat.*).

En rationem, cur in aulis archiatri lautissimis honorariis, in provinciis eparchiatri, in exercitu stratiatri, in urbibus poliatri, vulgo Physici, item nosocomiatri, cænobiatrique in regnis integra medicorum collegia alantur salariis honestis, quibus si moderamen cæterorum medicorum practicorum commissum, eo rectius omnium sanitati consuli, & in casibus perplexis cæteris refugium patebit. Tempore pestis, ut ea grassari prohibeatur, adhiberi solent. Lœmiatri ob periculum, quod subeunt, eo largius alendi. Cæterum de privilegiis medicorum communibus & singularibus consulendi sunt *Knorrius* in Epistola ad Frid. Hoffmannum de juribus, privilegiis ac prærogativis medicorum; *Lampe* de honoribus, privilegiis & juribus medicorum singularibus; *Sattler* de jure & privilegiis medicorum; *Schultz* de immunitate medicorum a muneribus; *Limnæus* in jure publ. *Büchner*, qui in *Hist. Acad. Nat. Curios.* privilegia hujus societatis recenset, aliique.

§. 474.

Sanitati quoque inserviunt salubris aër, salubris cibus & potus, salubris amictus & cultus cujuscunque generis, & salubris habitatio (§. 395.). *Quare & sanitatis civium interest, ut cura publica procuretur copia salubrium alimentorum, vestimentorum, lectorum, habitaculorum, ipsiusque aëris respirandi.* (§. 461.). Inde sapienter constituendum, providendum urgendumque est in civitate, quidquid facit ad salubritatem vitæ præsidiorum promovendam, tuendam, ampliandamque. Juvandi quoque incitandique sunt, quotquot recto illorum usui operam dant, sua industria, virtute, solicitudine, suoque exemplo aliis prælucent.

Curanda salubritas vitæ præsidiorum.

§. 475.

Arcenda sunt insalubria vitæ præsidia. Si procuranda est in civitate salubrium vitæ præsidiorum copia (§. 474.): sequitur, *insalubria vitæ præsidia esse arcenda vitandaque, nisi sanari insalubritas possit.* Obstant enim insalubria quælibet sanitati (§. 399), aut & prorsus vitæ. Priori casu morbos procreant, posteriori mortem. Jam & mortem civium arcere & morbos, quantum fieri potest, oportet (§. 366. 391. & 461.). Conficitur inde, arcenda vitandaque esse insalubria vitæ præsidia quæcunque, inprimis quatenus eorum insalubritas sanari nequit.

Quatenus autem insalubritas illa sanari potest (§. 400.), eatenus æque ac aëris insalubritas est sananda (§. 401.), cujus sanabilitatis spes ex similibus petenda est fontibus, ac aëris (§. 402.). Quando penitus sanata est, salubritas illis vitæ præsidiis constabit haud secus, acsi nulla adfuisset. Quando vero tantum ex parte sanata est, ex ea parte non amplius nocebit. Ideoque si non majori copia adhibentur, quam qua nocere amplius nequeunt, nonnullius jam erunt usus.

§. 476.

Exploranda & internoscenda est eorum natura. *Explorandum igitur est diligenter, quænam vitæ præsidia sint insalubria, ut salubria ab insalubribus notarum indubiarum ope internoscantur.* Salubria vitæ præsidia civitati sunt procuranda (§. 474.); insalubria autem vitanda & arcenda (§. 475.). Horum neutrum fieri potest, nisi salubria ab insalubribus probe discerni queant (§. 395. *P. I. Jur. nat.*). Internosci salubria ab insalubribus nequeunt, nisi notæ constent indubiæ salubritatis insalubritatisque. Ut igitur hæ constent notæ, promteque observari ac applicari possint, diligenti opus est earum exploratione & propalatione, ut omnibus innotescant, quorum interest, ut eisdem rite utantur (§. 399. *ibid.*).

§. 477.

Ansam dant illi explorationi modo casus fortuiti, ubi nihil aliud, quod profuisse vel obfuisse intelligatur, adfuit; modo consilium salubritatem vel insalubritatem expiscandi, a civibus curiosis, medicis, aut academia scientiarum chemica seu analytica captum. Nempe si quid sanitati vel conservandæ vel recuperandæ sæpius profuit, quando nihil aliud adfuit, cui id deberetur; hoc occasionem præbere potest, inquirendi, quid insit illi, cui deberi is effectus possit. Vice versa, si quid nocuit sanitati, ubi nihil aliud adfuit, cui noxa illa tribuatur; ibi, si id sæpius contigit, nascitur cupido noscendi, quid causæ subsit, cur id noceat. Quæ excitat studium investigandi illam vim & indolem noxiam, cujusmodi sit, & unde ortum ducat? Utroque casu oboriri potest curiositas, vel privatis civibus talia sciscitandi, vel medicis, chemicis & physicis illa explorandi, quæ necdum comperta habent, vel indagandi causas salubritatis insalubritatisve.

Quæ sint explorandi occasiones.

Sed quoque antequam hujusmodi eventus emergat, circa res parum notas exoriri potest aviditas illas penitius noscendi, atque sic simul investigandi earum usus & abusus, commoda & incommoda, & ratione sanitatis humanæ earum cum illa convenientiam, seu discrepantiam ab illa, i. e. earum salubritatem insalubritatemve. Hujusmodi consilium arcte innexum est medicorum, chemicorum, chirurgorum & academiæ scientiarum institutis. Eapropter, vel nullo casu invitante, consilio harum scientiarum & artium deberi & suscipi potest exploratio salubritatis insalubritatisve ignotiorum, peregrinorum, saltem minus accurate perspectorum quorumvis vitæ præsidiorum.

§. 478.

Explorata salubritatis vitæ præsidia in civitate quam diligentissime sunt producenda, excolenda, & amplificanda, ut, quantum fieri potest

Cura publ. rerum salubrium.

est, abundent (§. 474.). Eaque cura incumbit rectori civitatis præsertim (§. 420. *P. VIII. Jur. nat.*); quanquam & alii cives adjuvare illam, quantum valent, obligantur (§. 20. *seqq. ibid.*). Quare sive naturales sint illæ res, sive industriæ & arti humanæ debeantur, earum sedula cura civibus est severe injungenda, diligentia præmiis fovenda, intendenda & amplificanda; negligentia pœnis condignis coërcenda, earum importatio & venalitas liberrima facienda, & pretii æquitati consulendum. Quæ quando abundant, non sine lucro, saltem aliarum rerum permutatione, vel adquisitione, exportari poterunt ad exteros, & commercium externum ornare.

§. 479.

Cura circa res insalubres publica. *Contra exploratæ insalubritatis res erunt probibendæ, ne venum exponantur, sub comminatione, fore, ut auferantur venditoribus, si clam fuerint invectæ* (§. 475.). Neque minus emtoribus vetanda est ejusmodi rerum emtio, & importatio in civitatem, sive sui tantum, sive & aliorum causa: quia sanitati sunt nocituræ. Si vero insalubritas sanari possit, curandum est, ut ante usum sanetur, vel a venditore, vel ab emtore (§. 475.). Dari quoque casus potest, ubi puniendi sint, qui contra legem, insalubri re, v. c. alimento, usi sunt, ejusque per contractam invaletudinem convinci possunt, dum inepti sunt facti ad sua munia obeunda, v. c. milites in castris, & bello, ad quod gerendum morbo se reddunt ineptos, item servi in itinere cum hero aut heri causa peragendo.

Data opera hic utor generali denominatione rerum salubrium aut præsidiorum vitæ, ut isto verborum compendio multa complectar, quæ alias multo fusius fuissent præcipienda & diducenda, si seorsum de salubri cibo & potu, de salubribus lectis & indumentis, de ædificiis & aëre salubri exponendum esset. Applicationem enim propositorum dogmatum ad quævis genera, & spe-

& species quascunque rerum salubrium aut insalubrium, & accommodationem communium ad propria diversa, facile perspiciet, quisquis animum ad hæc adjicere pro re sibi nata volet.

§. 480.

Quis salubrium abusus sit prohibendus.

Cum vero res salubres per abusum fieri possint insalubres (§. 396 & 401. *P. II. Jur. nat.*), *prohibendus quoque coërcendusque est in civitate rerum salubrium abusus, quo fiant insalubres & morborum causæ.* Prohibenda enim sunt civibus insalubria (§. 479.), quemadmodum ipso jure naturæ cunctis prohibentur (§. 399. *P. I. Jur. nat.*). Sed si res salubres fiunt abusu insalubres, non amplius salubres dici merentur, sed insalubres (§. 474.). Liquet ergo, omnem abusum rerum salubrium esse severe prohibendum, quo ipsæ fiant insalubres, & eo ipso morborum causæ (§. 395 & 398. *P. II. Jur. nat.*).

§. 481.

Prohibendus in salubribus alimentis excessus.

Alimenta & medicamenta salubria nimia copia & mensura sumta fiunt insalubria (§. 401. & 414. *P. I. Jur. nat.*), suffragante experientia quotidiana, modo ad illam recte attendatur. Abstinendum igitur est a nimia alimentorum medicamentorumque copia ingerenda, qua sanitas labefactetur, sive in uno tantum genere excedatur, sive in plurium perversa assumtione (§. 402. *ibid.*). Quod ut fiat ab his quoque, qui vel ignorant, vel negligunt legem naturalem, & ad abusum proclives sunt; *prohibendus est excessus in hisce vitæ præsidiis, sub pœna* iis infligenda, qui rei excessus, & in sanitatem suam, aliorumque, quos ad eundem excessum seducunt obstinate, injurii fuisse convincuntur (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 482.

Coërcenda ebrietas voracitasque.

Quia excessus in alimentis committitur intemperantia (§. 405. *P. I. Jur. nat.*), in potu, ebrietate (§. 422. *ibid.*), in cibo voracitate, justam ejus mensuram admodum turpiter migrante, ut

ut ſanitati officiatur: *probibenda & pœnis coërcenda eſt in civitate inſignis intemperantia, ebrietas, voracitasque, idque eo magis, quo plures ita ſanitatem ſuam aliorumque peſſumdant, aliisque ſimul vitiis & facinoribus implicantur, & ad officia civilia debite peragenda inepti fiunt.*

Cenſorio tribunali (dem Wettgericht) committi ſolent hujusmodi exceſſuum juſtæ alimentorum & ſiceræ menſuræ inquiſitio & animadverſio, ut quantum pœnis fieri poteſt, externi actus compeſcantur. Vitiorum enim, unde illi emergunt exceſſus, medela, qua animus ab iisdem avocetur emendeturque, petenda eſt ex ethicis, & ab illis inculcanda, quibus animorum emendatio eſt demandata. Vid. *Eth. P. IV. c. 4.* Exceſſus in medicamentis difficilior eſt probatu, ideoque in civitate parum attendi ſed negligi ſolet, cum ſe ipſum ulciſcatur deteriori ſanitatis ſorte.

§. 483.

Alius caſus. *Etiam hi, qui alimentorum juſtam menſuram excedunt ratione qualitatis, ultra ſortem ſuam iisdem ſe aliosque largius invitando & obruendo, puniendi ſunt ſimul ob arrogantiam admiſſam.* Qui enim cibo potuque utuntur ſortis inferioris cauſa prohibito, illi ſibi arrogant temere præſtantiorem ſortem, fiuntque in leges, in jura & ſuperiorem civium ſortem injurii. Præterea & menſuram excedentes, aliosque ad eosdem exceſſus perpellentes adigentesque in ipſorum quoque ſanitatem graſſantur, eosque lædunt. Quam ob rem cum nemo arrogans eſſe (§. 567. *P. I. Jur. nat.*), nemo lædere alterum debeat (§. 695.): vel ob arrogantiam & injuriam erga alios puniendus eſt ille exceſſus.

§. 484.

Cura diætæ inculcanda. Cum ſanitas quoque dependeat a rebus ſex animalibus, quas medici vocant non naturales (§. 417. *P. I. Jur. nat.*), h. e: ab actionibus vitalibus, reſpiratione, exhalatione, motu & quiete, ſomno & vigiliis, & digeſtione, ſeu excretione inutilium & re-

& retentione utilium; & animali vehementiore, h. e. affectibus: harum quoque cura non est negligenda in civitate, sanitatem, ut par est, adjutura. Quare cum diæta præter alimentorum salubritatem sex illas res animales, tanquam sanitatis præsidia, in usum sanitati convenientem dirigat (§. 418 *ibid.*), *ut diæta in civitate perspecta habeatur & observetur*, haud dicis causa curandum est (§. 461.).

§. 485.

Cura respirationis salubris. Ob curam diætæ necessariam *permittendum civibus non est, ut aërem respirent sulphure, fœtoribus & lue infectum*, vel in ædibus locisve peste & simili contagio aut veneno infectis; nec ut iter faciant in loca contagione referta, ne & ipsi eo aëre inficiantur, & alios itidem inficiant. *Cavendum, ne aëre effœto multis alicubi congregatis morbi vel nascantur, vel augeantur & fatales evadant.* Vnde pulso aëre corrupto, sanus aër procurandus est in nosocomiis, brephotrophiis, navibus, similibusque locis clausis (§. 405.). *Cavendum, ne calore vel frigore nimio aër noceat sanitati aut ipsi vitæ*, quorum utrumque fieri exempla loquuntur. Contra calorem igitur & frigus hujusmodi condenda sunt loca, utrumque arcentia, cujusmodi sunt in climatibus torridis specus & antra subterranea, in quibus homines se abdant, quæ & in zonis frigidis usu simili gaudent. Quæ ubi non dantur, aut non sufficerent civium multitudini, præsertim si aër corruptus expelli, & sanus substitui nequeat, licet more Spartanorum mares seorsum, & feminæ seorsum degerent: ibi prospiciendum est lignorum similiumque combustibilium copiæ emturis (§. 728. *seqq. P. VIII. Jur. nat.*), pauperibus autem, ut ex ærario publico vel collecta stipe habeant, unde domicilia calefacere, & sic se contra frigus tueri possint (§. 484.). Reliqua respirationis vitia a medicis sunt sananda.

Hujusmodi instituta salutaria ibi usitari, ubi opus illis est, docent historiæ, & itinera in loca ejus indolis suscepta, & eorum, qui ibi degunt, experientia, id quod necessitas curæ sanitatis flagitat commonstrans. Quæ breviter innuens revocata in mentem cupio, quæ aliunde constant; aut amando eos, ad fontes, qui pleniora pro siti restinguenda haurire vel sint.

§. 486.

Cura exhalationis, motionis & somni.

Exhalationis insensibilis, motus & quietis, somni & vigiliarum moderamen ad sanitatem, partim legibus laborem debitum exigentibus, & fugantibus otium turpe; partim, ubi hæc non sufficiunt, medicorum ope procurandum. Labor enim moderatus & legitimus inter alia commoda juvat quoque & sustentat insensilem exhalationem, quam transpirationem vulgo dicunt, & quam ad sanitatem plurimum facere, compertum habetur. Idem motum vigiliasque requirit & includit, utpote sine quo fieri nequit, sæpe & gestationem, vel loci & aëris mutationem salutarem; quo dum defatigatur corpus, quies appetitur adhibeturque, & nocturno tempore somnus, vires & vigorem corporis reparaturus. Patet igitur leges otium illicitum proscribentes & pœnis persequentes, laboremque debitum inculcantes, & pro re nata extorquentes, simul dictis actionibus vitalibus, sanitatem conservantibus procreantibusque, suppetias ferre civiles (§. 484.).

Sicubi autem graviora his objiciuntur impedimenta, quæ labore tolli nequeunt, aut & ipsos labores inhibent; ibi medicorum, quos civitas contra mala diætæ sanabilia alit, subsidio erit utendum, qui medicamentis alioque regimine salutari illorum symptomata & causas debellent ejiciantque (§. 471-473.).

§. 487.

Cura digestionis excretionisque.

Digestionis & excretionis naturalis defectus medicis chirurgisque est demandandus, ut ipsorum arte, dum potest, tollatur. Digestio enim involvit alimentorum dissolutionem secretionemque utilium ab inuti.

inutilibus; & utilium delationem ad receptacula, ubi conjungenda sunt cum sui similibus, ad quae naturaliter destinata sunt; inutilium autem & nociturorum separationem & deductionem ad vasa, unde sunt ejicienda, sive sudore, sive urina, sive excrementis alvi. Quae actiones ad vitam sanitatemque facientes, si impeditae sint & deficiant, impedimenta illarum interna arte medica erunt detegenda, & profutura medicina tollenda (§. 471.); quae vero manuum dexteritatem postulant, ut in lithotomia, clysteribus inserendis, & quae alia sunt generis ejusdem, in his chirurgorum industria erit exercenda (§. 469), ut, quae possunt, nocumenta sanitatis removeantur (§. 484.).

§. 488.

Affectuum autem moderamen sanitati proficuum cum a magistratu, tum a moralium veritatum doctoribus, hujus ethicae partis sat peritis, parentibus, & qui eorum loco sunt, inculcandum, & exemplis praelucendum est; quatenus autem corpus illis jam vitiatum, medela medicorum & chirurgorum, venas secantium, opus erit. Magistratus nempe legibus injungere debet, ne quis turbulentos aliorum affectus irritet, & in furorem adigat, eosque punire, qui id fecisse convincuntur (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*). Doctores rerum moralium & in scholis & in templis affectuum indolem & noxam pandere, suosque auditores erudire debent, quomodo illorum impetus, ne noceat, sit refraenandus, uti docetur *Ethic. P. II. cap. III. toto.* Quamdiu liberi se ipsos regere, suosque affectus compescere nesciunt, tamdiu parentum, & quibus eorum vices sunt delegatae, est, illos moderari, & consuetudinem habitumque quemdam illis conciliare, eis in primo impetu non obsequendi (§. 308. *Oecon.*), eaque illorum obligatio in civitate acuenda est (§. 982. *P. VIII. Jur. nat.*). Quando autem corpus ab illis jam sic est vitiatum, ut morbo aut morti esset succumbendum, nisi promta adhibeantur remedia; tunc utique opus est,

Cura affectuum ad sanitatem moderandorum.

ut chirurgi, quando hoc consultum est, venam secent &c.; medici autem & hæc & cætera ordinent ad sanitatis damnum amoliendum, & prosperam valetudinem recuperandam (§. 469. & 471.).

§. 489.

Quisque fiat medicus sui ipsius.

Cum vero teste experientia non omnibus eadem sint salubria & insalubria (§. 396. & 398. *P. I. Jur. nat.*), neque id medicis per se manifestum sit, sed longo demum usu penitius observato innotescat, quod quisquis secum habitare didicit, compertum habet: *inculcandum cuique a puero est, verbis & exemplis, ut diligenti observatione doceatur & discat, quænam sibi sint salubria, quæque insalubria*, idque & legibus paternis & civilibus confirmandum, & nihilominus secus facientes, pœnis coërcendi sunt. Hoc est id, quod dici solet, quemque sui ipsius medicum fieri debere, *ne utatur rebus nisi sibi salubribus, abstineat vero a sibimet insalubribus, idque ipsum doceat medicum, si quando ipso est utendum* (§. 399. *seq. ibid*.).

Valetudo, præcipit *Cicero L. II. de offic. c. 24.* sustentatur notitia sui corporis & observatione, quæ res aut prodesse solent aut obesse, & continentia in victu omni atque cultu corporis tuendi causa, & prætermittendis voluptatibus.

§. 490.

Alia divisio valetudinis.

Valetudo dicitur *infirma* (*imbecillis*), quando sanitas imperfecta sæpius & facile perditur, ac in morbum abit; *firma* autem & *stabilis*, quæ aut perpetua est, aut non nisi perraro labefactatur. Vnde patescit, infirmam valetudinem morbis haud raro interrumpi, aut fieri obnoxiam; firmam autem inferre sanitatem constantem, & morborum plerumque expertem. E contrario & invaletudo, sive morbus, vel est (chronicus) *diuturnus*, nisi plane perpetuus; vel *brevis* & periodicus (§. 453.). Ratione vis vel *benignus* est & levis, vel *malignus* & gravis; quorum is

is sanitatis impedimenta exterminat; hic facile periculum mortis aut mortem ipsam creat, unde anceps seu periculosus, vel tandem desperatus vocari solet. *Prosperitas valetudinis* medicina non eget, ideoque sanitatis & magnitudinem, & bonitatem, & firmitatem, sive constantiam perpetuitatemve complectitur, & optimam infert sanitatem (§. 452.).

§. 491.

Quomodo sanitatis firmæ & infirmæ ratio sit habenda.

Exploranda quoque est valetudinis civium firmitas imbecillitasque, ut illius ratio in curanda rep. haberi possit, & ut infirmiori, qua utendum est, eo majori cura diætæ & medicinæ subveniatur. Etenim officiis civium consulendum est saluti publicæ, quam optime fieri potest (§. 18. *seqq.* P. *VIII. Jur. nat.*). Sed officiis civium superesse & præesse rectius nequeunt, nisi cæteris paribus sani (§. 450. & 451.). Quapropter in cura officiorum civilium plerorumque exsequendorum demandanda, si cætera non discrepant, ratio habenda est firmitatis valetudinis; infirmitatis vero alia ratio haberi nequit, cæteris licet paribus, quam ut ea non adhibeatur, nisi illis, quibus par esse potest & imbecilla valetudo. Si vero propter cæterorum præstantiam imbecillis valetudo non est posthabenda, eo diligentiori cura & ope diætæ salubris & medicinæ opus erit, ut ea conservetur, &, quantum fieri potest, firmior reddatur. Quam propterea & adjuvandam esse procurandamque eo magis, quo plus interest civitatis, ne hujusmodi civium jactura affligatur.

Cogitemus hic principem aut regem non nisi infirmioris valetudinis; item alium civem haud vulgaris momenti, sive in rebus politicis, sive sacris, sive literariis, cui par vix datur, & luculenter parebit hujus præcepti pondus. Quo infirmior inde valetudo est, eo magis illi est prospiciendum, & eo minus illa lædenda.

§. 492.

Quid levitas & gravitas

Etsi nec leves morbi sunt negligendi, potissima tamen cura ver-

morborum requirat. *ſari debet circa profligandos morbos graviores, ſive magnitudine ſua, ſive intenſiori malignitate & periculo, ſive diuturnitate.* Omnis enim morbus infert defectum ſanitatis (§. 451.), & quamdiu adeſt, tamdiu privat quandam partem corporis aliquo uſu ſuo, impeditque habitum ea utendi (§. 450. *not.* & §. 451.). Jam quidem morbus levis periculo vitæ caret, & morborum fere cauſas, eoque ipſo impedimenta ſanitatis expellit (§. 490). Nihilominus quamdiu occupat partem quandam corporis, tamdiu ejus minuit uſus, aut tollit, impeditque habitum ægri, ea parte pro lubitu ad obeundas functiones ſuas recte utendi. Vnde ob evitandum & iſtum defectum, vel leves morbi ſunt averſandi, arcendi & tollendi.

Enimvero cum graves morbi ſint ancipites, aut cum aperto vitæ periculo, aut & contagio conjuncti (§. 490.), eo quod permultarum, ſi non omnium penitus, partium uſum impediunt aut eripiunt, aut vix ullum earum uſum relinquunt, aut tam diuturni ſunt, vel tam periculoſi, ut niſi cum vita non videantur ceſſaturi (§. 451): illi multo plus impediunt aut tollunt functiones utiliſſimas partium corporis; multo plus malorum inferunt, multoque incertiorem, aut plane periculoſum, exitum minantur. Eapropter hi multo majori providentia, diligentia & cura arcendi ſunt, evitandi, & e medio tollendi, quantum vires permittunt (§. 452.).

§. 493.

Gravitatis cauſæ ſunt ſcrutandæ. *Perutile foret, ſi gravitatis morborum cauſæ evitabiles & remedia exactius explorarentur, exploratæque propalarentur, ut leges eas arcendi vitandique certiores dari urgerique poſſent.* Multo enim plus nocent civitati graviores morbi, quam leviores, ideoque majori cura arcendi ſunt, quam illi (§. 492). Sed vitari pariter ac arceri nequeunt, niſi earum cauſæ vitentur arceanturque; nec hæ vitari arcerique poſſunt, niſi perſpectæ habeantur.

Cum

Cum vero teste experientia lateant persæpe, nec cives tantum, sed & medicos haud raro fugiant, peropus esse intelligitur, ut exactius, ac factum adhuc est, explorentur, juncta complurium industria, studioque solerti. Quæ dum rite detectæ sunt, iis, quorum interest, scilicet non medicis tantum, sed & civibus reliquis, quorum sanitati nocent, propalandæ sunt, earumque fuga legibus simul inculcanda (§. 476.).

Quando causæ morborum sunt investigatæ, quærendum porro est, quomodo quælibet earum vitetur seu arceatur, & invitis accidens expellatur tollaturque. Opus igitur est remediis idoneis, & ad hunc finem suffecturis. Quibus ut uti possint iis indigentes, pariter ipsis debent innotuisse, saltem innotescere ope medicorum, una cum modo, iisdem quam optime utendi, ideoque ante explorata & propalata esse, aut & legibus injuncta (§. 491.).

Perardua res est hæc investigatio, quæ compluribus sæculis egebit, ut nonnihil in ea proficiatur; uti multis millenniis opus fuit, antequam, quæ nunc prostant in morborum curatione, reperiri potuerunt. Juvare illam quadamtenus poterit studium, quod physicæ, anatomiæ, botanicæ & chemiæ tribui solet debetque in academiis scientiarum. Sed consultius futurum videtur, si medicarum scientiarum academia in hos usus institueretur, & per totum, qua cultior est, terrarum orbem, observationes eo aliquid conferre valentes congererentur, unde successu temporis acutiores de causis, præstantissimisque remediis ignotiorum morborum remediorumque certiora eruerent.

§. 494.

Qui cum *Galeno* sanitatem latius usurpant pro naturali omnium partium constitutione, vel cum *Ettmüllero* pro vitæ integritate, illi plura sub ea comprehendunt, nempe omnem fere *incolumitatem*, quam *Cicero de invent. II. c. 56.* dicit salutis tutam atque integram conservationem. Possumus igitur incolumi-

Quid sit sanitas latius sumta & incolumitas.

lumitatem pro ſalva corporis bonorum ſumma adhibere, quo pacto & vitam & ſanitatem, & reliqua ejusdem bona comprehendit.

§. 495.

Quænam inſint incolumitati? Incolumitas continet integritatem membrorum organorumque ejusdem, quæ defectum ſtructuræ excludit culpæ cujusquam debitum (§. 320. *P. I. Jur. nat.*); pulchritudinem, qua pollet, ſaltim placituram naturalem partium conformationem (§. 481. *ſeq. ibid.*); robur, vel virium copiam juſtam; vigorem & alacritatem in vegeta ſenſuum nervorumque erectione, contentione & ſtudio promte, avide feſtinanterque agendi; agilitatem dexteritatemque in habitibus & artibus (§. 329. *ibid.*); commoditatem, qua evitabilis actionum moleſtia arcetur; & jucunditatem vitæ, h. e. voluptatem ſenſuum innocuam (§. 465. & 470. *P. I. Jur. nat.*).

Non immerito hæc ad ſanitatem referri, haud difficulter perſpiciatur. Eſt enim illa ſtatus viventis ad agenda omnia, quibus partes ejus deſtinantur, omnino aptus, habitum naturalem fungendi ſuis partibus includens (§. 450. *ſeq.*). Sed ad hujusmodi ſtatum habitumque naturalem requiritur præformata membrorum ad finem ſuum ſtructura & conſummata, ideoque non vitiata, quæ eſt membrorum integritas, defectus expers; eorumque conformatio ad conſenſum, mutuum adjumentum, decusque figuræ, coloris & ſimilium, in ſenſus incurrens, quæ eſt pulcritudo, convenientem partium proportionem & collocationem ſimilem, h. e. ſymmetriam & eurythmiam includens (§. 477. *ſeqq. P. I. Jur. nat.*); nec non potentia agendi, ſeu facultas, & patiendi, ſeu captus, vel capacitas eorum, quæ aliunde in ipſum derivari poſſunt, peridonea & ſufficiens ſcopo ſuo, quæ robur & virium abundantiam naturalem ſiſtit; tum ſenſuum nervorumque expedita intentio, niſus & aviditas id agendi, cujus occaſio affertur, una cum velocitate & ſtudio non quieſcendi, niſi re quantocyus perfecta, in qua vigor & alacritas (die Lebhaftigkeit, Munterkeit) conſiſtit; quatenus promtitudo quam optime agendi & perficiendi, quæ in poteſtate ſunt, adquiſitam requirit agilitatem dexteri-

teritatemque (Behendigkeit, Hurtigkeit, Geschicklichkeit), eatenus habitus adquisitos, seu artes corpore exercendas accedere debere liquet. Sic denique fieri potest, ut immunitas a tædio evitabili, h. e. vitæ commoditas; & insons sensuum oblectatio quæcunque, seu suavissima vitæ jucunditas, obtineatur. Facile ex his liquet, potuisse hæc *tertium Caput hujus Sectionis* conficere, nisi compendio studeremus.

§. 496.

Integritas instrumentorum corporis promovenda est legibus, læsionem membrorum suorum & alienorum pro culpæ gradu rigorose interdicentibus, & exacte exsequendis. Infert enim integritas organorum corporis humani, eorum structuram perfectam, & defectibus culpandis vacuam, seu non vitiatam (§. 495.). Sed læsio membrorum vitiat illa, reddens eorum statum deteriorem & imperfectum (§. 669. *seq. P. I. Jur. nat.*), ideoque defectui obnoxium, quo naturaliter vacasset. Minuit ergo tollitque eorum integritatem. Quapropter dum leges civiles prohibent membrorum suorum alienorumque læsionem atque violationem, eique pro culpæ gradu pœnas dictant promeritas, indubie exsequendas, quo saluti publicæ consulatur: simul illæsa manet, nec vitiatur eorum structura, ideoque hæ leges in tuto collocant, salvam præstant, & promovent, quantum datur, eorum integritatem. *Quomodo integritas civiliter curetur?*

Membra dicuntur partes viventis peculiari structura præditæ & coagmentatæ, vel invicem copulatæ; eadem organa seu instrumenta vocantur, quatenus ope structuræ suæ conformatæ sunt ad actiones usus ve peculiares. Non tamen sunt instrumenta nuda, seu mere passiva, sed viventia, vel vivida, & vi prædita agendi. Manus v. c. est membrum corporis, quia est pars corporis vivi structuræ sapientis propriæ sibique convenientis ac debitæ. Eadem vero est organum varii motus, laboris & variæ artis, v. g. artis fabrilis, chirurgicæ, scribendi, pingendi, nendi, texendi, tornandi, dolandi, terebrandi, scindendi, sculpendi cæt. (*Wolfii Politicæ P. III. S. II. C. II.*)

§. 497.

De pœnis lædentium membra corporis humani. Quia triplicis generis organa animalia dantur, ſcilicet vitæ, ſenſuum & motus externi (§. 303. *ſeqq.* P. I. *Jur. nat.*): *ſevere pro gradu culpæ prohibenda eſt violatio organorum vitalium*, quæ facultate & habitu gaudent conſervandi individuum & ſpeciem, h. e. illud propagandi; *ſenſoriorum*, quibus ſenſus omnes & imaginationes itidem debentur; & *moventium*, a quibus omnis motus externus, & totius animalis, & membrorum ejus, proficiſcitur ac dependet (§. 496.). Quæ ſeveritas pœnas requirit ſufficientes ad illorum læſionem, quantum pote, coërcendam impediendamque, itaque ſimul ad vitæ, ſenſuum, motuumque pro lubitu determinandorum tuta ſit poſſeſſio, habitudo, fruitioque unicuique civi.

Nota eſt lex divina homicidio doloſo capitalem pœnam dictans *Geneſ.* IX, 5. 6.; non doloſo quidem, ſed fortuito fere, nec tamen omni culpa vacuo, fugam in aſylum ſeu exſilium *Exod.* XXI, 13. *ſeq.*; reliquis læſionibus integritatis organorum talionem damnique refuſionem. *ibid. v.* 18-25, mancipii autem emancipationem. *ibid. v.* 26. *ſeq.* Licet enim talio non ſit Juris naturæ, ſed pro gradu malitiæ pœna multo major eſſe poſſit, & pro levitate culpæ ac fine pœnæ multo minor (§. 641. *Jur. nat.*), & inprimis omnis vindictæ cupido abeſſe debeat (§. 640. *ibid.*) & *Levit.* XIX, 18. ac *Matthæi* V. 38. *ſeqq.*; hoc tamen non obſtat, quo minus illa in terrorem dictari, & prohibitioni læſionis adjungi, & pro re nata quoque infligi poſſit. Eſt enim judicio & ſapientiæ judicis, ſaltem legislatoris, reſervandum, quando pœnæ exaſperatio aut mitigatio talioni ſit ſubſtituenda.

§. 498.

Modus vulnerationes inhibendi. Corpus humanum & animale quodvis dicitur *vulnerari*, quando ejus continuitas nexusque naturalis membrorum molliorum (ut carnis, venæ, viſcerum cæt.) diſſolvitur, ſive ſecando & cædendo, ſive pungendo, & perforando, ſive contundendo

dendo, comprimendo & distundendo (§. 732. *P. I. Jur. nat.*); *rumpuntur membra*, si nimia distentione, laceratione & discerptione dissolvuntur; *franguntur*, dum continuitas durorum divellitur; *luxantur*, quando articuli ossium, quo invicem junguntur, e sede sua dimoventur, & disjuncti manent (§. 733-735. *ibid.*). Quae cum laedant & vitient integritatem membrorum, & membra ad usus suos inepta faciant; *vulnera*, *rupturae*, *fracturae*, *luxationes*, jure naturae prohibentur (§. 737-740.), ideoque *additis convenientibus poenis civilibus arceri & inhiberi debent.*

Manifesta hinc est ratio, cur ne ejusmodi quidem certamina singularia permittenda, sed potius severe punienda sint, quae serio tantum eo animo suscipiuntur, ut alter alteri, vel uterque utrique vulnus leve, saltim haud letale, infligat. Laeditur nempe quovis vulnere integritas corporis, quod non licet. Praeterea recte dicitur, vulnera non dari ad mensuram, sed vel invito infligente longe secus cadere, ac ipse cogitaverat optaveratque. Etiamsi consolidentur vulnera, & cicatricem obducant, deturpatur tamen vel ipsa cicatrice membrum, nec unquam omnibus postea usibus inserviet, quibus integrum sufficiebat.

§. 499.

Mutilatio est ademtio vel privatio membri sani, uti abscissio, digiti, nasi, auricularum, linguae, amputatio manus, pedis, caet. *Adustio* est laesio integritatis membrorum per ignem quemcunque. *Castratio* est mutilatio partium genitalium, ne procreationi sobolis inserviant. Fieri illa solet in maribus amputatione colis, saltem exsectione testiculorum; in feminis ovarii, uterique exemtione. Vtrobique mutilationem virilium & muliebrium genitalium fieri, patet. *Quid sit mutilatio, ustio, castratio?*

§. 500.

Prout omnis laesio integritatis nefaria prohibenda, & pro gradu culpae punienda est in civitate (§. 497.): itaque quoque *Quid in civitate de illis*

sit statuendum? *mutilatio membrorum corporis sui vel alieni* (§. 727. P. I. *Jur. nat.*); *ustio & castratio prohibenda est, & pro merito pœnis coërcenda; licet pœnæ publicæ loco & mutilatio & ustio, vel prorsus combustio adhiberi* (608. & 614. P. VIII. *Jur. nat.*); & *castratio haud periculosa ob ejus usus peculiares perpaucis permitti possit* (§. 827. *ibid.*).

Vti & quidam Eunuchi naturales dantur *Matth.* XIX, 12.

§. 501.

Quid de usu eorum impedito? Sicut lædit alterum is, qui integritatem membri ejus vitiat, idque ideo usu suo privat: ita quoque is eum lædit, qui quomodocunque quempiam usu membrorum privat (§.727. P. I. *Jur. nat.*). Quare quia nemo debet alterum usu membri cujusdam privare, neque illi periculum creare, usum ejus amittendi (§.728. *seq. ibid.*): *in civitate quoque prohibendum puniendumque est, si quis alterum licito debitove usu membrorum suorum privet, saltem eum usum impediat, diminuatque* (§. 497. *seqq.* & (§. 676. P. I. *Jur. nat.*).

Privat alterum usu debito membrorum, qui eum ab officio suo vi abstrahit, v. c. eum vinciendo, captivum abducendo, aut aliis tradendo vel vendendo, & in servitutem detrudendo, custodiæ aut carceri immerito includendo &c. Item quisquis ea agit, quibus alter in suis negotiis, officiisque peragendis vehementer turbatur & impeditur, quo minus iisdem, ut par est, satisfacere possit.

§. 502.

Cura organorum humanorum. Cum in homine quoque dentur organa intellectus operationibus & liberis actionibus inservientia, quæ in cerebro & membris, organa motus voluntarii præbentibus, habentur, & mentis directioni subsunt (§. 313. *seqq.* P. I. *Jur. nat.*) & (§. 416. *seqq.* *Psychol. ration.*), quibus læsis impeditisque tolluntur aut læduntur actiones humanæ (§. 335. *seq.* P. I. *Jur. nat.*): manifestum est, *omnium minime vitiandam esse integritatem organorum intellectus*

lectus & voluntatis, neque impediendum esse liberum eorum usum, officio conformem (§. 454 *seq.*). Et prohibenda igitur & punienda est pro meritis petulantia & injuria, qua organa corporis humani (§. 316. P. I. *Jur. nat.*), vel actionum humanarum, seu inepta redduntur suis usibus, seu perquam in eis impediuntur (§. 496. & 501.).

Huc pertinent, qui philtris, hyoscyamo similibusque amentiam veluti procreantibus, organa actionum humanarum obstruunt, lædunt, destruunt, aut quomodocunque vitiant, turbant præpediuntve, ut homines edendis actionibus humanis impares evadant. Quos ideo una cum cæteris, qui utcunque actionibus humanis exserendis, dolose aut violenter obstant, & remoram injiciunt, legibus pœnisque pomeritis coërcendos eo magis esse, quo nobiliores sunt, quas tollunt aut impediunt, quando illis officiis aut publica salus eget.

§. 503.

Curandum, ne noceatur pulchritudini.

Cum pulchritudini suum quoque esse usum sæpe insignem magnique momenti, suumque decus gradui ipsius respondens experiamur, ut quandoque nihil habentibus pro dote sit; cum homines obligentur ad naturalem conservandam, & arte augendam (§. 482. *seqq.* P. I. *Jur. nat.*): *obligatio civilis* quoque *adhibenda est, ne quisquam alterius pulcritudinem lædere, seu ipsum deformare impune possit*, ideoque *legibus pœnisque civilibus pro meritis coërcendi sunt, qui secus agere ausint. Quando morborum vi pulcritudo periclitatur, medicorum ope illi est succurrendum.*

Occurrit interdum & hujusmodi invidia ac malitia hominum, qui v. g. conjugio inhiantes, quo pulcriorem prælatum sibi iri arbitrantur, grassari in ejus pulcritudinem non verentur, ejusque formam, mirum quantum, vitiare audent. Quod ne fiat, aut si factum fuerit, ne impune sit, magnopere in rep. est prospiciendum cavendumque.

§. 404.

Neque viribus naturalibus. Roboris & virium naturalium quantus in civitate usus esse soleat, neminem præterit. Quare omnino alterum lædit, quisquis illum suo privat robore, suisque exuit viribus, seu penitus, seu ex haud exigua parte (§. 669. P. I. Jur. nat.). *Legibus* igitur *pœnisque cavendum; ne quis alterum civem infirmet, debilitetve ipsius vires*, potius ad eas conservandas alter alteri adjumento esse debet, dum potest, & ad id est obligandus (§. 496.).

Ne quidem suis. Ne quidem id impune ferendum, si quis suas vires frangere & abjicere vellet, ne aliis vel civitati iisdem prodesse obligaretur (§. 396. P. VIII. Jur. nat.). *Viribus per morbum fractis exhaustisque, sanatione & curatione morbi quam optima est subveniendum.*

Plurima dantur modi corpus ejusque membrorum vires debilitandi, atterendi, decoquendique. Quorum qui occultiores sunt, quam ut ad liquidum perduci & probari evidenter possint, illi merito relinquuntur doctoribus morum & virtutum animis inculcandi, ut eorum cognitione viva actiones emendentur, domi, in commercio humano, in scholis templisque. Qui vero manifesti sunt, illi quo magis vitiis debentur, eo solicitius, & acrius sunt compescendi, pro meritis & re nata. Ita vitiosa plane est virium exhaustio per effusionem libidinis venereæ frequentem, per ebriositatem &c. eo magis coërcendam, quo plus sibi aliisque vel exemplo turpi nocet. Imbecillitati ægrorum exquisita arte medicorum consulendum esse, inter omnes constat.

§. 505.

Nec vigori & alacritati. Quanti usus sit sensuum acumen, & nervorum musculorumque vivacitas alacritasque, vix quisquam ignorat vel rudis & plebejus mercenarius. Quam ob rem & sensuum neruorumque vigori & alacritati cujusquam detrahere, læsio est & nefas (§. 609. P. I. Jur. nat.). *Idcirco ferendum in civitate non est, ut quispiam organa sensuum & nervos cujusquam probi lædat, incidat, debilitetve, eorumque acumen & usum hebetet minuatve.* (§. 504. Enervato

vato potius languori & torpori medendum est ut virium defectui, h. e. imbecillitati, unde oritur (*ibid.*). Segnitiei vero & moralis medela adhibenda. *V. Ethic. P. IV.* §. 94. & 366. *seq.* Vti ergo organorum vitalium, ita & animalium vigor sine eorum integritate naturali conservari nequit (§. 322-327. *P. I. Jur. nat.*).

§. 506.

Amplitudo agilitatis dexteritatisque.

Jam illa membrorum agilitas dexteritasque adquirenda & adquisita tam late patet, quam campus amplissimus omnium artium per omnia vitæ genera diffusus. Est enim illa non natura insita, uti perfectio organorum vitalium & sentiendi (§. 319 & 325. *P. I. Jur. nat.*), sed ut alii habitus humani regulis, imitatione exemplorum, & exercitio diuturno, emendatoque subinde comparatur, tanquam habitus membra externa corporis nostri in quemlibet situm componendi, situmqne mutandi (§. 329 & 332. *ibid.*). Brevius hinc dicetur habitus, actiones corporis quam optime exercendi. Quot vero dantur artes humano corpore præstandæ, & quot dantur vitæ humanæ genera, tot quoque dantur hujusmodi habitus, tot agilitates dexteritatesque in eisdem edendæ. Patent ergo hi habitus artificiales omnibus civitatis usibus emolumentisque.

Dictum est de variis vitæ humanæ generibus *in Oeconom.* §. 791-803. summatim, neque opus est, ut hic plenius de illis exponatur, quæ illis reservanda sunt, qui artes singulas omnium vitæ generum enucleare multis libris volent. Hic subsistimus in generalibus præceptis civilibus, curam communem circa omnes artes complexis.

§. 507.

Requiritur publica artium profi-

Publica cura opus est, ut artes, quæcunque usui esse possunt civitati, in eadem quam optime perficiantur excolanturque. Curandum enim est in rep. ut artes, quantum datur, nova subinde capiant in-

cuarum cura. incrementa (§. 438. *P. VIII. Jur. nat.*). Facile autem perſpicitur, hoc intelligendum eſſe de artibus, quæ civitati prodeſſe, & fructus atque emolumenta præſtare poſſunt, cum v. g. ars nautica ibi excoli nequeat, ubi maria deſunt & fluvii navigabiles. Si proinde illæ artes novis ſubinde incrementis mactandæ ſunt, quæ uſui eſſe poſſunt civitati, ſequitur, illas, h. e. artes proficuas eſſe, quam optime fieri poteſt, excolendas perficiendasque novis ſubinde adinventis earum incrementis.

§. 508.

Ut bene doceantur & diſcantur. Quoniam artes proficuæ in civitate quam optime ſunt excolendæ (§. 507.); excoli autem nequeunt, niſi bene doceantur & diſcantur, quippe cum non ſint innatæ, ſed adquirendæ (§. 332. *P. I. Jur. nat.*): *curandum eſt in civitate, ut artes proficuæ quælibet in eadem & recte doceantur & recte diſcantur* (§. 506.).

§. 509.

Ideoque adſint idonei magiſtri. Nulla ars recte doceri poteſt, niſi ab idoneo magiſtro, qui eam ipſe bene callet, & ſi practica ſit, bene exercere valet. Quod poſtulati inſtar admitti poteſt, cum per notionem magiſtri, artis & docendi actus facile pervium ſit attendenti. *Rectori ergo civitatis opera danda eſt, ut civitas idoneis gaudeat magiſtris artium quarumque illi proficuarum, qui dono docendi eas gaudeant, & obligati ſint ſic, ut detrectantes adigi poſſint, ad eas recte docendas.*

§. 510.

Aut aliunde invitentur & obtineantur. *Si civitas nondum gaudet illiusmodi idoneis magiſtris, illi privilegiis, &, ſi opus eſt, ſalariis erunt aliunde arceſſendi*, & inducendi ad paciſcendum, & ad munus docendi ſuam artem in ſe ſuſcipiendum. Neque enim in peregrinos ullum civitati eſt imperium. Hinc paciſcendum eſt cum alia civitate, ut quosdam magiſtros concedere petenti dignetur. Paciſcendum quoque eſt cum magiſtris ſingulis, donec conditiones oblatas ſponte admittant.

Quo facto pactum erit servandum, perfecto jure utrinque adquisito (§. 789. *P. III. Jur. nat.*).

§. 511.

Agantque secundum statuta opificum & artificum.

Ne magistri sibi invicem aliisve civibus noceant, *condendæ sunt leges vel statuta artium, ad quarum custodiam magistri sunt obligandi*, neque permittendum est, ut quisquam eas impune violet. His statutis omnia ad communem salutem ita sunt instituenda, ne quisquam lædatur, sed potius omnium & singulorum emulomentis ex æquo prospiciatur. Id quod partim disci potest, ex iis, quæ alibi recepta & usu comprobata sunt, ubi artes illæ bene florent; partim ex magistrorum desideriis & petitis, si cum reip. & reliquorum civium commodis rite comparentur.

§. 512.

Et tirones bene discant discenda.

Quia docere magistri nequeunt, nisi sint, qui discere velint & debeant, *curandum porro est, ne tirones magistris desint, & ut recte discant, quæ docenda sunt & discenda.* Quam obrem si qui, antequam absolverint discenda, sibi videantur omnia didicisse, & ipsi magistros agere velint, adigendi sunt, ut maneant, & pactum observent (§. 789. *P. III. Jur. nat.*). Si vero justo rigidius tractentur a magistris eorumve adjutoribus, id publica autoritate inhibendum, & prout meretur, puniendum erit (§. 507.)

§. 513.

Abundantes res naturales quo modo exportandæ sint?

Inprimis curandum est, ut, quarum rerum naturalium in civitate uberior est proventus, e quibus arte paranda sunt opera, quorum usus est in vita humana, earum exportatio ne fiat, antequam ex earum præparatione cives ea commoda perceperint, quæ alias exteri inde capiunt, opera sua carius redimenda reportaturi. Dantur enim multæ res naturales, quæ per se nondum aptæ sunt illis usibus, quorum causa expetuntur, sed arte humana artificiales inde sunt paran-

dæ (§. 510. *P. I. Jur. nat.*). Quod ut fiat, rectori civitatis curæ esse debet (§. 421. *P. VIII. Jur. nat.*), ut & cives commoda artis, se & suos inde alendi potius percipiant quam exteri, & pretium rerum minus esse possit eo, quod exteri revendituri res arte factas, cum propter sumtus exportationis & reportationis, tum, ut plus inde lucrentur, illis statuerent (§. 1027 *seqq.* & §. 424. *ibid.*). Quantum igitur fieri sine detrimento commercii potest, res naturales, quæ abundant, non ante exteris sunt vendendæ, quam eo usque artis emolumenta a civibus inde sint percepta, quousque salvo commercio licet.

§. 514.

Ubertas rerum naturalium procuranda. Proinde si res naturales, quibus abundare civitas potest, non nisi industria humana ita multiplicari possint, rectori civitatis *curandum est, ut justus civium numerus incumbat quam optime procurandæ tantæ earum ubertati, quanta quotannis haberi potest, & ut ad illud obligentur præscriptis culturæ legibus, adiganturque vel inviti & otiosi* (§. 421 *seq. P. VIII. Jur. nat.*).

§. 515.

Quid circa artium opera curandum sit? Quia nec a civibus, nec ab exteris expeterentur res arte factæ, nisi omni, qua possunt, gaudent perfectione, & qua usquam alibi præstantur, si pari fere pretio sunt comparandæ & in eosdem usus, quod sua quemque docet ratio: *cura quoque publica enitendum est, ut opera artis fabricentur, quam optime fieri potest, & examine instituto, quæ approbata sunt, & tanti sunt, sigillo publico signentur; minoris vero momenti res, in quibus id commode fieri potest, privato artificis, opificis, aut mercatoris signo afficiantur, ne quis civis aut peregrinus facile lædi possit, & si læsus fuerit, damni reparatione potiri queat* (§. 394. *P. VIII. Jur. nat.*). Si qui vero non tantam rei artificialis præstantiam optent, sed tantum, ut usui quotidiano humilioris, immo vulgaris & servilis sortis civium sufficere, & viliori pretio comparari possint: his quoque ita consulendum

dum

dum erit, *ut & abundans operum variæ ipsorum sorti respondentium copia æquissimo, & quam fieri potest minimo pretio haberi possit* (§. 726. *ibid.*).

§. 516.

Et circa magisterium conferendum.

Ne opera artis deteriora in fraudem civium & commercii fiant, ac deberent, *nemo ad magisterium facile admittendus est, nisi qui luculenta edidit operum suorum specimina, magistrorum examine approbata.* Quare & hoc statutis opificum est inculcandum, & simul *injungendum sub pœna*, ne, qui artem suam callet, propter viliorem mercedem *inidoneis utatur adjutoribus mercenariis, qui opera corrumpant, aut ex materia prava illa fabricent* in fraudem emtorum. Unde quoque nascitur jus, *opifices clancularios*, male in sua arte versatos, & *opera depravantes non tolerandi, sed expellendi, aut adigendi, ut rectius discant exercenda.*

§. 517.

Cura circa excellentes in suo vitæ genere.

Quo præstantiora sunt in suo genere opera artis, & quo gratiora his, qui eorum usu indigent, eo melius & artificibus opificibusque, & civitatis consulitur honori emolumentisque. Quare *curandum est, ut in civitate* complures *habeantur magistri, qui in sua arte excellant, suique similes forment* (§. 1020. *P. VIII. Jur. nat.*), item ut honoribus & præmiis convenientibus in civitate retineantur, nec facile exire ex illa cupiant aut sinantur, propter jus prohibendi, quo civitas gaudet, ne discedant, qui in suo vitæ genere præclaram reip. operam præstare valent (§. 405. *P. VIII. ibid.*).

§. 518.

Quid res peregrinæ artibus prodesse debeant?

Nec quidquam intentatum relinquendum, utrum res naturales aut artificiales peregrinæ, quibus civitas uti amat, intra eandem modo convenienti aut procreari, aut fabrefieri possint? Docuit enim experientia, varias res naturales diversis modis in climatibus a solo patrio seu pristino valde remotis alienisque procreatas & cul-

tas ita fuiſſe, ut illi tandem adſueſcerent; ſaltem aliquamdiu ſuccederent, & dein eſſent renovandæ (§. 429.). Quædam interim penitius exploratæ ſunt, & cum domeſticis comparatæ, ut hæ illis potuerint pari effectu ſurrogari (§. 468. *not.*). Ratione artis minus eſſe ſolet difficultatis, ut ſive res ſint domeſticæ, ſive peregrinæ, artis nihil referat, modo periti adſint artifices, qui illas quam optime aptare & elaborare ad ſuos uſus poſſint velintque (§. 434.). Prout frumenta emuntur peregrina potius, quam farina, aut panis, aut contuſa, aut inde deſtillata & decocta: quoniam ſic piſtores, inolitores, coctores aliique opifices ex præparatione victum ſibi quærere poſſunt, quo alias peregrini gauderent.

§. 519.

Difficiliora artium cui committenda. *Si qua occurrant difficiliora, quæ ad artium emendationem & incrementa, vel ad novas quoque artes & vitæ genera invenienda pertinerent, ea ſocietati ſcientiarum publicæ commendanda ſunt, ut ab eadem eruantur; vel committenda ſunt ſocietati artificum in peculiares iſtiusmodi diſquiſitione erigendæ.* Si enim ſocietas ſcientiarum artiumque omnis generis complectitur artifices, diſcuſſioni eorum, quæ in artibus vel emendanda, vel invenienda occurrunt, pares; ea utique inquirere debet in ea, quæ ad œconomiam ruralem & oppidanam, itaque ad varias artes & opificia pertinent, præſertim ſi ad penitiorem naturæ cognitionem aliquid conferre, aut non niſi ope illius detegi, & adminiculis matheſeos perfici poſſint debeantque (§. 449. *P. VIII. Jur. nat.*). Quapropter eidem hoc caſu illa recte commendari, & injungi publica autoritate poſſunt ac debebunt, ut, quæ reperiri poterunt, academici eruant, publicæque ſaluti impertiant, prout conſultius deprehendetur (§. 457 & 462. *P. II. Polit.*).

Sin minus academia huic ſcopo ſufficeret, aut minus decorum illi foret, hujusmodi rebus occupari, ex ipſismet præſtan-

ſtantioribus artificibus & magiſtris illius artis eligi poſſunt, qui erectioris ſunt ingenii, & incitari, ut ſociata opera, conjunctisque conſiliis, a ſocietate ſcientiarum, quando opus eſt, ſuffultis directisque, in ejusmodi diſquiſitionem incumbant, & reperta communicent, ulterioris progreſſus cauſa. Ita conſtituetur ſocietas ejus artis excolendæ, perficiendæ, & amplificandæ, quoad aliquid ſupereſt, quod illi committatur (§. 421 & 427. *P. II. Polit.*) & (§. 452. *P: VIII. Jur. nat.*).

§. 520.

Publica cura commoditatis & jucunditatis vitæ.

Inſerviunt hæ artes non tantum parandis vitæ neceſſitatibus, verum & nonnullæ commoditati jucunditatique vitæ, quod abunde loquitur earum penitius examen. Quia commune civitatis bonum requirit abundantiam rerum ad neceſſitatem, commoditatem, jucunditatemque vitæ facientium (§. 9. *P. VIII. Jur. nat.*), & rectori civitatis curæ cordique eſſe debet, ne deſit rerum ad neceſſitatem, commoditatem, jucunditatemque neceſſariarum copia omnibus ſuffectura (§. 420. *ibid.*): *rectori civitatis incumbit cura, quam optime proſpiciendi civium cunctorum commoditati jucunditatique vitæ, quatenus ea privatorum vires excedit.*

Jam in ſtatu naturali quisque homo obligatur ad vitam commode tranſigendam (§. 466. *P. I. Jur. nat.*), ac ſingula commoditatis ſubſidia noſcenda (§. 467. *ibid.*), gaudetque jure, ea ſibi parandi aut coëmendi (§. 468. *ibid.*). Sed non debetur, nec eſt ipſi exſpectandum ab aliis, quod ſibi ipſi præſtare valet (§. 170. *P. I. Philoſ. pract. univ.*), neque alii obligantur ad illud ipſi præſtandum, quod ipſe in ſua habet poteſtate, vel ipſemet facere poteſt (§. 608. *P. I. Jur. nat.*). Qua propter nec civitas obligatur ad alia ipſi procuranda, quam quæ ſalus civitatis poſtulat, & ipſe ſibi præſtare nequit. Quod etiam in commoditate & jucunditate vitæ haud ſecus obſervandum eſt, ac in ejusdem neceſſitate. Sic intelligitur, civitatem non obligari ad ſingulis civibus præſtandam quamlibet vitæ commoditatem jucunditatemve.

Hæ enim ſunt partes cujusque civis ſingulares, ut in iis ſibi proſpiciat licite, quantum valet. Sed ut univerſis præſto eſſe poſſit copia rerum & abundantia, quæ ad commoditatem jucunditatemque vitæ faciunt, id vires privati civis excedit, id igitur cum ad commune bonum civitatis faciat, conjunctis publicisque viribus eſt procurandum.

§. 521.

Diviſio commoditatis.

Dividi poteſt commoditas vitæ in externam & internam, ſive corporis & mentis. Abſtergit nimirum commoditas actionibus noſtris moleſtiam, quacum alias ſolent confligtari aut conjungi (§. 495.). Sed actiones humanæ vel ſunt externæ vel internæ (§. 567. *P. I. Theol. nat.*). Ea igitur commoditas, qua actiones internæ liberantur a moleſtiis, quæ ipſas afficere poſſunt, vel ſi hoc mavis, commoditas actionum mentis vocatur interna; quæ autem actiones externas a moleſtiis immunes facit, erit commoditas externa. Quia actiones ſunt mutationes, & mutabilium determinatio, ſtatus; poteſt commoditas quoque referri ad ſtatum internum & externum. Cum differant actiones internæ & externæ, item ſtatus internus & externus: commoditas quoque interna & externa non eſt confundenda, cum illa ſit ſtatus interni & actionum internarum, hæc ſtatus externi & actionum externarum, vel illa ſit *commoditas mentis*, hæc *corporis.*

§. 522.

Hic agitur de commoditate externa.

Hujus loci non ſunt niſi commoditates externæ. Sunt enim commoditates internæ animi; externæ autem corporis (§. 521.). In hoc autem capite agimus de corporis bonis ſecundariis, quæ primario, vitæ ſcilicet, ſuperſtruuntur (§. 450.), de ſanitate, & quæ eidem ſubeſſe & adjungi ſolent (§. 495.). Quare commoditas animi huc non pertinet, etſi corporis commoditas ſine animo percipi nequit, tanquam clare percepta immunitas a moleſtiis actionum & ſtatus noſtri (§. 521.).

Commoditas animi potiſſimum nititur virtutibus intellectus & vo-

tem & incommoda. mo in statu nostro. Involvit ea incommoda, quæ molestiam nobis creant, ideoque & actiones molestas faciunt, & in causa sunt, ut ex illis molestiam ac grave tædium percipiamus (§. 465. *P. I. Jur. nat.*). Inde & dolorum sensus incommodum est.

§. 526.

Gradus commoditatis cæt. varii. *Habet commoditas incommoditasque varia discrimina, ex molestiarum seu numero, seu gravitate, seu diuturnitate diversis prodeuntia.* Quemadmodum major numerus molestiarum, aut gravitas, aut diuturnitas, parit majorem incommoditatem; minor autem numerus, gravitas diuturnitasque minorem incommoditatem. Ex adverso, quo major est vacuitas molestiarum in actione & statu hominum, vel ratione numeri, vel gravitatis, vel diuturnitatis earum, eo major erit commoditas.

§. 527.

Ad quos in ejus cura respiciendum. *Quo major est incommoditas, eo magis illa est in civitate junctis viribus arcenda* & fugienda (§. 525.); & *quo major commoditas, eo magis illa sectanda* (§. 526.), *& conjunctis viribus procuranda*, quando privatis viribus ita obtineri nequit (§. 520.). Ita major est commoditas horologii minuta quoque prima & secunda indicantis, quam ejus, quod horas tantum indicat.

§. 528.

Curanda rerum utilium copia. Dum res utiles dicuntur, quæ ad vitam commode degendam requiruntur (§. 500. *P. I. Jur. nat.*): *patescit, ad commoditatem vitæ consequendam & promovendam in civitate requiri procurationem abundantiæ rerum quarumque utilium.* Rectori enim civitatis quam optime prospiciendum est civium vitæ seu corporis commoditati (§. 520.). Quod non nisi copia rerum utilium tanquam simul commodarum opportunarumque impetrari potest.

Opponuntur hic res utiles necessariis, quæ ad vitæ sanitatisque conservationem requiruntur, vel sine quibus vita & sanitas conservari nequit (§. 499. *P. I. Jus nat.*). Utiles igitur res non sunt per se necessariæ, dum necessitatibus vitæ & sine his pares su-

sumus. Vnde qui in simplicitate vitæ more quorundam barbarorum adquiescunt, illi commoditatem vitæ aut plane negligunt, aut parum tantum curant. Vtiles igitur res aliæ sunt, ac prorsus necessariae, & antequam de utilibus judicium feratur, necessariæ sunt seponendæ, quæ non sola utilitas flagitat, sed ipsa necessitas vitæ. Nempe utiles non inserviunt nisi evitandæ cuidam status & actionum nostrarum molestiæ. Si quis eas aptiori vocabulo commodas dicere malit, suo is abundet ingenio arbitrioque. In verbis enim simus faciles, modo in rebus conveniamus. Latius acceptum utile pro eo, quod cuidam usui nostro inservit (§. 262. *P. I. Phil. pract. univ.*), comprehendit quoque res necessarias, uti liquet exemplo cibi ibidem allato. Pariter quoque necessaria comprehendunt utilia, tanquam ad vitæ comcoditatem requisita (§. 302. 315. & 318. *Ontol.*). Sed non obstat latior significatus strictiori, ibi tantum obtinenti, ubi de commoditate vitæ sermo est; quemadmodum necessaria similiter ad vitæ hujus necessitatem restringuntur, quando de illa tantum agitur. In diversis disciplinis idem vocabulum differenti gaudere significatu, usu receptum est, ut memoriæ consulatur, v. g. ratio, relatio, veritas, sensus, judicium, aries, mundus, jus, & quæ non alia?

§. 529.

Res necessariæ quando sint utiles.

Fieri potest, ut res necessariæ simul accommodentur vitæ commoditati, ideoque simul sint utiles. Res enim dicuntur entia, quæ prodesse possunt ad quandam perfectionem nostram promovendam, seu quæ nos perficere valent, sive ratione animi, sive ratione corporis (§. 495. *P. I. Jur. nat.*). In primis ergo quæcunque ita existunt, ut nostrum perficere queant statum, rerum nomine censentur. Jam res necessariæ perficiunt vitam sanitatemque nostram ita, ut sine illis neutra haberi possit, quamdiu Deo placet (§. 499. *ibid.*). Enimvero nil obstat, quo minus salvis rebus necessariis aliquid accedat, aut jam adsit, quo eædem accommodentur & prosint nostræ commoditati, itaque

ſimul ſint utiles (§. 300. *ibid.*) & (§. 528.), majorisque propterea æſtimandæ.

Conſultum voluit divina benignitas & beneficentia noſtræ & neceſſitati & commoditati vitæ, ideoque res naturales aptas quoque noſtræ commoditati largitur, & nos obligat ad ſtudendum noſtræ quoque commoditati (§. 466. *P. I. Jur. nat.*). Dantur res neceſſariæ, quæ non tantum latiori ambitu ſunt utiles, ita quippe omnes ſimul utiles dici merentur (§. 495. *ibid.*), ſed & ſtrictius utiles & commodæ una ſunt. Aër eſt neceſſarius ad reſpirandum, & quatenus temperatus eſt, liber eſt ab incommodis æſtus & frigoris. Alimenta & medicameeta ſunt neceſſaria, & quatenus hæc liberant a moleſtiis morborum, illa vires ad alacriter agendum præbent, una commoditati ſerviunt. De ſomno, vigiliis, ſanitate, incolumitate, integritate membrorum, pulcritudine, aliisque ad commoditatem actionum noſtrarum nonnihil conferentibus, idem eſto judicium.

§. 530.

Cura copiæ rerum ſimul commodarum.

Quatenus res neceſſariæ ſimul commoditati ſunt accommodatæ, & quatenus res artificiales ſimul ad commoditatem utiles eſſe poſſunt; eatenus, uti privatæ, ita & publicæ curæ earum copia eſt eo magis provehenda. Sunt enim res neceſſariæ vel propter vitæ neceſſitates ita colendæ & augendæ, ut omnium vitæ præſidiis ſufficiant (§. 368. 394. & 450. *ſeqq.*). Quatenus vero & commoditati lenocinantur, utilitatemque inſignem ſecum habent conjunctam; eatenus & ob hanc expetuntur, majorique in pretio habentur non immerito (§. 529.). Idcirco & ſinguli cives in earum copia & abundantia comparanda laborare (§. 466. *ſeqq. P. I. Jur. nat.*), & rectores civitatis ad ea adjicienda, quæ privatorum vires excedunt, obligantur (§ 520.).

Quoniam ars humana ſapientem naturæ inſtitutionem imitari, & generatim actiones humanae ad eosdem fines comparari debent, ad quos tendunt naturales, ut collineent ad hominum

minum perfectionem (§. 49. & 55. *P. I. Phil. pract. univ.*): res quoque artificiales ad perfectionem animi, corporis & status nostri sunt conficiendæ & comparandæ a singulis (§. 261. *P. I. Jur. nat.*), & qui apti sunt ad hujusmodi artes inveniendas excolendasque, illi ad hoc ipsum obligantur (§. 264. *ibid.*). Vbi vero vires privatorum non sufficiunt ad illas sic tractandas, ibi rectorum civitatis est, publico ære, consilio & præsidio illas procurare & adjuvare, ut abundantes commercio cum peregrinis augendo destinentur (§. 520) & (§. 420. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 531.

Corollaria breviter indicata.

Quia res necessariæ, quatenus fieri potest, arte quoque sunt instruendæ ad commoditatem (§. 530.): liquet, cur templa & ædes publicæ ac privatæ publica autoritate non firmæ tantum sed quoque commodæ sint exstruendæ (§. 723. & 727. *P. VIII. Jur. nat.*), uti privato cuique id naturaliter incumbit (§. 469. & 644. *P. I. Jur. nat.*); cur superiori curæ esse debeat viarum publicarum, platearum, portuum, diversoriorum, munimentorum, armorumque commoditas (§. 722. *P. VIII. Jur. nat.*); cur & vestimentorum, lectorum, utensilium, instrumentorumque omnis generis utilium & percommodorum copiæ sit studendum (§. 396. *seq. ibid.*).

§. 532.

Quæ res sint fere tantum utiles?

Dantur quoque res naturales, aut præsertim, aut uni tantum commoditati litantes; quales & ars imitando naturam proferre consuevit officii jussu. Hujusmodi sunt, quibus necessitas vitæ facile caret, commoditas non æque. Recubare v. g. homines quoque possunt & solent super terra aut duro strato, minus moleste tamen super stragula, stramine & fœno; commodius vero in lecto & mollibus plumis. Sedent pariter super duro ligno, aut lapide, vel cespite terræ; commodius tamen super sella crinibus aut stramine farcta; aut culcita mollioris materiæ tecta.

Equitare possunt super dorso equi alteriusve jumenti; sed commodius id fit ephippio imposito convenienti. Iter faciunt quoque pedibus incedendo, at commodius navi, aut corrui apto insidendo. Hujus generis sunt omnia reliqua, sine quibus actio humana quidem fieri, sed haud satis commode potest.

Cum artis sit, imitari ac supplere & augere, quæ natura ostendit (§. 530.): illas quoque res augere, colligere, servare, perficere magis, & ad commoditatem instruere non licet tantum, sed quoque in officio est erga nos & alios (§. 466. *seqq.* & 644. *seq. P. I. Jur. nat.*). Itaque etiam in officio civitatis est, quatenus vel singuli cives, vel singulæ quoque domus non sufficiunt ad res utiles hujusce modi sibi adquirendas efficiendasque (§. 1. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 533.

Cur & harum affluentiæ sit studendum?

Rerum aut potissimum aut tantum utilium copiæ abundanti itidem studendum est in civitate. Dantur enim cum naturales tum naturalis, quarum præcipuus aut unicus usus est in vitæ commoditate (§. 532.). Sed harum quoque utilitas manifesta est in vitæ commoditate per hanc ipsam earum indolem. Est quoque in commercio promovendo, quoniam ditiores sibi amant comparare, quæ ad commoditatem vitæ suæ facere intelligunt, memores si fuerint suæ obligationis (§. 406. *P. I. Jur. nat.*). Est in ipso vitæ genere apud eos, qui multiplicato admodum hominum numero aliter sibi suisque aut melius consulere nequeunt, quam inserviendo aliorum commoditati.

Quamobrem quia officia hominum in civitate sunt provehenda (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*), & quia singuli cives, quin & singulæ domus omni commoditati vitæ consequendæ non sufficiunt (§. 1. *ibid.*): rectoribus civitatum opera est navanda, ne desit in civitate rerum ad vitæ commoditatem facientium copia omnibus sufficiens, immo abundans (§. 420. *ibid.*) & (§. 520.).

§. 534.

Quia abundantiæ rerum utilium in civitate est studendum (§. 533.); & operæ quoque æquiparantur rebus utilibus (§. 437. *P. II. Jur. nat.*): *curandum est in rep. ut & illæ res in potestatem redigantur, e quibus commoditas haberi potest* (§. 532.), *ut opera & arte humana ea fiant, quæ civium commoditas vitæ efflagitat* (*ibid.*), *& ut æquo pretio res utiles haberi possint*, quo nec exercentes operas & artes, nec iisdem ad commoda sua utentes, aut operibus earum artium fruituri, lædantur, sed sibi invicem commodare velint mutuo consensu (§. 319. *P. IV. Jur. nat.*). *Quomodo id fiat?*

§. 535.

Vt in potestatem civitatis redigi possint, quæ commoditas postulat, *disquirendum est rectori civitatis, quatenus facultatum, virium & rerum domesticarum aut exterarum usu, aliorumque seu vulgari auxilio, seu opera artificiali, aut commercio externo ea obtineri vel effici possint, quæ huc faciunt, ut, quæ agenda civibus sunt, sine molestia peragantur*, si quidem sua sit ea sors, ut licite potiri ista commoditate possint (§. 474. *P. I. Jur. nat.*). Ideoque *ea instituenda sunt* pro civitatis ope & dignitate, *quæ praxin officiorum reddant tam facilem, commodam, copiosam & certam, ac fieri rite potest, addenda quoque obligatio civilis*, ubi naturalis negligitur, ut saltem externi actus commoditati aliorum adversi coërceantur (§. 396. *P. VIII. Jur. nat.*). *Vlterior ejus explicatio generalis.*

§. 536.

Quia & serviles operæ commoditati eorum civium inserviunt, qui illas rectius aliis committunt, ut ipsi nobiliores agere possint, teste experientia: *pretium operarum civilium quoque in civitate ex æquitate generatim est determinandum* (§. 424. *P. VIII. Jur. nat.*), nec permittendum est, ut, qui servire nolunt, otiari aut male agere discant. Potius *adigendi sunt pigri homines ad servien-* *Specialis quæ operas serviles.*

viendum illis, qui æquam offerunt mercedem, nec oblatam dare detrectant (§. 396. & 422. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 537.

Qua artes & opificia. *Neque minus opera danda est, ut istiusmodi artes & opificia in civitate vigeant, quibus quam optime & abunde parentur ea, quæ commoditas vitæ optat.* Quæ publico sumtu egent, ad ea ex æquo conferre omnes jubendi sunt, quæ necessaria sunt, ut ista fiant & obtineantur. V. g. ut milites & exercitus alantur, ne singulis civibus arma sint tractanda, ut vigiles nocturni coërceant fures aliosque sceleratos noctu abutentes, quo cives commode suis vitæ generibus per diem vacare, per noctem dormire possint; ut plateæ lapidibus stratæ habeantur, ut viæ sint complanatæ, rectæ, tritæ & commodæ iter facientibus, cæt. (§. 531.). Quæ autem privato sumtu haberi, & ab his compensari possunt, qui ista commoditate uti cupiunt v. c. diversoria, popinæ cæt.: ea ut a privatis bene curentur salutis publicæ causa, & justitiæ æquitatique nil adversum committatur, publica procurandum est autoritate (§. 530. & 533.), v. g. ut scalæ commodæ in ædibus habeantur.

§. 538.

Qua justum ordinem. Ordinem quoque in negotiis publicis & privatis commoditati accommodari posse experimur, uti defectus ordinis & confusio haud parum molestiæ acturis affert, & optato eorum successui obstat. *Curandum* igitur quoque *in civitate, ut publica pariter ac privata negotia justo ordine suscipiantur & peragantur, nec impune sit, illum turbare, & eos impedire, qui ordine debito utuntur, partibusque suis funguntur* (§. 4. & 397. *P. VIII. Jur. nat.*), quemadmodum quilibet jure naturæ ad vitam ordinatam obligatur, qua statum suum perficit, & commode expedire singula negotia valet (§. 63. *seqq. P. II. Phil. pract. univ.*), & in domo quoque ordo requiritur (§. 775. *Oecon.*).

Quan-

Quantum molestiarum in agendo ordine evitetur & in bello & in pace, experientia luculenter testatur. Si libri in bibliotheca ordine sunt dispositi, & in catalogum relati, commode reperiri possunt, quando illis opus est. Quanta vero molestia quaerendi sint, si nullus adsit catalogus, nullus ordo in eorum situ, nemini esse potest ignotum. Sic in re domestica si res quoque suo ordine & loco collocentur, commode illis utuntur, qui ordinem tenent & observant. In praelio si milites & duces recto ordine utantur, nec eundem turbari patiantur, omnia bene geruntur. Quod longe secus habet ordinibus perturbatis & in confusionem redactis.

§. 539.

Etiam in modis agendi ea praeferenda, statuenda ac tuenda sunt in civitate, quae compendio quodam brevius, facilius & tutius ad scopum perducunt. Nemini enim obscurum esse potest, dari modos agendi eandem rem admodum diversos, & alios aliis esse longe commodiores. Jam homini jus est ad ea omnia, quae ad vitae commoditatem quomodocunque faciunt, & ad omnes actus & actuum modos huc requisitos (§. 468. *P. I. Jur. nat.*), & in civitate curandum est, ut sua salva sint cuique jura commoditatis, & ut abundent ea quoque, quae ad commoditatem vitae requiruntur una cum remediis eodem facientibus (§. 394. *P. VIII. Jur. nat.*). Cujusmodi cum sint modi agendi & degendi commodiores, qui compendio apto brevius, facilius & tutius ad finem ducunt, hos in civitate esse praeferendos caeteris, & promovendos legibus & obligatione civili (§. 396. *ibid.*), hos esse tuendos, & impediendos, qui illis obsistunt, liquet. *Qua modos agendi commodiores.*

Omnes omnino habitus artesque cujuscunque generis huc quoque tendunt, ut tollant molestias, ea agendi, quae per facultatem humanam fieri possunt, & actiones reddant expeditas, faciles, commodioresque. Quare promovendo artes omnis generis, promoventur simul compendia & commoda in agendo & statu agentium, quae reperiri possunt, usus que diuturnus & multorum

torum ſubminiſtrat. Quo meliores perfectioresque magiſtri omnium artium procurantur, & in civitate perpetuantur, eo perfectior in ea florebit omnis vitæ commoditas, eoque magis incommoditas arcebitur profligabiturque.

§. 540.

Cura jucunditatis vitæ quid requirat?

Quia jucunditas vitæ infert voluptatem innocuam ideoque licitam (§. 495.) & (§. 470. *P. I. Jur. nat.*), eaque in civitate procuranda eſt (§. 520.): *& ſingulis civibus conferendum eſt, quidquid poſſunt ad ſuam aliorumque vitæ jucunditatem* (§. 471. *ſqq. P. I. Jur. nat.*), & ſicubi deficiunt vires privatæ ad eam plene conſequendam (§. 1. *P. III. Jur. nat.*), ibi omnium h. e. *civitatis eſt, ea abunde procurare, quæ ad vitam jucunde transigendam requiruntur* (§. 9. *ibid.*), & ad curandum, ut unusquisque ſua jucunditate quiete perfruatur, nec in ea fruenda ab aliis impediatur (§. 4. & 17. *ibid.*). *Quæ cura rectori civitatis recte demandatur, & ab eo ſapienter gerenda eſt*, ne deſit cuiquam copia rerum ad eam expetendarum (§. 420. & 533. *ibid.*).

§. 541.

Cura commoditatis gradum munit ad jucunditatem.

Ad jucunditatem vitæ viam quaſi ſternit vitæ commoditas. Ea enim removet moleſtiam vitæ, & tædia cum ſtatu noſtro actionibusque confligentia (§. 495.). Sed moleſtia eſt contraria jucunditati, uti tædium repugnat voluptati, in qua jucunditas conſiſtit (§. 511. & 518. *Pſychol. empir.*). Remoto igitur contrario jucunditatis & impedimento, facilis ad eam aditus, ſeu facilior multo illius adquiſitio redditur, quam ſi contrarium illi obſiſteret repugnaretque. Quod cum ſit viam ſternere ad alterius adeptionem, oppido perſpicitur, commoditatem vitæ ejusque curam viam quaſi ſternere ad ejus jucunditatem.

§. 542.

Jucunditas variat ſe-

Dividi jucunditas vitæ poteſt ratione ſenſuum, quibus illa percipitur. Pertinent nempe ad illam *innocuæ oblectationes*

oculorum, aurium, narium, linguæ & palati, denique & ipsius tactus. Quando innocuam appello delectationem, eam innuo voluptatis perceptionem, quæ nocua non est, ideoque nec tædium parit, nec in tædium tandem abit (§. 383. *P. I. Phil. pract. univ.*): innocua enim nunquam tædium vel molestiam parit, nunquam in illam degenerat (§. 384. *ibid.*). Quod quando fit voluptas, tantum est apparens (§. 562. *Psych. empir.*): vera enim semper est innocua, semper constans, semper ex vero bono nascitur (§. 559 & 564. *ibid*). *cundum sensus.*

§. 543.

Quia jucunditati vitæ inserviunt res voluptatem sensuum licitam creantes, quibus repugnant tædia sensuum gignentes (§. 552. *seq. Psychol. empir.*); & jucunditas vitæ in civitate est promovenda (§. 540.), ideoque & res ad jucunditatem vitæ facientes copiose procurandæ sunt (§. 540.): manifestum est, res tales in civitate esse procreandas, augendas & perficiendas, quantum fieri potest, quæ innocuam civibus quibusque pariunt voluptatem ex sensionibus profectam (§. 533.). Quæ cum dicantur res voluptariæ, vel gratæ, delectantes & suaves (§. 501. *P. I. Jur. nat.*): *patet, procurandam esse in civitate abundantiam rerum gratarum, placentium, & voluptariarum* (420. *P. VIII. Jur. nat.*) *Procuranda rerum gratarum copia.*

§. 544.

Visui & oculis placent, quæcunque in rebus pulcra sunt, & arrident, locorum amœnitas & feminarum venustas, cum munditie & ornamentis, quæ observata sensibus, apta sunt ad voluptatem in nobis excitandam (§. 545. *Phychol. emp.*) & §. 476. *P. I. Jur. nat.*); auditui auribusque placet vox sonora, & blanda, ac (symphonia) consonantia tonorum egregia s. musica. Olfactui seu naribus placet fragrantia, sive suavitas odoris; gustui vel linguæ & palato dulcedo saporis, deliciæque. Ta- *Quænam sint res sensibus acceptæ.*

ctui denique, nervo & cuti omne delinimentum, ejusdem mulcedo & palpus placet, ut mollitudo, teneritas, & quidquid illum leviter grateque afficit vel titillat.

§. 545.

Arcendæ sunt res injucundæ. *Cura obtinendi affluentiam rerum gratarum, placentium & oblectantium simul involvit studium arcendi res ingratas, displicentes, injucundas & molestas.* Jucunditas enim & injucunditas, res gratæ & ingratæ, placentes & displicentes sunt contrariæ, quæ simul inesse eidem nequeunt, sed se mutuo expellunt, quod per se evidens est. Quapropter non potest non studium unius includere fugam alterius. Idcirco cura rerum gratarum & jucundarum continet simul curam abigendi & eliminandi res injucundas & molestas sensibus nostris.

Dum jucundæ res nos juvant & oblectant, injucundæ nos juvare & delectare nequeunt, pariunt igitur tædia, impediunt nostram perfectionem, ægre nos afficiunt, aut & dolore nos vexant, cruciantque.

§. 546.

Nexus jucunditatis commoditatisque. Quia cura rerum jucundarum simul infert fugam rerum injucundarum (§. 545.): *patescit, curam jucunditatis vitæ includere simul ejus commoditatis curam, quæ removet molestiam illi jucunditati adversam.* Obstat nempe jucunditati injucunditas, quæ est molestia (§. 523.). Sed molestiam fugiendam arcet commoditas vitæ (§. 495.). Hanc vero simul excludit jucunditas ei contraria. Quare cura jucunditatis vitæ eam continet curam commoditatis, quæ removet molestiam illi jucunditati adversam.

Non tamen una eademque est jucunditatis & commoditatis vitæ cura. Quod facile exemplis ostenditur. Ubi deformitas vel monstrositas abest, ibi propterea non adest pulcritudo, sed potest esse forma mediocris, nec pulcra dicenda, nec deformis. Ubi fœtor abest molestus, ibi non erit propterea suavitas odoris, sed

sed potest omnis abesse odor. Abesse potest calor, ubi nondum sentitur frigus, sed temperatus quidam status. Ita generatim si nulla sentitur molestia, propterea nondum sentietur jucunditas, sed quoddam inter utrumque medium, quod nec oblectet sensum, nec molestia afficiat, sed indolis sit neutrius. Interim latius patet injucunditas, quam molestia, quæ & statum medium notare ac includere potest, & molestiam. Posita vero jucunditate, tollitur una injucunditas eidem contraria, inde & molestia ei adversa, & sic ponitur commoditas illi respondens, quamdiu regnat jucunditas.

§. 547.

Corollaria ex indole voluptatis.

Quemadmodum jucunde vitam transigit, quisquis ea agit, ex quibus veram & constantem, saltem innocuam percipit voluptatem (§. 470. *P. I. Jur. nat.*): ita & *in promovenda jucunditate vitæ civilis non alia sectanda est voluptas sensuum in actionibus suscipiendis, quam innocua licitaque.* Inde *quia voluptas apparens tantum seu nocua & illicita illi repugnat*, tantum abest, ut huic sit patrocinandum, ut *illa* potius *severe sit prohibenda puniendaque pro gradu culpæ admissæ in abusu veræ, & studio pravæ sensuum voluptatis* (§. 545 *seq.*).

§. 548.

Quatenus jucunditas vitæ sit in potestate?

Vitæ jucunditas non est in civitatis potestate, nisi quatenus ea facultatum, virium & rerum suarum usu, aliorumque ope & auxilio efficere valet, ut ea agantur, e quibus voluptas vera, saltem innocua, percipi potest, & percipiatur. Est enim par ratio civitatis cujusque, ac hominis cujuscunque in statu naturali (§. 50 *seqq. P. VIII. Jur. nat.*), & (§. 2. *Jur. Gent.*). Sed eadem, quæ hic statuimus, valent de unoquoque in statu naturali (§. 475. *P. I. Jur. nat.*). Idem ergo quoque in statu civitatis est admittendum.

§. 549.

Ad quænam jus det?

Prout homini cuique, ita & *civitati jus est ad ea omnia, quæ ad vitam jucunde transigendam faciunt* (§. 472. *P. I. Jur. nat.*)

 & (§.

& (§. 548.), *æque ac ad omnes actus & gradus pro diversa civium sorte illuc comparandos.* Dantur enim & jucunditatis gradus uti commoditatis differentes (§. 526.) pro voluptatum sensualium numero, magnitudine, item certiori constantiorique fruitione. *Sic civitati fas est, prohibere ea, quæ jucunditati civium vitæ adversantur, & punire, si nihilominus commissa fuerint;* item *stabilire artes & officinas, quibus res jucundæ voluptatique futuræ abunde formentur;* nec non *pro gradu operum perfectionis diverso illis conveniens statuere pretium. Fas est, abundantiam illarum rerum sapienter curare,* sive domi nascantur, sive aliunde ope commercii petendæ sint, *e quibus res voluptariæ conficiantur.*

§. 550.

Publica pulcritudinis cura.

Quia pulcritudo rerum oculos pascit (§. 544.), *curandum in civitate, ut & pulcritudinis naturalis & artificialis, quæ vel naturalem imitatur, vel defectum naturalis supplet, ratio quam optime habeatur.* De pulcritudine corporis humani id evicimus ex aliis rationibus (§. 503.), quæ hic confirmantur ex officio privato publicoque curandi, ut vitam jucunde transigamus (§ 471. *P. I. Jur. nat.*) & (§. 520.). Nunc & in genere de aliarum rerum, sive naturalium, sive artificialium, pulcritudine idem commonstramus. Est enim extra controversiam positum, & homines singulos obligari, & ferri instinctu naturali ad vitam in vera & constanti jucunditate transigendam (§. 471. *ibid.*); & civitatem obligari, ad præcipiendum, quid fieri debeat, ut in civitate abundent & illa, quæ ad vitæ jucunditatem requiruntur (§. 394. *P. VIII. Jur. nat.*), & ad cives suos in custodia officii sui juvandos, ne ab aliis impediantur, item ad abhorrentes ab officio vi adigendos, ut minimum actus externos ad legem naturæ componant (§. 395. *ibid.*). Quapropter utique curandum esse intelligitur, ut pulcritudinis rerum tum naturalis, tum artificialis, quæ ex parte supplere potest, quod naturali deesse videtur,

ex

ex parte adjicere illi valet pulcritudinem artis rerumque arte factarum ad imitamentum formositatis naturalis.

§. 551.

Cum formositas naturalis quaquaversum diffusa sit per omnia naturæ opera, neque minus per omnia fere artis opera elegantia extendi possit, licet in aliis major, in aliis minor eius gradus locum habeat: *cura jucunditatis publica requirit, ut pulchritudo naturalis rerum civibus reddatur quam perspectissima cultissimaque; artificialis autem quam optime promoveatur in singulis artibus, quatenus in illis diversi ejus gradus locum habent.* Nimirum pulcritudo neminem jucunde afficere potest, nisi cui illa placet (§. 543. *Psychol. emp.*). Placere nemini potest, nisi in ipso excitet voluptatem (§. 542. *ibid.*). Voluptatem excitare nequit, nisi ejus perfectionem intueamur (§. 511. *ibid.*); intueri perfectionem non possumus, nisi eam adesse sat clare & certo cognoscamus (*ibid.*). Ergo ut cives jucunditate illa perfruantur, qua illos afficere potest pulcritudo rerum naturalis, opus est, ut & res naturales, & earum perfectionem pulcritudinemque probe cognitam habeant & perspectam, nec non ut eandem colant & perficiant, quam plurimum valent. Quo enim magis illam in omni sua magnitudine, multitudine, & præstantia præ omni artificiali perspectam habent, quoque magis certi & convicti de illa erunt, eo majori perfundentur voluptate constanti, eoque majori fruentur jucunditate (§. 549.).

Quo usque cura pulcritudinis pateat?

Eadem quoque valent de pulcritudine artificiali, uti per se patet; & præterea illius præstatio & præstantia sapienti cura artium & artificum publica est obtinenda, conservanda, & perficienda, quatenus in ipsa diversi ejus gradus pro diversa sortis civium indole locum habere possunt. Unde patescit amplissimus hujus curæ campus, qui major vix esse potest.

Uti privato cuique in ſtatu naturali jus eſt, pulcras ſibi exſtruendi ædes (§. 473. *P. I. Jur. nat.*); ita idem retinet in civitate, quæ id ipſum tueri ac promovere debet, ne a quopiam impediatur. Quid? quod curare ipſa civitas debet, ut ædes ſingulæ, qua publicæ qua privatæ, ea gaudeant pulcritudine, ſymmetria & eurythmia, quæ & omnium adſpectum delectet (§. 479. *ibid.*), & gradu pulcritudinis ſorti inhabitatoris reſpondeat. Idem valet de pulcritudine veſtimentorum plurimarumque rerum aliarum ad ſupellectilem domeſticam, inſtrumenta, opes & quoscunque alios uſus pertinentium. Tenenda quoque hic ſunt, quæ ad §. 506. notavimus.

§. 552.

Quid ſint ornamenta, cultus & mundus.

Quia *ornare* corpus dicitur, qui facto quodam ſuo eidem pulcritudinem quandam conciliat (§. 476, *P. I Jur. nat.*): ea *ornamenta* ſunt, quæ tantum ornandi gratia parantur & adhibentur (§. 492. *ibid.*); quæ vero & veſtiendo & ornando ſimul corpori inſerviunt, *cultus* nomine venire ſolent. *Mundus vero muliebris*, munditiem, cultum ornatumque earum complectitur, ſi *Livio* credimus *Hiſt. L. XXXIV. c.* 7. Neque noſtra tantum, ſed & alia corpora mundari & ornari dicuntur, ut ædes dii.

§. 553.

Quid curandum ſit circa ornamenta?

Ornamenta dum inſerviunt pulcritudini artificiali (§. 552.), quæ in civitate & licita eſt & provehenda (§. 551.): *curandum quoque eſt in civitate, ut abundet ornamentis cujuscunque generis & ſexus* (§. 549.), *& ut optima eorum habeatur ratio, ideoque alia alii hominum conditioni & ſorti deſtinentur* (§. 550.), *neque impune arrogentur & uſurpentur ab his, quibus non ſunt deſtinata vel permiſſa pulcritudinis adſcititiæ inſtrumenta documentaque.*

Sic legibus ſanciendum, an, quinam & cujusmodi ornamentis, v. c. annulis, armillis, margaritis, gemmis, earumve ſimulacris, catenis, inſignibus limbis, clavis &c. uti vel ornari poſſint aut de-

debeant, vel minus; ut sua cuique civium sorti ornamenta constent, quibus liceat uti, vel non liceat.

§. 554.

Pascunt oculos quoque pulcræ bestiæ, aves, plumæ, effigies, statuæ, sculpturæ, picturæ, scripturæ, porticus; pulcra & amœna nemora, vireta, topiaria, tripudia, specula, ambulacra, & prospectuum oblectamenta; pulcri flores, fructus, colores, pisces, fontes salientes, ignes artificiales; pulcra musea naturalia & artificialia, numophylacia, cimeliarchia, armamentaria & spectacula varia & ludicra rariorumque; pulcræ & elegantes bibliothecæ, comediæ, tragœdiæ, præstigiæ, artes schœnobaticæ & petauristarum &c. Quare & his sapienter in rep. locus est dandus, & harum rerum artifices opificesque in civitate requiruntur, & usus quidem innocuus illis indulgendus est, abusus vero prohibendus pœnisque cohibendus. (§. 550. *seq.*). *Circa alia oculorum oblectamenta.*

§. 555.

Teste experientia sunt & actiones decoræ jucundæ, indecoræ autem injucundæ. Eapropter *jucunditatis quoque causa actiones decoræ privata publicaque cura sunt promovendæ perficiendæque; indecoræ autem impediendæ, prohibendæ & emendandæ.* *Circa decoras actiones.*

§. 556.

Aures demulcent concentus auium, oscinum in primis, murmura aquarum præsertim in catarractis, lenes ventrum susurri, sonitus campanarum consonarum, machinæ sonoræ bestiarum æmulæ, ingeminans & reportans voces echo, tormentorum tonitrua, militum ordinatæ displosiones, soni laborantium ad numerum compositi, numerus oratorius & poëticus, & egregia orationis declamatio, musica omnis generis vocalis & instrumentalis, ad quam & cantillatoria, horologia & automata musica alia referuntur. Cum & aurium voluptas innocua privato publicoque studio in civitate sectanda sit & perficienda, *De curandis aurium blandimentis.*

ut

ut vita jucunde transigatur (§. 540. & 542.): *constat, & hæc aurium blandimenta sapienter esse procuranda & ad promovendas virtutes*, commovendos & regendos animos in hymnis, festivitatibus solemnitatibusque privatis & publicis *accommodanda* (§. 420. *seq. P. VIII. Jur. nat.*), ut appetitus sensitivus cum rationali in consensum reducatur (§. 580. *seq. P. II. Philos. pract. univ.*). Ubi ars requiritur, ibi & ipsius artifices sunt alendi, tuendi provehendique. Molesti vero auribus fabri remotius sunt locandi.

§. 557.

Cura fragrantiæ quid poscat. Olfactorium delectant suave olentia & fragrantia, uti flores, fructus, cortices, calami & herbæ grati odoris, item horti & sylvæ suavem spirantes halitum; item gummata gratorum effluviorum, moschus, ambra, balsama naturalia & artificialia variorum generum, suavium spirituum, pulverum & oleorum odoramenta, thura, unguenta & aromata odorifera cæt. Propter studia jucunditatis vitæ ducuntur haud pauci hujusmodi pica nasi seu appetentia, neque usus modicus ratione caret, in vario corporis humani statu. Quare cura gratarum rerum publica (§. 543.) *requirit & abundantiam suaviter fragrantium* sive per se, sive per ustionem, ut obortus fœtor naribus molestus fugari possit, cæterique usus boni odoris in promtu habeantur. Neque minori curæ habenda est amotio fœtoris, rancoris, putredinis & corruptionis olidæ rerum frequentioris, diuturniorisque, ideoque & egestio sordium ex ædibus & ex urbe per cloacas, ejectio fumi, expurgatio latrinarum nocturna procuranda, & fœtida opificia cerdonum, carnificum, lanienæ cæt. pro gradu fœtoris vel ad extremos urbis angulos relegari, vel saltem a præcipuis plateis removeri debent; pariter ac stabula pecudum fœtida, & saginæ porcorum &c.

§. 558.

Deliciæ linguæ & palati in dapibus, placentis mellitis, saccharatis aliisque dulcitudinis & aromatum illecebris refertis ferculis, & eduliis sapidis cujuscunque nominis, in vinis, musto mulso similibusque dulciculis, saltem gratis potionibus, & fumi suctionibus occurrunt. Quare cum *gustatus* sit sensus ex omnibus maxime voluptarius & exquisitus, quo plurimi varie capiuntur, & sapida præferunt alimenta insipidis haud immerito: utique & ejus *jucunditati litandum privato publicoque studio, modo coërceatur intra consensum cum ratione*, seu lege veræ voluptatis ab apparente recte discernendæ (§. 580. *P. II. Phil. pract. univ.*) & (§. 538. *Psychol. empir.*), ne sanitati noceatur, & luxus oriatur invalescatque. Opus igitur est, ut alimentorum per se sapidorum cultura in re agraria, hortensi, venatione, piscatione, apiaria, floreat, & exterorum in commercio justa ratio habeatur, uti sacchari, syrupi, aromatum; cæterarum autem cupediarum causa conditores, dulciarii, lactarii, coqui, zythopeptæ, musti mulsi vinique &c. pararii adsint pro sanis, & pharmaceutæ pro ægris præsertim reficiendis, ope gelatinarum, julapiorum, analepticorum, condimentorum, confectionum, anodynorum, cæt. Præterea & corruptioni alimentorum medicamentorumque remedia sunt quærenda & adhibenda, ne illa v. c. rancida, putida, fracida &c. fiant (§. 545.).

Cura rerum sapidarum & palato gratarum.

§. 559.

Tactui demulcendo quæcunque inserviant, ea ut abundent in civitate, privata publicaque opera est navanda (§. 543 *seqq.*). Quapropter ut lanæ, pilorum, plumarum varii generis, lini, cannabis, gossypii, serici, pellium, corii, cæt. copia habeatur, procurandum est, item ut textores, pelliones, cerdones, sutores, sartores &c adsint, qui inde jucunda conficiant, ut varia amictuum, lectorum, stragularum, culcitarum, ephippiorum, cadurcorum,

Cura jucundorum tactui.

(*Wolfii Politicæ P. III. S. II. C. III.*)

pulvinorum genera diversæ civium sorti in vario vitæ statu & usu accommodata; & ut illa æquo pretio venumdentur. Excessus tamen prohibendus & a morum formatoribus, & corrigendus, quo cives evadant justo delicatiores tenerioresque & inepti ad officia. Prouti aliis vestimentis utendum æstivo, aliis hyberno tempore, quorum illa calorem arceant & mitigent, hæc frigus. Sic & umbraculis, & conclavibus diversis in domiciliis, hypocaustis, frigidariisque; & umbra nemorum, gestationum, cryptoporticorum, xystorum cæt. gaudet recreaturque tactus (§. 545). Neque minus huc pertinet cura facilium matrimoniorum, in quibus voluptas venerea rite percipiatur; ne facile opus sit permissione lupanarium (§ 243. *P. VII. Jur. nat.*), sed potius castitas & pudicitia intra & extra conjugium promoveatur, & libidinis excessus severe arceantur in stupris, scortationibus, adulteriis, pellicatu, concubinatu, aliisque nefandis libidinibus (§. 244 *seqq.* 312 *seqq.* 332 *seqq. ibid.*).

§. 560.

Recreationum & ludorum. Quia animus quoque jucunditati se dat relaxatione intensionis virium diuturnæ, remissione laboris defatigantis, curarum inutilium fuga, requie corporis debita, gaudis, jocis, ludisque, quibus admissis reparantur vires corporis & recreantur: oppido liquet, *curam jucunditatis pertingere etiam ad recreationes corporis quascunque, innocuam voluptatem parientes, & ad procuranda copiose illa, quæ ad easdem percipiendas faciunt, prohibendos vero, corrigendos & pro re nata puniendos eorum abusus & torporem.* Quemadmodum ludi quidem relaxandi animi causa, & ad debitam attentionem, ingeniosamque deliberationem acuendam, probabilitatem æstimandi peritiam, corporis motionem, sanitatis causa, & virtutum exercendarum gratia concedendi; qui autem tantum quæstus ergo suscipiuntur, & prodigalitati, otio, fraudibus, rixis, cædi aliisque vitiis fomitem subministrant, severe compescendi sunt & proscribendi (§. 754 757. *P. VIII. Jur nat.*).

SECTIO II.

CAPUT III.

DE

Sapienti cura fortunæ civium.

§. 561.

Quia bona fortunæ ſtatum hominis externum perficiunt (§. 556. *Pſychol. empir.*) ſuntque bona externa (§. 555. *ibid.*); & lex naturæ nos obligat ad noſtrum aliorumque ſtatum externum, quantum licet, perficiendum (§. 167. & 222. *P. I. Phil. pract. univ.*), & ad fugienda ea, quæ & externum noſtrum aliorumque ſtatum deteriorem reddunt (§. 168 & 231. *ſeq. ibid.*): liquido apparet, cur & in civitate ſapienter curandum ſit, ut ſtatus civium externus conjunctis viribus, & quidem facilius, quam in ſtatu naturali, perficiatur (§. 397. *P. VIII. Jur. nat.*). *Requiritur* ergo *in civitate ſapiens cura bonorum fortunæ;* vel brevius, *cura fortunæ civium eſt neceſſaria.* *Neceſſitas curandæ civium fortunæ.*

Fortuna quidem non notat niſi eventum improviſum, ideoque & inopinatum (§. 540. *P. I. Theol. nat.*). Qui quando hominis ſtatum perficit, dicitur fortuna ſecunda, vel fortuna (κατ' ἐξοχὴν & ſimpliciter); quando eundem deteriorem reddit, appellatur fortuna adverſa, aut infortunium. Quando bona fortunæ dicuntur, nulla reſtat ambiguitas in bonis fortuitis innuendis. Brevitatis ſtudio fortunam hic appellamus eam, quæ ſecunda vel proſpera alias vocatur: uti & in unum caput contrahimus, quæ integram *ſectionem tertiam*, *tribus capitibus bona externa complectentem*, efficere potuiſſent, ſi fuſius de fortuna diſſerere lubuiſſet.

§. 562.

Fortunare dicitur alterum, quisquis in cauſa eſt, ut bonorum fortunæ potiatur, ſive ipſe ea illi largiatur & conferat, ſive oc- *Cives ſunt quam optime fortunandi.*

occaſionem, jus & habitum illa adquirendi ipſi conciliet. Dum fortuna civium ſapienter eſt procuranda (§. 561.): *quin ſapienter fortunandi ſint cives, dubio caret*, & quidem omnes conjunctis viribus, & quam optime maximeque fieri poſſit (§. 612 *ſeq.* P. I. *Jur. nat.*). Quæ cura cives reddendi fortunatos complectitur *curam cavendi, ne fiant aut reddantur ab aliis infortunati, vel avertendi ab ipſis mala fortunæ.*

§. 563.

Tria ſunt fortunæ bona.

Dividuntur bona fortunæ in benevolentiam, honores & opes, ſeu divitias. Etenim illa perficiunt ſtatum hominis externum, ſ. conſtant ex bonis externis (§. 561.), redduntque homines & cives fortunatos (§. 562.). Sed ſtatus hominum externus vel dependet ab aliis hominibus, ſeu perſonis, vel ab aliis rebus corporibusque. Qui ab aliis hominibus dependet, is eorum aut amorem & benevolentiam (§. 550. & 655. *œconom.*) Gewogenheit, aut exiſtimationem Hochachtung & honorem infert, ac pro fonte habet. Qui vero ab aliis rebus dependet, is corporum & jurium nobis utilium dominium (§. 959 *ſeq.* P. I. *Theol. nat.*), eorumque abundantiam includit, h. e. divitias opesque (§. 380. *œconom.*).

Opes nimirum, quæ & bona vulgo dicuntur, ſunt res dominio noſtro ſubjectæ (§. 448. *P. II. Jur. nat.*), quarum univerſitas quæ cuiquam eſt, appellatur ejus patrimonium (§. 452. *ibid.*). Sed opum vel patrimonii abundantia divitiarum nomine venit (§. 240. *P. IV. Jur. nat.*). Dum nempe patrimonium ſuperflua continet, abundare dicitur. Res vel ſunt corporales, quæ ſenſu percipi poſſunt h. e. corpora; vel incorporales, quæ intellectu tantum concipiuntur, h. e. jura (496. *ſeq. P. I. Jur. nat.*). Aliud eſſe aliorum hominum erga nos amorem, aliud honorem, & utrumque ſtatum noſtrum exteriorem perficere, liquet ex §. 633. & 765. *ſeqq. Pſychol. empir.* & §. 538. *P. I. Jur. nat.* Amor & honor cum gloria, confuſæ; benevolentia & exiſtimatio, diſtinctæ debentur cognitioni.

§. 564

§. 564.

Pariter *triplex datur malum fortunæ; malevolentia* & *odium, ignominia* & *contemtus, inopia* denique & *paupertas*. Obſtat enim malevolentia benevolentiæ, tollit odium amorem (§. 661. *Pſychol. emp.*) & (§. 617. *P. I. Jur. nat.*). Exiſtimationem denegat læditque ignominia, contemtus honorem, & contrarium utriusque ſiſtit (§. 787. & 811. *P. I. Jur. nat.*). Inopia defectum, & contrarium opum paupertas divitiarum ponit. Quæ licet ſex nomina ſint, tres tamen tantum notant res gradu differentes parumper, & tribus fortunæ bonis adverſas. *Tria fortunæ mala.*

§. 565.

Curandum eſt, ut inter cives vigeat, quanta poteſt, mutua benevolentia, exiſtimatio vel veneratio, & opulentia invicem promota. Sapienter enim in civitate procuranda ſunt bona fortunæ (§. 561.). Sed ea ſunt triplicis generis, nimirum benevolentia, exiſtimatio & divitiæ, ſeu opulentia (§. 563.). Quare intelligitur, ſapienter procurandam eſſe mutuam civium benevolentiam, exiſtimationem venerationemque (§. 520. *œconom.*), & opulentiam communi ſtudio provectam alterius tutioremque, quam in ſtatu naturali fieri poteſt (§. 397. *P. VIII. Jur. nat.*). Nec tantum procuranda, ſed & ut ſecura ſit, vigeatque, quantum fieri poteſt, quieta, tutaque illius fruitio, amplificatioque (§. 9. 15. 17. & 20. *P. VIII. Jur. nat.*). *Curanda eſt mutua bonorum fortunæ provectio.*

§. 566.

Avertenda e contrario eſt mutua malorum fortunæ cauſa, ſcilicet malevolentia, contemtio & diminutio opum. Etenim cura reddendi cives fortunatos involvit curam cavendi, ne fiant infortunati, & averruncandi ipſorum mala fortunæ (§. 562.). Sed mala fortunæ ſunt malevolentia, ignominia & inopia (§. 564.). Horum igitur cauſæ, quantum licet, ſunt arcendæ, extincta malevo- *Avertenda malorum fortunæ illatio.*

 lentia,

tentia, despicientia, & opum præreptione aut ereptione, vel generatim deminutione.

§. 567.

Quid benevolentia complecti debeat.

Mutua civium benevolentia includere debet mutuum eorum amorem & favorem, mutuam dilectionem, charitatem, amicitiam gratiamque. Est enim benevolentia voluntas erga alterum tam benigna ac erga se, eaque constans & perpetua, seu est virtus alteri nonnisi bene cupiens ac sibimet ipsi, itaque prona in ejus bona promovenda (§. 550. *Oecon.*). Nititur ergo distincta cognitione alterius, per quam propter Deum dignus judicatur tam benigno nostro de ipso ac de nobis sensu, & in ipsum eodem animo studioque (§. 63. *P. V. Ethic.*). Quia sic non nisi bene de ipso sentimus, perfectionem ejus una confuse concipimus, placetque is nobis propterea, h. e. amamus ipsum (§. 633. & 649. *Psych. empir.*). Atque sic includit benevolentia amorem alterius. Quoniam vero quæ in homine sunt, ejusque appetitus sensitivus & rationalis, inter se consentire debent, & sensitivus ad hunc consensum est reducendus (§. 581. *seq. P. II. Phil. pract. univ.*), benevolentia mutua includere amorem civium mutuum debet (§ 609. *P. I. Jur. nat.*).

Quoniam favor vulgo non est nisi amor personæ ob singularia ejus bona, quæ nobis placent (§. 691. *seqq. Psych. empir.*), eadem de illo valent, quæ jam de amore in aprico sunt.

Quisquis alteri est benevolus, is benigne de ipso judicat, esse videlicet illum sua benevolentia æque ac se ipsum dignum, ideoque nec nisi bene erga ipsum animatus, quævis bona ipsi cupit, vult, ac precatur optatque animo suo ut sibimet, per modo ostensa. Hinc pronum in ejus bona juvanda non potest non sequi constans ac perpetua volitio, ejus felicitatem promovendi, quæ est dilectio ejus (§. 617. *P. I. Jur. nat.*). Ideoque mutua benevolentia includere debet mutuam civium dilectionem.

Habi-

Habitus diligendi alterum tanquam ſe ipſum, eſt charitas (§. 620. *P. I. Jur. nat*). Quia, ut modo deduximus, mutua benevolentia includit mutuam dilectionem, quæ, ut ſit, qualis eſſe debet, ex virtute debet proficiſci: conſtat, ſimul mutuam civium benevolentiam includere & complecti quoque debere mutuam civium charitatem.

Denique quia amicitia eſt mutuus plurium amor, & mutua eorum erga ſe invicem charitas (§. 675. *P. I. Jur. nat.*), & per demonſtrata mutua benevolentia continere debet mutuum hominum amorem, mutuam dilectionem charitatemque; relinquitur, mutuam civium benevolentiam parere etiam mutuam eorum amicitiam.

Gratia notare ſolet cum amorem & favorem immeritum, tum præſertim dilectionem, charitatem & amicitiam, nulli noſtro operi debitam, vel præter meritum noſtrum nobis ſapienter teſtatam. Eo quod mutua civium benevolentia in confuſe cognoſcentibus affectibusque, amorem & favorem mutuum ſibi adjunctum habet; & in diſtincta cognitione dilectionem, charitatem amicitiamque mutuam parit, per evicta: cogitur jam, eam quoque includere mutuam civium erga ſe invicem gratiam, quæ in primis ſuperioribus erga inferiores tribui ſolet.

Eſt benevolentia fœcunda mater plurium mentis facultatum, diſpoſitionum & habituum alterius cujusque ſtatui externo perficiendo inhiantium & inſervientium. Neque inepte mater amoris & favoris (Gunſt), ut affectus, dicetur, quatenus in his vel neglecta tantum eſt diſtincta cognitio & directio intellectus, quæ adhiberi potuiſſet; vel ſi quondam adhibita eſt, in celeritate actionis non attenditur, ſive ſit oblivioni data, ſive tantum mora deſit, ad illam diſtincte in animum revocandam ſufficiens. Vti v. g. quando legimus, non amplius diſtincte memoria recolimus omnes atque ſingulas recte legendi regulas, ſed per habitum illis promte utendi adquiſitum, deproperamus lectionem,

in confusa regularum legendi notitia adquiescentes. Plures vero dari hujusmodi filias benevolentiæ genuinas, infra ostendetur in misericordia mutua, concordia mutua, lenitate, mansuetudine mutua, similibusque. *Plerumque nec abs re hoc genus bonorum poni solet in amicis & amicitia.*

§. 568.

Modus mutuam civium benevolentiam obtinendi.

Mutua benevolentia inter cives excitanda & tuenda est tum per eos, quorum & in civitate obligatio est & officium docendi & perficiendi alios in virtutibus; tum per leges ad eam obligantes, earumque sapientem exsecutionem. Scilicet mutua civium benevolentia est virtus (§. 567.). Quæ si excitanda est in animis hominum, eorum facultas bene volendi & cupiendi aliis traducenda est in habitum, ut is animo ingeneretur, & in illo oriatur; si tuenda est, is habitus est conservandus, ut constans maneat & perpetua illa voluntas virtusque. Jam virtutes naturales non adquiruntur, nisi leges divinas doceant hi, quorum hoc est officium, uti in domo patres & matres familias, in scholis præceptores & professores, in templis concionatores, in curia & tribunali magistratus & judices; nisi convincant animos de suo officio legibus obsequendi, ut viva cognitione earum actiones suas ipsis conformare suum arbitrentur; nisi modum legibus satisfaciendi ostendant, exemplis præluceant eundem; nisi exempla imitari, & leges exercere curent; exercitia vero emendent & continuent, donec quam optime succedunt. Eædem non conservantur nisi continuato subinde exercitio, & remotis earum depravationis causis. Quod satis superque ex moralibus constat. Eapropter mutua benevolentia & in civitate excitanda tuendaque est per eos, qui & civiliter obligantur ad virtutes sua doctrina, autoritate publica, & exemplo instillandas aliis, perficiendasque.

Sed quia hi, qui cum imperio sunt, plurimum in civitate valent, & naturali obligationi civilem per præmia morigeris

geris pro meritis largienda, & pœnas immorigeris infligendas addere possunt ac debent, quoties id salus publica requirit (§. 396 *P. VIII. Jur. nat.*); & leges ferendæ sunt de his, quæ fieri a civibus debent, aut omitti, seu non fieri (§. 582. *ibid.*): mutua benevolentia civium quoque legibus civilibus est inculcanda, & quando actiones civium secundum illas leges sunt dijudicatæ, sententia est exsequenda (§. 555. *seqq. P. VIII. Jur. nat.*).

§. 569.

Modus catholicus.

Omnium atque singulorum civium est, mutuam benevolentiam provocare, & fovere suis persuasionibus factisque huc comparatis, hoc est suæ erga alios benevolentiæ exemplis indubitatis. Omnes enim atque singuli cives quodam gaudent commercio cum aliis civibus suæ & peregrinæ civitatis, saltem possunt eo gaudere, idonea ratione id flagitante. Quo hic utimur postulato. Sed dum rem cum ipsis habent, possunt ea ipsis persuadere, quæ mutua perfectionis felicitatisque ratio commendat, possunt jubere, consulere, commendare, laudare, rogare, adhortari, allicere (§. 983. *seqq. P. I. Theol. nat.*) & (§. 125. *seqq. P. II. Phil. pract. univ.*). Cum vero nihil in moralibus efficacius & vulgatius sit, quam exemplo suo docere, & inducere alios ad idem agendum (§. 275. & 277. *P. II. Phil. pract. univ.*) & æmulandum (§. 289. *ibid.*): mutua quoque civium benevolentia optime provocatur, conciliatur, colitur & fovetur exemplis benevolentiæ aliis quibusque præbendis. Sua nempe benevolentia quilibet accendit & fovet benevolentiam aliorum erga se omnium optime validissimeque.

Non potest non unicuique placere, alterius in se benevolentia, quam experitur, uti malevolentia per se displicet. Sensu igitur benevolentiæ alterius commovetur duciturque naturaliter quilibet, ad vicissim alteri bene cupiendum, idque pariter declarandum ita, ut & alter id sentiat & indubie experiatur. Succurrit

currit ipsi lex æquitatis naturalis: quidquid merito vis, ut alii tibi faciant, id fac & ipsis (§. 99. & 102. *P. I. Jur. nat.*). Jam cupiunt merito, ut alii erga ipsos potius sint benevoli, quam malevoli. Idcirco vident, & se benevolentia sua complecti alios debere. Hæc est illa regula vulgaris: si vis vel cupis, ut alii sint benevoli erga te, anteverte eos tua in ipsos benevolentia, vel esto ipse benevolus erga eosdem, & fac, ut id reapse experiantur.

§. 570.

Et in aliis similibus procedens.

Quæ de benevolentia mutua comparanda exposuimus, *eadem quoque valent de dilectione, charitate, amicitia, gratia, clementia, humanitate, officiositate, justitia, æquitate, fide, patientia, mansuetudine, placabilitate, de liberalitate, beneficentia, misericordia, grata mente, lenitate, sinceritate, veracitate, taciturnitate, urbanitate, concordia,* mutuis reddentibusque vicem. Sunt enim hæ omnes virtutes ad aliorum statum externum perficiendum, augendam eorum felicitatem, quod suum est, vel symbolam suam, conferentes haud secus ac benevolentia, uti *ex Jure Naturæ & Ethices P. V.* constat. Quapropter quæ de benevolentia ostendimus (§. 568. *seq.*), eadem ob rationis paritatem de ipsis itidem sunt admittenda atque tenenda. Conf. de humanitate Rectoris erga cives §. 273-276. *P. VIII. Jur. nat.* Licet vero amor, commiseratio & favor vulgaris non sint virtutes, sed nudi affectus; quatenus tamen regi ab intellectu, & in consensum cum virtutibus redigi possunt, eatenus & modus excitandi fovendique hos affectus non discrepat ab eo, quo istæ virtutes gignuntur, nisi in cognitionis gradu inferiori h. e. in confusa tantum sensione eorum, quæ in virtutibus distincte & plenius perspiciuntur (§. 1078-1083. *P. VIII. Jur. nat.*).

Hinc dici consuevit, si vis amari, ama; si cupis aliorum favorem, faveas & ipsis; si commiserationem mereri cupis, commiserator ipsorum vicem uti tuammet. Quæ locum in bestiis itidem

dem

dem habere intelliguntur, quæ & ipſæ amant ſe amantes, & quos amant pullos, eos & protegunt ac defendunt, quanta vi poſſunt; uti vice verſa oderunt ſe odio habentes, iraſcunturque ſibi iratis, atque vicem reddunt in cæteris, ut v. g. equus equum, mulus mulum ſcabat &c. Commune ergo hoc genus agendi & naturale eſt animalibus, nec homini proprium, multo minus ſingulare quiddam eſt in hominibus, ſed vel ſceleratis uſitatum, *Matthæi* V, 46. *ſeq.* *Lucæ* VI, 31. *ſeqq.* Multo magis igitur in virtutibus id eſt frequentandum excolendumque.

§. 571.

Avertenda civium diſcordia.

Quia civium concordia eſt promovenda (§. 570.), *diſcordia eorum privata publicaque autoritate eſt præcavenda, & ſi qua oborta fuerit, mature in prima herba ſuffocanda.* Vti enim concordia eandem circa officia plurium voluntatem, qua unus idem vult, quod vult alter, & idem non vult, quod non vult alter (§. 132. P. 7. *Jur. nat.*): ſic diſcordia diverſitatem ſeu repugnantiam animorum circa officia ſiſtit (§. 133. *ibid.*), ut diſſideat plurium voluntas circa officia erga ſe invicem, itaque unus id velit, quod non vult alter; & alter nolit, quod alter vult. Quoniam cives obligantur ad legum obſervantiam, pariter ac ſocii (§. 60. *ibid.*), & ad eadem officia charitatis, humanitatisque ſibi invicem præſtanda (§. 618. *ſeqq.* *P. I. Jur. nat.*), civiliter quoque obligandi ſunt (§. 396. *P. VIII. Jur. nat.*), providendumque, ut facilius idem fieri poſſit, quam in ſtatu naturali (§. 397. *ibid.*): oppido patet omnibusque, diſcordiam, per quam alii detrectant ea aliis præſtare officia, quæ ſibi tamen ab illis præſtari cupiunt, aut jam præſtita ſunt, privata pariter aliorum civium, ac publica magiſtratus autoritate eſſe præcavendam, ne oboriatur (§. 562); ſi tamen irrepſerit, eam quantocyus eſſe tollendam extinguendamque (§. 566.).

Civitates, inquit *Ariſtoteles Nicomach. IX. c. 6.* concordes ſunt, cum de conducentibus conſentiunt & eadem eligunt agenda; ut,

cum omnibus placet, magiſtratus eſſe eligendos, cæt. Diſcordes autem ſunt, cum non conſentiunt circa illa, ſed alii alia fieri cupiunt.

§. 572.

Et diſſidia. Cum diſſidia & ſententiarum divortia pariant diſſenſionem & diſcordiam circa mutua officia, locuplete experientia teſte: apparet, ob diſcordiam inter cives evitandam (§ 571.), *curandum pariter eſſe in civitate, ne irripant diſſidia, invaleſcant, & augeantur; ſed potius, ut civium circa mutua officia conſenſus obtineatur foveaturque, & ut oborta diſſidia e medio quantocyus tollantur, interpoſita præter naturalem & civili obligatione* (§. 568.).

§. 573.

Litesque ſopiendæ. Quia lites & controverſiæ civium, de ſuis rebus & juribus privatis ex diſſidiis eorum circa illa oriuntur: *manifeſtum eſt* per §. 572, *eas aut amica ratione eſſe componendas*, adhibitis, prout conſultum deprehenditur, arbitris & conciliatoribus æqualis aut ſuperioris conditionis; *aut*, ſi id fieri nequit, *a judicio publica autoritate*, rite excuſſis omnibus momentis, *decidendas*, ut quantocyus ceſſent (§. 983. *ſeqq. P. VIII. Jur. nat.*). Quod eo diligentius curandum, quo plures cives aut familiæ litibus implicantur.

§. 574.

Præcavendæ factiones &c. *Multo magis cavendum eſt, ne inter complures cives de rebus publicis oriantur diſſidia, diverſa ſtudia & factiones, æmulatione quadam de principatu contendentes, indeque tumultus & ſeditiones contra magiſtratum.* Etenim ſi diſſident cives de re publ. diſſentiunt de illius conſtitutione (§. 16. *P. VIII. Jur. nat.*), v. c. circa onera & jura civium, quorum illa minui, hæc augeri ſibique tribui cupiunt, idque aut jure ſuo ſe facere arbitrantur, aut, ſi jure deſtituuntur, vi tamen aliove modo id impetratum eunt. Multos igitur ſibi adjungunt ſocios adjutoresque, & ſic naſcitur multitudo civium ab aliis diſſidentium, quorum commoda & jura

jura in ſe derivari cupiunt, quæ factio audit, & plerumque in partem malam accipitur. Factionum obortarum contentione pravaque æmulatione de victoria reportanda, quam ſperant, ipſa ſalus publica in diſcrimen adducitur, ſæpeque multum patitur detrimenti, quod triſtia docent earum exempla. Abeunt illæ haud raro in tumultus, ſive repentinos concurſus factioſorum ad res ſuas vi urgendas contra alios, qui cum ingenti periculo, timore, trepidatione & perturbatione ſtatus civitatis conjuncti eſſe ſolent. Nec deſunt exempla, ubi ſeditiones & rebelliones contra Rectores civitatis & bella inteſtina cum inſigni clade aut everſione reip. inde propullularunt. Quæ cum ſint delicta & crimina graviora, majusque ac alia nocumentum & periculum afferant civitati, majori etiam cura & ſapientia ſunt præcavenda, & graviori pœna, ſi admittantur nihilo ſecius, coërcenda (§. 626. *ſeqq. P. VIII. Jur. nat.*) pro meritorum ratione.

§. 575.

Mutua benevolentia & concordia requiritur inter omnes ſocietates minores quæ in rep. requiruntur, earumque omnes ſocios (§. 136. *P. II. Jur. nat.*), qua quippe fieri ſolet, ut res parvæ creſcant, uti diſcordia vel maximæ dilabuntur. Cum ſocietates minores & familiæ ſegreges in civitatem coëant, ac velut in unum corpus conſociatione coaleſcant, propter ſuam & indigentiam vitæ cultioris affluentiæque rerum omnium ſic melius adipiſcendam, & propter impotentiam arcendi aliorum injurias, ut illis depellendis, vindicandis & fini ſuo rectius & ex aſſe conſequendo pares evadant (§. 1. *ſeqq. P. VIII. Jur. nat.*): manifeſtum eſt, *concordiam in ſocietatibus minoribus quibuscunque in ſe ac inter ſe & privata ſociorum ſingulorum, & publica cura eſſe quærendam tuendamque; & præcavendam cum ſociorum in qualibet, tum & ſocietatum illarum inter ſe diſcordiam* (§. 565. *ſeqq.*).

Promovenda ſocietatum minorum concordia.

§. 576.

Vti civitatum minorum & provinciarum.

Inter ſocietates minores referuntur provinciæ (§. 125. *P. I. Polit.*), & civitates minores, quæ majori compoſitæ quomodocunque ſubſunt (§. 143. & 149. *ibid*); item ordinum reip. omnium (§. 126. *ſeq. P. II. Polit.*). Quia civitati curanda eſt concordia minorum ſocietatum, quæ in illa dantur, aut cum illa conſociantur, & præcavenda earum diſcordia in ſe atque inter ſe invicem (§. 575.): *conficitur inde officium civitatis procurandi & ſingularum provinciarum ſeorſum ſpectatarum, & earundem quoque conſociatarum inter ſe omniumque reip. ordinum mutuam benevolentiam, concordiamque* (§. 569. *ſeq.*); & *avertendi ſapienter earum ſeparatim aut conjunctim ſumtarum diſcordiam diſſidiumque.* Si civitates minores diverſis gaudent provinciis, uti provinciæ diverſis gaudent oppidis, urbibus, pagis, vicisque & familiis ſegregibus: partium quoque harum concordiam in ſe atque inter ſe eſſe promovendam; diſcordiam vero præcavendam, litesque exortas tollendas, indubitatum eſt (§. 571.).

§. 577.

Societatum literariarum & civilium.

Argumentis iisdem, quæ attulimus §. 576, conſtat quoque, *curandam eſſe concordiam, avertendam vero diſcordiam in ſocietatibus inventricibus pariter ac doctricibus omnium ſcientiarum & artium,* liberalium & illiberalium, quocunque nomine appellentur, *tum in univerſa civitate, tum in ſingulis ejus partibus conſociatis,* provinciis, urbibus, pagis, vicisque. Neque tantum in unaquaque hujusmodi ſocietate inter ſocios ejusdem, verum quoque inter diverſas quascunque ſocietates, vel inter quoscunque diverſarum ſocietatum ſocios idem eſt obſervandum (§. 575.). Includi hiſce ſocietates mercatorum majores, cujusmodi ſunt Indicæ eisque ſimiles, & minores, cujuscunque generis mercaturæ; tribus opificum, artificumque; facultates diverſas eruditionis, academias qualeſcunque &c. vel me tacente liqueret.

§. 578.

Familiarum & domorum.

Neque aliis opus eſt rationibus, ad oſtendendum civitatis *officium procurandi concordiam & avertendi diſcordiam familiarum*, ſæpe longe lateque diffuſarum, nobilium & plebejarum, *atque domorum ſingularum*, urbanarum ruſticarumque, ſeorſim & conjunctim ſpectatarum (§. 575.).

§. 579.

Societatum beril. pat. & conjugalium.

Ob parem rationem procuranda quoque eſt concordia ſocietatum herilium, paternarum & conjugalium, e quibus domus coaleſcere ſolent. Avertenda autem earum diſcordia, &, ſi qua oborta eſt, propediem ſopienda, aut in judicio decidenda (§. 573.).

§. 580.

Cur amicitiæ magis ſit ſtudendum?

Quia amicitia majorem infert mutuam benevolentiam, quam concordia, uti patet ex definitionibus & conſectariis inter ſe comparatis (§. 625. *ſeqq. P. I. Jur. nat.*) & (§. 132. *ſeqq. P. VII. Jur. nat.*): *majori* quoque *cura incumbendum eſt in illius inter cives frequentiam conſtantiamque.* Eapropter & *contraria amicitiæ inimicitia parili cura eſt avertenda* (§. 566.). Cum utrumque propter majorem gradum ſalutis publicæ, ad quam omnia in civitate conſtitui & collineare debent (§. 394. *P. VIII. Jur. nat.*), curandum ſit (§. 565.): evidens eſt, *quo major eſt amicitia aut inimicitia, eo majori quoque ſtudio illam eſſe fovendam augendamque, hanc minuendam delendamque modis* (§. 568. *ſeq.*) præſcriptis.

Benevolentiam ſimilem eſſe amicitiæ, non tamen ipſam amicitiam, bene obſervavit *Ariſtoteles Nicomach. IX. c. 5.* his verbis: Ευνοια φιλια μεν εοικεν, ȣ μην εςι γε φιλια. *Cap. 6.* vero addit, pertinere concordiam ad amicitiam vulgarem, dum ait φιλικον δε ἡ ὁμονοια φαινεται . . . . πολιτικη δε φαινεται ἡ ὁμονοια, cum verſetur circa conducentia ſocietati, & quæ ad vitam communem requiruntur, nec niſi inter probos permanens ſit. Neque enim neceſſe eſt, ut, qui concordes ſunt, iidem & ſint inter ſe amici. Poſſunt enim ſui cauſa concordes agere, quidquid agunt, quatenus

nus eorum commodum commune eſt; ſed amici agunt alterius potiſſimum cauſa, quod agunt, dum ex amore alterius & charitate felicitatem ejus quærunt, & alterius felicitate tamquam ſuamet delectantur. *Foveri* hic dicitur, cujus ortum, progreſſionem, conſervationemque noſtro favore complectimur, noſtroque dignamur auxilio præſidioque.

§. 581.

Et amicitiæ arctiori conſanguineorum.

Cum inter parentes & liberos tam arcta intercedat ſocietas, a qua per educationem omnis liberorum felicitas (§. 710. *ſeq. P. VII. Jur. nat.*), & per ſucceſſionem in patrimonium omnis fere eorum fortuna poſt Deum dependet (§. 975. *ſeqq.* & 982. *ibid.*): arctior inter parentes & liberos conſanguineosque intercedere debet mutua benevolentia, concordia & amicitia, quam inter cæteros cives (§. 733. & 804. *ibid.*) & (§. 506. *Oeconom.*). Quare cum concordia & amicitia in civitate ſit fovenda & procuranda, diſcordia vero proſcribenda (§. 565. *ſeqq.* & 570. & 575.): pateſcit, *amicitiam mutuam inter parentes & liberos, omnesque conſanguineos eo magis eſſe fovendam, quo arctior illa eſſe, atque ideo, quo plus prodeſſe & civibus inter ſe & civitati ipſimet debet* (§. 580.). *Eo majori ſtudio quoque diſcordia inter eosdem eſt præcavenda atque tollenda.*

§. 582.

Præcipue conjugum.

Inprimis arctiſſima dari debet amicitia & familiaritas inter conjuges, quorum bonorum, corporumque intima datur communicatio (§. 98. *Oeconom.*). Quæ cum, quo arctior eſt, eo magis proſit & conjugibus inter ſe, & eorum ſoboli, & domo, & ipſi civitati univerſæ, per ſobolis procreationem, qua morientium civium numerus & ſupplementa nanciſcitur & incrementa (§. 270. *ſeqq. P. II. Polit.*): *illa & eo majori ſtudio & doctrina & autoritate publica ac poteſtate magiſtratus procuranda, fovenda & amplianda eſt in civitate, & diſcordia atque inimicitia conjugum præcavenda terminandaque* (§. 580.).

§. 583.

Quoniam conjuges arctiſſima inter ſe non ſolum amicitia ſed & unione gaudent (§. 98. *Oecon.* & §. 469. *P. VII. Jur. nat.*), ita, ut omnes eorum res ſecundæ adverſæque ſint communes; conſequens eſt, ut ea omnia, quæ quis ſibi debet, debeat & alteri, & quæ alteri obtingunt, ſibi obtigiſſe ſtatuat (§. 470. *P. VII. Jur. nat.*), & perpetua inter eos eſſe debeat vitæ conſuetudo (§. 473. *ibid.*). *Inſignis illa cura amicitiæ conjugalis* in rep. quam optime fovendæ augendæque (§. 582.), *requirit, ut civibus facillimæ reddantur conditiones conjugiorum,* & *impedimenta eorum tollantur, quantum licet* & *ſapienter fieri poteſt* (§. 273. & 826. *ſeqq. P. VII. Jur. nat.*) & (§ 561.). Idem valet de incolis, mercenariis, ſervisque (§. 196. *P. II. Polit.*). *Hinc expedita ſint matrimonia.*

§ 584.

Redduntur autem conditiones matrimoniorum expeditæ, ſi, quantum naturaliter & moraliter fieri poteſt, in civitate licitæ ſint ſocietates conjugales; ſi, temere conſenſum denegantibus, vel parentibus vel tutoribus, is publica autoritate ſuppleatur; ſi favore & præmiis conjuges etiam propter prolem aptam foveantur laudabiles; ſi ſuppetant ac ſuppeditentur ipſis facile & gratis fere, quantum fieri poteſt, ea, quibus opus eſt ad recte ineundum gerendumque matrimonium, ut alere ſe & liberos honeſte pro ſua ſorte in eodem poſſint; ſi obligentur ad ineundum matrimonium, vel quando jus civitatis & commoda civium obtinere cupiunt, vel quando cæteræ rationes civiles non obſtant; ſi denique diſſolutio matrimonii non admittatur, niſi quando eam poſtulant rationes graviſſimæ Quæ ſubſidia conciliandi conjugii, ejusque impedimenta tollendi, cum cuilibet facile pervia videantur, neque ab uſu abhorreant, non videntur egere ulteriori diſcuſſione moralis neceſſitatis (§. 941. *Ontol.*) & (§. 583.). *Modi matrimonia expediendi.*

§. 585.

Quomodo feminarum & viduarum fortunæ prospiciendum?

Vt pariter durante ac finito matrimonio sexus sequioris imperitiæ & imbecillitati consulatur, *concedi eidem debent tum curatores litis & graviorum negotiorum, tum privilegia restitutionis in integrum, saluti publicæ non adversa.* Quoniam imperium civile ita exercendum, ut bonum publicum, quantum fieri potest, promoveatur (§. 809. *P. VIII. Jur. nat.*): privilegia quoque non temere, sed salutis publicæ causa sunt danda (§. 872. *ibid.*). Quare curandum est, ut & muliebres actus, saltem externi, in civitate ad salutem publicam & legem naturæ componantur (§. 395. *ibid.*). Quod quatenus præ imperitia & sexus sui infirmitate fieri nequit sine privilegiis ipsis indultis, concedenda ipsis sunt privilegia eodem comparata; quatenus vero egent curatoribus negotiorum & causarum suarum, quibus per se impares sunt, præsertim litigiosarum, ne præter rem in foro protrahantur (§. 985. *ibid.*), ipsisque injuria fiat (§. 532 *seqq. ibid.*): dandi ipsis sunt curatores, obligandique ad earum res fortunasque recte gerendas.

Hujusmodi privilegium apud Romanos erat *senatusconsultum Vellejanum*, quo cavebatur, ne feminæ pro alio intercedant, itaque fidejussiones temerariæ & noxiæ earum irritæ declarabantur. Similiter, ne aliis contractibus virgines viduæque callide circumveniantur lædanturque, aliis juribus prohibetur, ne obligentur nisi adhibito curatore; neque in foro quidquam valide suscipiant, sine curatore litis, ubi in periculum vel damnum ignaræ deducerentur. Æquum enim erat, ut infirmitati earum publica subveniret tutela, ne emungantur rebus suis.

§. 586.

Uti promovendum sit parentum

Parentum officium erga liberos amandos fortunandosque promovendum est obligatione & potestate civili, ut liberi immorigeri rite coërceantur. Parentum quippe est summa στοργὴ, liberos & recte edu-

educare & pro viribus fortunare, item operam dare, ut liberi consequantur vel ea fortunæ bona, quibus ipsimet carent (§. 735. *P. VII. Jur. nat.*). Quod uti rationes jubent privatæ (§. 400. *Oecon.*): ita publicæ jubent rationes, ut illud parentum officium publica autoritate & obligatione juvetur, præsidioque publico, quoties eo indigent (§. 396. *P. VIII. Jur. nat.*), firmetur, ad liberos vel immorigeros melius compescendos, vel morigeros ultra id, quod soli valent, fortunis mactandos, superiore ob præclara in remp. vel in ipsummet merita beneficium parentibus in liberis reddente (§. 659. *P. VIII. Jur. nat.*). Eædem rationes quoque jubent, negligentes officii sui parentes, vel eidem contraria molientes, vi cohibere, pœnisque promeritis ad officium suum sapienter revocare, saltem qua actiones externas (§. 395. *ibid.*); ne tamen negligatur & internarum inculcatio per publicos doctores (§. 459. *ibid.*). *Officium liberos fortunandi.*

§. 587.

Liberorum virtutes erga parentes & fortunæ eo magis publice tuendæ augendæque sunt, quo magis id merentur; cæteris ad militares & mercenarias operas adactis, vel ad opera publica damnatis, unde sustententur, ut a sceleribus avocentur. Est enim status civium perficiendus, quantum sapienter fieri potest (§. 561.), fortunis eorum secundis defensis & adauctis, adversis profligatis (§. 562.). Pertinet autem ad liberorum fortunam parentum in liberos amor & charitas, tum cæterorum consanguineorum, affinium, amicorum, civium, patronorum & superiorum benevolentia gratiaque, unde sperare patrimonium, auxilium, dignitates, & reditus in suo vitæ genere recte instituto possint (§. 563.). Hæc mereri rectius nequeunt, quam summa erga parentes pietate, cæterisque virtutibus effulgentes (§. 785. *P. I. Phil. pract. univ.*). Quam ob rem accendendi sunt liberi, & obligandi ad sua erga parentes cæterosque cives omnes officia *Cura liberorum fortunas ex merito juvandi.*

virtutibus rite obeunda. Bene animati dum ſunt, merentur, ut eorum fortunæ in tuto ſint, incrementisque ſubinde altius evehantur; idque eo magis, quo magis id merentur.

Qui autem minus aut parum merentur, hi tamen operis militaribus aliisque mercenariis dicari poterunt, ut pro ſuo quoque modulo alios ſibi reddant benevolos, & in ſe alendum propenſos, quando aliter rectius fortunæ ſuæ conſulere neſciunt nequeuntque. Nam & hujusmodi operis indiget ſalus publica, unde, qui eas aliorum cauſa ſubeunt, ab iis alendi ſunt, qui ipſorum operis indigent. Magiſtratus igitur eſt, curare, ut id ex æquitate fiat ſine cujusquam læſione, & adigantur ad eas ſubeundas, qui mallent otiari aut mendicare (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*).

Male animati autem & ad ſcelera proclives ab iisdem ſevere avocandi ſunt, &, ſi pœnas jam meruere, damnandi ad opera publica pro tenui victu ſubeunda, ut, ſi fieri poſſit, ſic reſipiſcant, & vitæ genus emendent. (§. 616. *P. VIII. Jur. nat.*).

Ita olim degeneres & ſcelerati damnabantur ad piſtrinum, ad triremes, ad metallum, quod & inter nonnullos hodieque uſu venit. Plerique tales hodie damnantur ad alia opera publica, v. c. ad ergaſtula, ad fodinas, ad munimenta publica, ad cloacas repurgandas, ad miniſteria carnificum, &, quæ his ſunt affinia, laborum duriorum & continenter extorquendorum genera diverſa.

§. 588.

Uti pupillorum fortunæ conſulatur. *Pupillis quando nulli ſunt parentes vicarii, aut, qui ſunt, male ipſis conſulunt, merito rectius conſulit magiſtratus tutelaris, dando ipſis tutores, eosdem ad officium tutelare obligando, ad rationes reddendas vocando, nocentes ad reſtitutionem damni adigendo ac puniendo removendoque, paratam vero pecuniam, quæ tuto uſuris dari non potuit, loco publico ſecure conſervando.* Videlicet ſuperiori in civitate curandum eſt, ut pupillis ſint tutores, qui eorum & educationi & fideli

fideli bonorum administrationi diligenter præsint (§. 758. *P. VIII. Jur. nat.*), ideoque non admittendi sunt ad tutelam nisi idonei viri; si tales sint testamento instituti vel legitimi, hi prævia cognitione sunt confirmandi, vel alii meliores ipsis dandi (§. 759. *ibid.*); instituendus est magistratus tutelaris, qui in id inquirat, qui confirmet, det & suppleat tutores, quique ceu tutor superior curet, ut recte educationi & administrationi bonorum pupillarium præsint (§. 760. *ibid.*). Ne magistratus tutelaris suo desit officio, ab eo provocatio concedenda ad magistratum superiorem (§. 549. *ibid.*).

Magistratus igitur tutelaris est, tutores legitimos vel a parentibus electos, si idonei deprehenduntur, confirmare, in contrario casu eos non admittere, sed æque ac si nulli essent, meliores dare, hos ad officium suum & ad rationes reddendas obligare, eorum educationi & administrationi attendere, quæ minus recte fiunt, emendare, damnorum datorum restitutionem imperare & exsequi, corrigi nescios removere, melioribus suffectis, paratam pupillorum pecuniam, quando deficit tuta usurarum conditio, in loco securo asservare, item cavere, ne immobilia eorum bona sine necessitate aut aperto pupilli emolumento alienentur, & finita recte tutela, rationibus examinatis, tutores absolvere ab ulteriori obligatione omnique impugnatione gestæ tutelæ causa. Patent hæc ex rationibus sub finem §. 584. memoratis.

§. 589.

Herilis societatis fortunis publice consulitur obligatione herilium & servilium personarum per leges civiles ad mutua officia naturalia recte præstanda, & per pœnarum exsecutionem in earum transgressores. Additur enim per leges civiles nova obligatio legibus naturalibus adversus eos, qui obligationi naturali haud obsequuntur (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*), quæ si naturalis tantum imperfecta est,

Modus herilis societatis fortunæ consulendi.

eam facere poteſt communis boni cauſa perfectam (§. 977. *ibid.*), ut invitis extorqueri poſſit. Quare ſic ſaluti & fortunis herilis ſocietatis publice conſulendum eſſe liquet (§. 579.), ut publica autoritate & poteſtate deſides & otioſi adigantur ad ſerviendum, &, dum ſerviunt, in tuto collocetur & herilium perſonarum fortuna, & defendatur juſta animadverſione in ſerviles perſonas a pacto ſocietatis ſuæ deſciſcentes; vice verſa quoque caveatur, ne injuria fiat ſervientibus a quoquam, aut, ſi qua facta ſit, ea reparetur publica magiſtratus autoritate (§. 579.).

§. 590.

Quid curandum circa honorem.

Quia curandum eſt in rep. ut bene de eadem merentes, a cæteris honorentur (§. 761. *P. VIII. Jur. nat.*): *opera ſapienter navanda eſt, ut cuncti virtutibus theoreticis practicisque intellectum & voluntatem perficiant, ſeu honorem mereri ſtudeant* (§. 565.), *modis ſupra expoſitis; &, qui obligationi naturali ac civili ſatisfecere, promerito honore afficiantur, ad ulteriora merita cum aliis incitentur, eoque magis ab omnibus honorentur, quo magis honorem virtutibus ſunt promeriti, vel quo magis de rep. meriti ſunt & merituri* (§. 561.).

§. 591.

Quid circa ignominiam & injurias?

Prout honore digni in rep. ſunt honorandi, atque, ut illud fiat, publica curandum eſt autoritate (§. 590.): ita *ferendum in rep. non eſt, ut honore digni ignominia afficiantur* (§. 769. *P. VIII. Jur. nat.*). *Interdicendæ ergo non tantum ſunt omnes injuriæ & verbales & reales*, addita ſanctione pœnali ad earum coërcitionem ſuffectura; *ſed & illatæ vindicandæ pœnis ſat gravibus* (§ 770. *ibid.*). Hinc & eo *gravius puniendi ſunt in bene meritos injurii, quo majora illorum ſunt merita, & quo majores eorum virtutes, horum autem injuriæ, pejoraque vitia, quibus male de rep. merentur* (§. 626. *ibid.*). Idem quoque ſtatui debet inter eruditos (§. 1021. *ibid.*).

§. 592.

Quinam de meritis in remp. judices sint?

Fieri nequit, ut ſinguli cives merita aliorum in remp. diſtincte agnoſcant, & unumquemque tanti exiſtiment, quanti meretur. Teſte enim experientia maxima civium pars eſt rudis, ideoque nec diſtincte virtutes humanas novit, nec eas a vitiis ſatis diſcernere didicit, multo minus latentem aliorum animum ex factis æſtimare. Sed quis honorem mereatur, nec ne, id ex perſpectis accurate virtutibus & vitiis, & ex factis, tanquam inſignibus judicandum eſt (§. 553. *P. I. Jur. nat.*). Solide eruditi ex factis certo, ſaltem probabiliter colligere virtutes animi poſſunt, ſed tum demum, quum perſonarum & factorum certa & diſtincta gaudent cognitione (§. 540. *ibid.*) Qua cum & pauci tantum eruditi gaudeant, uſu rerum magiſtro; manifeſtiſſimum eſt, fieri non poſſe, ut ſinguli cives per ſe diſtincte norint, quænam ſint aliorum de rep. merita, quæ virtutes, & quantæ? Propterea quoque fieri nequit, ut unusquisque alterum quemcunque civem tanti faciat, quanti fieri meretur, aut quanti revera eſt.

§. 593.

De quibus hoc publico opus ſit judicio?

Dum fieri nequit, ut ſinguli cives merita aliorum in remp. accurate per ſe explorata habeant (§. 592.): *ut conſtet, quinam ſingularibus in remp. meritis gaudeant, id publico declarandum eſt judicio* a ſuperiore, vel magiſtratu, aliove, cui id delegavit ſuperior, qui id habet compertum (§. 540. *P. I. Jur. nat.*) Pariter a peritiſſimis harum rerum judicibus accedente publica autocritate declarandum eſt, *quo gradu meritorum, hi vel illi cives gaudeant.* Denique quia modi honorandi alium varii eſſe poſſunt, &, ſi quid pluribus modis fieri poteſt, lege civili præcipiendum eſt, quo modo id fieri debeat (§. 978. *P. VIII. Jur. nat.*): *actus quoque externi, quibus honor ob merita in remp. bene de eadem meritis & me-*

merentibus exhibeatur, lege civili determinandi, & ad earum legum observantiam cives cæteri obligandi sunt (§. 762. *ibid.*).

§. 594.

Quod jura largitur & officia aliorum infert. *Publica hæc declaratio fieri potest partim fructu jurium honorificorum præcipuo bene meritis attributo; partim officiis præcipuis ab aliis ipsis honorifice præstandis.* Propter merita in remp. cives spectantur ut personæ morales, quarum dantur tum jura tum officia ipsis honorifica (§. 70. *P. I. Jur. nat.*). Publico judicio dum declarandum est, quinam singularibus meritis sint conspicui, & propterea honorandi, utique id aperte fieri potest largiendo bene meritis jura quædam præcipua, quibus alii destituuntur; & obligando alios ad officia honorifica ipsis præstanda, quæ aliis non debentur. Prærogativa igitur jurium & officiorum fruendorum sapienter declaratur publice virtutum meritorumque præstantia; simulque hoc præmium virtutis invitamentum est aliorum ad æmulationem (§. 590.).

§. 595.

Quid sint jura honorifica? *Jura honorifica sunt dignitates civiles.* Jura enim sunt facultates legitimæ s. morales (§. 156. *P. I. Phil. pract. univ.*), eaque sunt honorifica, quatenus cum benigno aliorum judicio ejusque indiciis sunt conjuncta (§. 538. *P. I. Jur. nat.*). Sed dignitates civiles non sunt nisi præcellentia supra alios in rep. nec nascuntur, nisi ex certis juribus, quæ quibusdam præ aliis conceduntur (§. 205. *P. VIII. Jur. nat.*). Atqui jura, quæ cuipiam præ aliis tribuuntur, innuunt ejus virtutem & profectorum ex illis meritorum in remp. præstantiam, quæ benignum meretur judicium aliorum ejusque significationem. Quare patet, jura civitatum honorifica non esse nisi dignitates civiles.

§. 596.

Sunt signa præstantiæ recepta. Dum dignitates civiles publicam inferunt præstantiam præ cæteris actibus externis declaratam (§. 205. *P. VIII. Jur. nat.*)

nat.), redeunt illæ ad *ſigna præſtantiæ recepta*, quæ non promiſcue omnibus tribuuntur, ſed dum publica autoritate quibusdam tribuuntur, plurimis aliis denegantur, tanquam notæ præmiaque virtutum & meritorum tot eximiorum ſpectantur. Inde *quot dantur ſigna præſtantiæ recepta, tot dantur quoque diverſa jura honorifica.*

§. 597.

Si honeſtamenta vocamus notas honeſtatis, vel virtutis & meritorum decora externa, ideoque in ſenſus incurrentia meritorum indicia; patet, honeſtamenta privata eſſe, quæ privata; publica autem, quæ publica autoritate & impenſa conſtituuntur. Honeſtamenta præſertim publica in clypeis, ſcutis, armis, vexillis, ſigillisque conſpicua, *inſignia* (Wapen) dici ſolent. Quibus accenſeri quoque poſſunt alia virtutis inſignia & decora, quæ in ſtatuis, imaginibus, monumentis, numismatibus, torquibus, catenis, faſciis & ordinum ſignis pretioſis, annulis, ſimilibusque conſiſtere ſolent. *Quid ſint inſignia?*

Decus nempe externum convenire debet cum internis virtutum decoribus (§. 332. *P. I. Theol. nat.*), vel decus externum eſt, quidquid animi honeſtatis documentum & indicium neutiquam dubium eſſe poteſt. Prout ornamenta pulchritudinem artificialem imitando naturalem, addunt. Apud Romanos honoris cauſa faſces præferebantur & ſecures a lictoribus, in uſu erat prætexta tunica, anguſtus & latus clavus, trabea, paludamentum, ſella curulis, carruca, rheda argentata, purpura, torques, jus ſpectandi in orcheſtra, &c.

§. 598.

Signa præſtantiæ recepta ſunt tituli, inſignia, & jura ordinis, loci & apparatus præcipua. Etenim ſigna præſtantiæ præcipuum quidpiam inferunt, quod virtutum meritorumque in remp. nota & præmium eſſe poſſit (§. 596.). Talia vero habentur *Diviſio ſignorum præſtantiæ.*

partim in verbis, ſeu vocabulis honorificis, quæ tituli appellantur (§. 763. *P. VIII. Jur. nat.*), partim in rebus, ad arguendam præſtantiam adhibitis. Hujusmodi res ſunt indicia honoris publica, quæ inſignia vocantur (§. 597), & ſimilia honeſtamenta; nec non jura præcipua ordinis, & loci in conventibus, conſeſſibusque, uti jus proëdriæ, præcedendi, prærogativa ſuffragii ſimilesque partes priores potioresque (§. 192.).

Quando dignitates civiles in titulis & præcedentia conſiſtere perhibentur, uti §. 765. *P. VIII. Jur. nat.*; tum ſub præcedentia, tanquam jure prioritatis in ordine a pluribus obſervando (§. 104. *P. I. Jur. nat.*), omnia jura comprehenduntur, quæ honoris cauſa in rep. dari poſſunt, nec in nudis vocabulis adquieſcunt, præſertim jura ordinis prioris. Huc pertinet ſatellitium famulitiumque ſplendidum, veſtitus, ornatus, ſuppellex, omnisque apparatus eximius.

§. 599.

Quid curandum de titulis.

Tituli vel notant munera reip. ſaltem cum poteſtate quadam alios gratis regendi, vel tantum merita hujusmodi muneribus æquiparanda, aut jura ad ea in poſterum capeſſenda (§. 763. *P. VIII. Jur. nat.*). Prioribus gaudentes actu ſunt, quod eſſe dicuntur; poſterioribus præditi, non ſunt, quod dicuntur eſſe, aut mereri ut ſint. *Ambo* cum ſint dignitates civiles (§. 598.): *non niſi publica autoritate debent concedi inſigniter merentibus, & quando conceſſi ſunt, cæteri ſunt obligati ad eos his tribuendos, quibus ſunt conceſſi* (§. 763. 764. & 768. *P. VIII. Jur. nat.*).

Dari titulos, qui honores indicant gratis exercendos, non indiget operoſa probatione. Tutores patria gaudent poteſtate, in pupillos non ſine onere gratis exercenda. Ita quoque alii dantur honores publici gratis ſubeundi, v. c. vitricorum eccleſiæ, ſcholarcharum, tribuni plebis, ordo magiſtratus plebejus, aliique. Sunt igitur & hi tituli veri. Nudi autem tituli ſunt eorum, qui vel nondum ſunt, vel eſſe deſierunt, quod eſſe dicuntur.

tur. Quorum tamen hi ſunt potiores illis, utpote, qui revera fuerunt, quod titulus eorum notat, v. g. ſi quis dicatur conſiliarius, conſul, epiſcopus, centurio, qui talis fuit vel eſſe meretur.

§. 600.

Ne tituli evileſcant, cavendum eſt, ne fiant venales; neque aliis & pluribus concedantur, quam eſt e re publica. Neque enim conferendi ſunt niſi præclare meritis & merentibus (§. 193. & 766. *P. VIII. Jur. nat.*), ideoque non debent eſſe venales (§. 767. *ibid.*), ſed potius præmia inſignia meritorum (§. 768. *ibid.*). Si vel plus licitantibus conferuntur, vel certam pecuniæ ſummam offerentibus, non amplius meritis ſed pretio oblato debebuntur, nec poterunt non evileſcere tanquam res venales, cujuscunque emturi pecuniæ cedentes. Quod ne contingat, non debent fieri aut haberi venales ac venditari. *Quid cavendum, ne vileſcant.*

Si aliis dantur tituli, quam quibus e rep. dari poſſunt, non unum inde naſceretur incommodum damnumque. Nam ſi inopibus meriti dantur tituli, quorum ſors & ſplendor multos requirit ſumtus, neque reditus illis tribuuntur ſimul, unde ſplendori ſuſtinendo ſufficiant: meritis illi quidem gaudebunt honoribus, ſed quoniam impares eorum ſunt ſplendori, eundem aut auſpicari aut tueri diu haud poterunt. Itaque immerito exuerentur tenui patrimonio, cujus vires ſumtus tranſcederent, quo ipſo non præmio forent affecti, ſed pœna quaſi. Sive autem nihil ſplendoris ſoliti admitterent, ſive parum; contemnerentur a ſplendide ſe gerentibus conſortibus, aliisque, præter meritum, veluti ad ignominiam damnati, quod ſcopo repugnaret. Aut ergo tollendus foret is ſplendor, quod vix conſultum, ſi talis eſt, qualis eſſe debet, aut non conferendus ipſis hujusmodi titulus. Similiter cenſendum eſt de merito majoribus titulis vel gratuite datis.

Si porro non quidem venditentur tituli, ſed vel promiſcue cuilibet appetenti, aut precario & commendato, aut ex affectu dentur cuilibet, etiamſi haudquaquam merenti, itidem nimia eorum divulgatio efficeret, ut parvi vel nihili fierent, itaque merentes eorum vanitatis puderet. Ita ſane fit, ut virtutis ſtudium meritorumque, quod debebat provehi, ſufflaminetur & evaneſcat. Quare ut ceu vera meritorum præmia in pretio habeantur, nec evileſcant, more rerum vulgarium, aut proſtibulorum, non debent tituli pluribus concedi, quam his, qui eos omnino merentur, nec majores, ac merentur (§. 593.). His nempe ut tribuantur, nec aliis, aut alia de cauſa, e re publica eſſe, ipſa eorum indoles docet (§. 598. *ſeq.*).

Non eſt, cur vilipendium titulorum augeatur præſertim nudorum, cum vel propterea, quia non ſunt, niſi vocabula, quæ ſat multis magni fieri non ſolent, qui res externas mallent, quam ſonos nil afferentes novi, ſed notantes modo, quod jam adeſſe intelligebatur. Velut ſi quis videnti & audienti ingeminare vellet: oculis præditus es auribusque. Sola partorum mentio meritorum aliquid habet, quod placere & voluptatem creare posſit recordantibus, ſuis illa deberi vitutibus, tanquam bonis verisſimis, conſtantiſſimisque. Non repugnat his, quod monitum eſt §. 623. *P. I. Polit.* & §. 193. *ſupra.*

§. 601.

Applicatio ad titulorum ſpecies.

Quæ de titulis in genere oſtenſa ſunt, *eadem quoque valent de omnibus titulorum ſpeciebus, cujuscunque ſint conditionis* (§. 235. *ſeqq. Log.*). Vnde quod §. 600. docuimus, non tantum de veris, ſed & de nudis titulis accipiendum (§. 599. *ſeq.*).

§. 602.

Et ad eorum varias claſſes.

Dantur merito in rep. tituli omnis civium ordinis & varietatis, iique & in quovis genere gradu diverſi (§. 190.). Scilicet recte adhibentur tituli, civiles, ſacri, militares, literarii, & technici. Civiles obtinent in adminiſtratione reip. pacatæ, cujuscunque formæ.

mæ. Inter quos primum locum tenent nobilitatis gradus dignitatesque aulicæ, ſummum majeſtas (§. 676. *P. I. Polit.*). Sacri dantur in rebus eccleſiaſticis, & in cura ſacrorum belli pacisque tempore recte gerenda (§. 677. *ibid.*). Militares requiruntur ad res bellicas recte adminiſtrandas, uti ad regendos milites dignitates variorum ducum, chiliarcharum, centurionum omniumque præfectorum copiis, tum equeſtribus, tum pedeſtribus, tum nauticis; ad curandum commeatum, tormenta, arma, cæterasque res bellicas & impedimenta. Literarii occurrunt in omnibus functionibus eruditorum cujuscunque generis, & in dignitabus academicis diverſis (§. 333. *b. ſeqq. P. II. Polit.*). Techniaci denique tituli differunt tum ratione artium inter ſe, ſive nobiliores ſint, ſive ignobiliores, ſive mixtæ (§. 313. *ſeq. P. II. Polit.*) & (§. 796. *ſeqq. Oecon.*); tum ratione præſtantiæ in qualibet arte, ubi plurimi fiunt, qui in arte ſua maxime excellunt, & in aulis foveri ſolent; juribusque pluribus gaudent magiſtri, vel quocunque alio nomine appellentur, eorumque præſertim ſeniores, quam ſodales adjutoresque magiſtrorum (conf. *not. ad* §. 333. b. *P. II. Polit.*). De ſingulis in ſuo genere intelligendum eſt, quod præcipitur §. 601. Aliqua tamen autoritas his titulis conciliatur (§. 805. *Oecon.*).

§. 603.

Inſignia vel ſunt vulgaria ſeu ignobilia, vel nobiliora. Inferunt enim honeſtamenta & ſigna, vel privata vel publica, quorum illa efficiunt vulgaria & ignobilia civium inſignia; cujusmodi dantur in ſigillis privatis, inſignis opificum, cauponum, tabernarum ante fores expoſitis; in ſignis mercatorum & opificum, quibus ſua opera & mercimonia ab aliis differre oſtendunt, & in ſimilibus ſignis nudi diſcriminis. Hæc autem dignitatem publicam eximiam notant, ideoque ſunt nobiliora, nec niſi publica autoritate haberi poſſunt (§. 597.). Cujus generis ſunt quævis *Inſignia vel vulgaria vel nobiliora.*

vis insignia nobilitatis cujuscunque, item functionum aulicarum, cæterarumque publicarum, quibus ea placuit adjungi, uti sigilla & insignia provinciarum, urbium, collegiorum publicorum, cæt. (§. 209).

§. 604.

Quid statuendum sit de ambobus?

Vulgaria insignia recte permittuntur privatorum arbitrio, quatenus nihil in illis admittitur, quod esset reip. adversum; nobiliora autem & publica privatorum arbitrio relinqui nequeunt, etsi licitis eorum desideriis publica autoritate indulgeri possit. Vulgaria enim fere tantum discrimini civium attendendo inserviunt, privataque nituntur autoritate (§. 603). Recte igitur illa signa privatorum optioni & arbitrio permittuntur, quibus ab aliis cupiunt discerni. Quoniam tamen quilibet civis obligatur ad commune bonum pro virili sua parte promovendum (§. 18. *P. VIII. Jur. nat.*), nec quidquam committere debet, quod eidem adversatur (§. 21. *ibid.*), nec pati, ut ab aliis eidem officiatur (§. 22. *ibid.*); & qui secus agere audent, vi adigendi sunt, ut minimum actus externos ad legem naturæ & commune bonum componant (§. 395. *ibid.*): oppido patet, insignia vulgaria eatenus esse privatorum arbitrio reliquenda, quatenus in illis nihil admittitur reip. adversum.

Nobiliora autem & publica insignia non nisi publica autoritate sunt constituenda (§. 597.). Quamobrem privatis in publica jura invadere nefas est, neque ideo ferendum est, ut talia sibi arrogent insignia, quæ non nisi publica concedi debent autoritate; potius puniendi sunt, ut violatores publicorum jurium, qui vel ipsi sibimet duntaxat, vel aliis quoque clanculum insignia publica fabricare & concedere audeant (§. 858. *P. VIII. Jur. nat*), vel qui alienare & communicare sua insignia sine consensu superioris non verentur (§. 877. *ibid.*).

Qua-

Quatenus vero insignia debite quærentes ob rationes idoneas licite desiderant potius hæc, quam alia insignia; eatenus nihil obstat, quo minus justis eorum desideriis in conferendis insignibus optatis indulgeatur ab iis, qui publicam exercent autoritatem (§. 397. *P. VIII. Jur. nat.*). Similia quoque valent de insignibus gentilitiis, familiarum, linearum earundem, & terrarum, cæterarumque dignitatum, concessionum, successionumque.

§. 605.

Quid de ordinibus honorificis.

De ordinibus honoris causa institutis instituendisque sapienter eorumque insignibus, idem tenendum est, scilicet, ne in illos recipiantur, nisi meritorum præmiis afficiendi, ad ulteriora merita accendendi, eoque ipso aliorum virtutes ad æmulationem provocaturi. Sunt enim & illi in eundem finem instituti instituendique, in quem tendere debet omnis circa honorem cura civilis (§. 590.). Valent ergo & de illis cætera §. 599. *seqq.* adducta. Conf. §. 213. *seq.*

§. 606.

Quomodo iis sit utendum.

Ordinibus honorificis tam sapienter utendum est, ut omnibus, quibus possunt, commodis rempublicam augeant. In rep. enim circumspicienda sunt & suppeditanda civibus remedia, se statumque suum & aliorum quam optime perficiendi, & conjunctis viribus enitendum est, ut id facilius fiat, ac fieri potest in statu naturali (§. 397. *P. VIII. Jur. nat.*). Immo quia meliora quæque cæteris sunt præferenda (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*): & optima quæque salutis publicæ præsidia sunt cæteris anteponenda, & in amplissimos quosque usus transferenda, haud secus ac facultates singulorum (§. 172. *P. I. Jur. nat.*). Quapropter cum gloria sit stimulus ad præclara præstanda absque ulla spe lucri (§. 771. *Psychol. empir.*), & ordines honoratiores gloriam præcipue alant: relinquitur, ordinibus honorificis tam

sapi-

ſapienter utendum eſſe, ut omnibus, quibus poſſunt, commodis ſalutem publicam mactent (§. 215.).

§. 607.

Vſus eorum ſpeciales.

Poſſunt autem ordines honorifici inſervire præmiis virtutum meritorumque 1) ſine ullis impenſis publicis, dum nudo honore & fortaſſis quodam ſigno haud magni pretii abſolvuntur; 2) poſſunt utrique ſexui perficiendo adhiberi, ſolentque dudum; 3) valent quoque ad cives cujuscunque conditionis, dignationis & nobilitatis diſtinguendos præmiis propter merita, acuendos ad majora, & ad incitandos complures alios ad eorum virtutes æmulandas, & merita exæquanda aut ſuperanda; 4) poſſunt quoque gradibus diſtingui tum ordines ipſi, ut per minores ad majores adſcendatnr; tum ordines ſinguli, ut & in eodem manentes ad altiores ejus gradus per merita promoveantur, quemadmodum in aliis honoribus & collegiis progreſſio ad ſuperiores dignitatis gradus uſurpatur ab omni ævo. Quapropter *cunctis hiſce emolumentis publicis aliisque pluribus accommodandos eſſe ordines honorificos, diſpaleſcit* (§. 606.).

Vergit verus honor, & gloria civium ſolerter promota, non ſolum ad privatorum felicitatem augendam, ſed & ad communem ſalutem, quatenus cæterorum civium virtutem excitat, & ad civitatis univerſæ famam & celebritatem. Quare *Cicero L. V. de Legg. & Lib. VIII. Epiſt. ad Atticum* ait, uti gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, imperatori victoria: ſic moderatori reip. beata civium vita propoſita eſt, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit reſp. Sic & *ad Quintum fratrem* ſcribit: eo referenda ſunt omnia iis, qui præſunt aliis, ut ii, qui erunt eorum in imperio, ſint quam beatiſſimi. Priſcis temporibus legerat ſibi Cyrus milites & præfectos, quos a quinione ad decuriam, ab hac ad manipulum, ab hoc ad centuriam ſeu cohortem, a cohorte ad chiliadem regendam, honoribus & ſtupendiis auctis evehebat, poſtquam partes priores recte ges-

ĉte gesserant, teste *Xenophonte in Cyropædia.* In Græcia ludi erant varii generis, in quibus quinque potissimum artibus seu pancratio certabatur, & victores coronabantur laurea, olea, palma, lemniscis, aliisque præmiis & honoribus. Similes ludi sed sumtuosi erant apud Romanos. Certabant quoque musici, scenici, poëtæ, aliique eruditi suis operibus disputationibusque.

§. 608.

Jam reliqua jura præcipua ordinis & loci prioris in suffragio, consessu, incessuque sapienter quoque adhibentur ad præmia meritorum & incitamenta, quando non conceduntur nisi merentibus pro gradu meritorum, & in usus indubios amplissimosque conferuntur. Conveniunt nempe cum ordinibus honorificis magna ex parte, dum honorem præcipuum continent & præstant iis, qui eo pollent principatu seu priori jure. Vulgo quoque similibus inserviunt usibus in honoris testificationibus, multoque minus egent impensis publici æris. Quapropter recte huc applicantur, quæ (§. 605. *seqq.*) sunt præmissa, cavendumque simul, ne dubia relinquantur, funestis litibus ansam datura.

De loco & jure priori.

§. 609.

Cavendum quoque, ne qui immerito aliis præferantur, & merentes postponantur. Etenim qui immerito aliis præferuntur, his ideo alii merentes postponuntur. Denegatur igitur meritis, quod ipsis tamen debetur, contra §. 922. *P. I. Jur. nat.*; daturque affectui, pecuniæ aut precibus & commendationi aliorum, quod ipsis dari minime debebat. Ita animi a virtutum studio avocantur, ducunturque ad ea, quæ meritis non egent. Alii, cernentes immerito istos melioribus præferri, & prælatos, & locum priorem ipsum incipiunt despicere, ut illi debitus honor detrahatur (§. 870. *seq. ibid.*), & sensim cesset non sine insigni reip. detrimento. Immerito prælati aliis dignioribus externo splendore eos vincere nitendo facile contrahunt æs alie-

Cur merentibus prior locus non sit denegandus?

num, ſuos ad egeſtatem redigentes; aut ne id fiat, alios vexantes & emungentes, quibus poſſunt, fraudibus, vi & ſceleribus, vel publicos reditus depeculantes. Efferunt ſe facile per ſuperbiam ſuper præſtantiores (§. 888. *ibid.*), eosque opprimere nituntur, ſaltem calumniari non verentur, ut videantur imperitis eſſe, quod non ſunt, illi vero non eſſe, quod ſunt revera. Quo pacto præſtantiores injuria afficiuntur (§. 874 *ibid.*), naſcitur paſſim odium, invidia, obtrectatio, factio, perſecutio virtutum, & vitiorum tyrannis. Inde præſtantiores, præſertim impares adverſariis, cives abire malent ad aliam civitatem, aut ad vitam privatam, quorum neutrum ſine damno reip. contingere poteſt. Cum damna civitatis, ut ſingulorum, ſint avertenda (§. 493. *P. III. Jur. nat.*), cumque damnum reip. ex indigni electione datum, ab eligente ſit reſarciendum (§. 897. *P. VIII. Jur. nat.*), cavendum eſſe patet, ne qui immerito aliis præferantur. Inde ſi paria ſint merita, ſorte (*P. III. Jur. nat.*), aut jure proximo ad locum vacaturum dirimenda.

Eſt quidem civitati jus prohibendi, ne diſcedat, qui in aliquo vitæ genere præclaram reip. operam præſtare poteſt (§. 405. *P. VII. Jur. nat.*). Sed uti hoc jus naſcitur ex obligatione damnum ſuum avertendi (§. 404. *ibid.*) & (§. 186. *P. VII. Jur. nat.*): ita & civis quisque obligatur ad damnum quodvis, quantum in ſe eſt, avertendum (§. 493. *P. III. Jur. nat.*), ideoque nec civitas ipſi damnum dare debet, dum ſuum avertere damnum nititur. Danda igitur eſt opera, ut reſarciat damnum civi ex negato diſceſſu oriundum, quod in noſtro caſu fit, ſi eum pro meritis præferat illis, quibus præferri meretur. Quod niſi fiat, uti in ſocietate negotiatoria prævidenti, damnoſam ſibi fore ſocietatem, renuntiare eidem licebit (§. 1397. *P. IV. Jur. nat.*). Nemo enim cum damno alterius fieri debet locupletior (§. 585. *P. II. Jur. nat.*), ſed, quantum in ſe eſt, & alterius damnum avertere obligatur (§. 495. *ibid.*). Quodſi privatus negligat, peccat; mul-

multo igitur gravius civitas, ob plurium in idem peccatum consensum, peccaret.

§. 610.

Quoniam ad præclara in remp. merita civiliter nemo rectius fortiusque obligari & incitari potest, quam dignitatibus civilibus (§ 771. P. *VIII. Jur. nat.*): manifestum est, *admodum cavendum esse, ne vel a superiore, ejusve ministris, vel ab aliis civibus quidquam admittatur, quod huic meritorum fomento & fomiti esset adversum.* Ferendum igitur in rep. non est, quidquid facit admittiturque ad verum pretium dignitatum civilium minuendum, ad eas contemtui exponendas, ad denegandum, quidquid ipsis debetur & illis, qui ipsis sunt condecorati, pœnis in transgressores expeditis (§. 591.). Contra ea *quidquid facit ad excitanda præclara merita & augenda ampliandaque, id, quocunque licet modo, adhibendum, tuendum & amabile reddendum est.* *Summa modorum præclara merita eliciendi.*

§. 611.

Dum gravius puniendi sunt, qui bene meritos ignominia & injuriis afficiunt (§. 591.), & dignitatibus civilibus rite ornati, sunt meritis in remp. insignibus eas consequuti (§. 768. P. *VIII. Jur. nat.*); gravius puniendos esse, qui ignominia afficiunt dignitatibus civilibus ornatos, quam illis destitutos, liquet (§. 770. *ibid.*). Cum vero duplum sit eorum peccatum, alterum in eorum personam privatam, alterum in publicam, quam ob dignitatem civilem gerunt, quo ipsa læditur resp. (§. 769. *ibid. in Schol.*): *duplam minimum pœnam merentur, quia in remp. peccatum per se jam gravius est puniendum privato peccato* (§. 627. P. *VIII. Jur. nat.*). *Qua pœna coërcenda sit ignominia dignitati civili illata?*

Aliud tamen est, an ignominia solum in dignitatem civilem tendat, an simul in personam, quæ ornata est illa dignitate. Priori casu tantum publicum esset peccatum, quanquam quadamtenus indirecte simul ad omnes refertur, qui ea ornati sunt.

Posteriori casu, de quo hic agimus, directe simul læditur certa persona isthac dignitate induta, præsertim quatenus autor ignominiæ eam illius dignitatem non ignoravit, vel ob eandem personam criminatus est. Attendendæ tamen sunt reliquæ peccati conditiones, culpam aut malitiam ejus vel minuentes, vel augentes; item aliæ rationes, vel mitigationem pœnæ, vel ejus remissionem, vel exasperationem urgentes, ut pœna peccati conditioni respondeat (§. 625. *seqq. P. VIII. Jur. nat.*). Sufficit hic, generalem regulam liquere, cur pœna, quæ esse posset privati peccati, dupla esse possit, si lædat simul dignitatem personæ civilem.

§. 612.

Limitatio pœnarum necessaria. Quia dignitates civiles varii sunt generis, & in quovis genere gradu diversæ (§. 602.): *sapienter moderandæ sunt pœnæ ignominiarum dignitates civiles afficientium, ut & dignitatis diversitati & gradui respondeant, nec graviores adhibeantur, ubi mitiores sufficiunt* (§. 637. *P. VIII. Jur. nat.*). Quod & gravitati injuriæ verbalis ac realis, æstimandæ ex nocumento, quod affertur, & periculo inde imminente (§. 625. *ibid.*), ex culpæ aut doli gradu, ex frequentia, & loci conditione (§. 629-634. *ibid.*), & ex qualitate patientis (§. 635. *ibid.*), pœnæ sint attemperandæ, patet ex §. 626. & 636. *ibid.*

Quo major v. g. est dignitas civilis, qua gaudet ignominia affectus, eo major quoque debet esse pœna autoris ignominiæ, cæteris paribus; & quo minor illa est dignitas, eo & leviori pœna punienda est injuria, qua afficitur. Prout magister opificii injuria affectus tantam pœnam exigere nequit, quantam doctor aut nobilis pari injuria affectus. Interim in quavis hominum sorte privata duplo fere levior erit pœna ejusdem injuriæ, ac si publica simul dignitas personæ sit læsa (§. 611.).

§. 613.

Quid statuendum de *Quatenus injuria plerumque comparata esse solet, eatenus illius pœna legibus est definienda; quatenus vero ex rationibus rarius occurrenti-*

rentibus æstimanda, itaque vel mitiganda est, vel aggravanda, eatenus indefinita sancienda, at sapienti arbitrio determinanda est pro re nata, & in consuetudinem deducenda. Pœnæ enim legibus constitutæ civibus, iisdem ab injuria absterrendis, esse debent notæ (§. 662. *P. VIII. Jur. nat.*), ideoque una cum legibus sunt promulgandæ (§. 258. *P. I. Phil. pract. univ.*), ac subinde inculcandæ, saltem earum exsecutione promerita (§. 656. *P. VIII. Jur. nat.*), prout, quando vel remittitur vel mitigatur, rationes illius sunt publicandæ (§ 657. *ibid.*). *pœnis ordinariis?*

Quare cum injuriæ vel solito plerumque more admittantur, vel insolito, & illius pœnæ e rep. definiri ac denominari possint; ut certiores fiant civibus, iisdemque validius obligentur, pœnæ illæ ordinariæ legibus sunt exprimendæ. Quæ vero ob insolitam casuum varietatem definiri legibus non potuerunt, eæ sapienti judicum arbitrio in casibus similibus ita definiri possunt, uti sufficere deprehenduntur ad legum transgressionem, quantum datur, cohibendam (§. 585. *ibid.*). Quo facto pœnæ consuetudine definiuntur, & ut notæ sint civibus, in consuetudinem sunt deducendæ. Licet ergo legibus nondum definiantur, sed indefinite indicentur, fore scilicet, ut pro re nata injuria debite puniatur; ipsa tamen recepta consuetudine definiuntur & civibus innotescunt.

§. 614.

Pœnæ autem arbitrariæ atque extraordinariæ sapienti quidem judicis arbitrio definiendæ relinquuntur; ita tamen, ut, cui illa justa gravior videtur, provocatione gaudeat ad arbitrium judicis superioris. Pœnæ enim arbitrariæ legibus aut consuetudine non sunt definitæ, ideoque arbitrio judicis demum pro re nata definiendæ (§. 623. & 636. *seq. P. VIII. Jur. nat.*). Sed arbitrium illud vel est judicis inferioris, vel superioris aut omnino supremi in rep. & si quis sententia judicis inferioris se gravatum existimat, ei *Quid de extraordinariis injuriarum pœnis?*

permissum esse debet, querelas suas ad superiorem deferre, ejusque arbitrio decisionem committere, donec, si res tanti sit, in summi judicis arbitrio adquiescendum est (§. 547. *seqq. ibid.*). Quare & in pœnis arbitrariis appellationem esse admittendam constat.

§. 615.

An judex punire possit injurias sibi illatas?

Ob præmissas rationes judex inferior vel contra injurias sibimet illatas sententiam ferre potest. Etenim si parens a liberis, dominus a servo, hera ab ancilla, nobilis a rustico suo, & alius judex ab eo, qui ipsius subest jurisdictioni, injuria afficitur; gaudet jure eam puniendi, & pœna, quam injuria meretur, aut est ordinaria, aut extraordinaria. Priori casu est definita, seu legibus, seu consuetudine (§. 613.). Posteriori quidem est arbitraria, sed si quis arbitratur, se eam non meruisse, jure gaudet appellandi (§. 614). Ideoque si recte judicatum est, satisfecit legibus divinis & civilibus, atque idem est, acsi ipse non judicasset, sed legislator; nec habet reus, de quo conqueratur. Si secus judicatum est, emendabitur sententia judicis inferioris a superiori. Nil obstat igitur, quo minus judex in sua causa, utut inferior, citra ambages reum propter injurias ordinaria afficiat pœna, & dictet quoque extraordinariam, quam prævidet, a judice superiori non rejectum iri, si vel appellatio intercedat.

§. 616.

Et libellos famosos adversus se ipsum?

Injuriæ & contumeliæ quo sunt graviores, eo gravius quoque sunt puniendæ (§. 591.), sive fuerint verbales, sive reales (§. 651. *P. VIII. Jur. nat.*). Sed libelli famosi sat graves continent injurias, eorumque autores graviori pœna sunt coërcendi, quam aliæ injuriæ verbales (§. 772. *ibid.*), & quo gravior est injuria, quam inferunt, eo graviorem merentur pœnam (§. 626. *ibid.*). Quare *si libelli famosi divulgentur contra ornatos ob meri-*

merita sua dignitate civili, eorum quoque pœna duplo gravior ſtatuenda, quam ſi editi eſſent adverſus civem privatum (§. 611.). *Neque tantum eorum autores, ſed & complices, ita ſunt puniendi;* cujusmodi ſunt, qui eos affigunt, & in vulgus ſpargunt, inprimis typographi illos ſuo prælo, vel & ſumtu excudentes, bibliopolæ aliique eorum venditores, quique curant, ut vendantur, & cenſores librorum, permittentes eorum impreſſionem, pro gradu ſeu culpæ ſeu malitiæ admiſſæ (§. 773. *ibid.*). Quæ cum liquidi juris ſint, judicem quoque in ſua cauſa libellum famoſum damnare ad flammas carnificis manu ſubeundas, in autorem inquirere promiſſo præmio, & detectum pœnis uſitatis afficere poſſe, controverſia caret (§. 615).

Videmus tamen, vel ſummos judices ea contra injurias præſertim verbales ſapienter uti moderatione, ut quas nocere ſibi non poſſe intelligunt, eas contemtu vindicent potius, quam promerita vindicta. Continent enim non niſi calumnias, quibus fides non habenda eſt non ſolum ab iis, qui contrarium habent compertum, ſed & ab omnibus, quibus certum non eſt, illa eſſe vera, quæ in illis habentur (§. 1038. *P. I. Jur. nat.*). Quare cum nocere non poſſint calumniæ, niſi objecta in illis habeantur pro veris, contra calumnias manifeſtas, & nec manifeſtas plerumque, nulla opus eſt defenſione (§. 1037. & 1042. *ibid.*); nec contra calumniatores nullius autoritatis apud viros intelligentes & cordatos (§. 1043. *ſeq. ibid.*); ne quidem contra ſpecioſas, fidem non reperturas, niſi apud imperitos, aut tales, qui nocere non poterunt, etiamſi illis fidem habeant; quatenus factis antegreſſis & futuris refutari rectius poſſunt, aut ne refutari quidem merentur, ſed generoſe contemnendæ ſunt (§. 104. *ibid.*).

§. 617.

Eo, quod pœnæ injuriarum dignitates civiles afficientium ita moderandæ ſunt, ut & dignitatis diverſitati & gradui reſpondeant (§. 612.), & gradui malitiæ, culpæ & injuriæ at- *De gradibus hujusmodi pœnarum.*

tem-

temperentur (§. 616.); gravior autem est injuria, quæ proficiscitur a viro intelligente & in magna dignitate constituto, quæ præmeditata est & speciose exornata, quæ reparari nequit, quæ occultato nomine infertur, & occultiora ac majora crimina, vel vitia objicit, haud facile diluenda vel ab innocentissimo, & quæ plura ac majora mala parere solet, ac ipsa in se est (§. 625-634. & 649. *seqq.* P. *VIII. Jur. nat*): *statui aliter nequit, quam gravius puniendam esse injuriam & contumeliam irreparabilem autoris eruditi, virilis aut senioris ætatis, magnæ autoritatis ac dignitatis, in libello famoso nomen suum reticentis, occultiora & graviora vitia objicientis, & quæ graviora mala gignere consueverunt, quam alterius cujusquam, ab hisce immunis.*

Si cui libello famoso imputatur crimen graviori pœna dignum, fieri potest, ut autor vel nomen suum addat, vel omittat. Uterque casus gravis est injuria & libellus famosus (eine Schmähe-schrift oder Pasquill). Nec opus est, ut in eo nomen omittatur, uti in *Constitut. crim. Carol. art. 10.* per errorem statuitur, correctum *in recessu imperii A. 1577.* Tit. von Buchdruckern ꝛc. Si nomen adjectum est, facilius se defendere & injuriarum causam agere potest diffamatus contra autorem convitiorum ejus; in contrario casu, id fieri nequit, saltem multo est difficilius inquirere in autorem calumniæ, eamque punire, ideo graviori opus pœna, scilicet infamiæ, qua notare alium voluit, in libellum exserendæ.

§. 618.

Cavenda simul vindicta privata. *Puniendæ sunt injuriæ eo diligentius pro meritis, quia ferendum in rep. non est, ut vindicta privata exerceatur.* Etenim in civitate constituendi sunt judices, qui unumquemque adversus aliorum injurias defendant (§. 539. *P. VIII. Jur. nat.*), sententiam in controversiis ferant (§. 543. *ibid.*), eamque in rem judicatam transeuntem exsequantur (§. 555. *ibid.*), & injurias puniant (§. 559. *ibid.*). Sed vindicta privata alterius malum cupit, propter injuriam factam, idque suis viribus infligere nititur, & cum odio

ac

ac ira conjuncta esse solet (§. 871. *seq. Psychol. empir.*), affectuum impetu malum malo rependere studens. Quod cum sit prohibitum (§. 809. *P. I. Jur. nat.*), cumque affectibus sepositis saltem bellum privatum pariat, subinde latius serpens, multiplicatisque mutuis injuriis, in vulnera & cædes haud raro erumpens, quod pariter in civitate tolerandum non est (§. 560. *P. VIII. Jur. nat.*): conficitur luculenter, eo solicitius pro meritis puniendas esse injurias contumeliasque, quo facilius alioquin ad vindictam privatam delabuntur, in rep. non ferendam, sed puniendam, etiamsi excessu careat.

Est hæc nova ratio, nec multo minoris momenti ea, quam supra attulimus in vita & sanitate civium tuenda, interdicendi omne genus vindictæ & vis privatæ in civitate, ubi publicæ copia datur; cavendique duella & certamina quæque violenta, temere instituta. Unde & is, qui affectus est injuria, sed se ipsum ulturus in graviora incidit damna, dum dein magistratus officium implorat, ita tractari nequit, acsi a privata abstinuisset ultione vel tantum pœna sumenda; sed pro gradu culpæ minus satisfactionis accipiet, & si meretur, attentati privati pœnam subibit. Quemadmodum quoque in jure puniendi excedentes, excessus pœnam merito luunt.

§. 619.

Officium civitatem locupletandi.

Jam cura opum publica requirit, ut sapienter æs alienum publicum caveatur, civibus autem quibuscunque procurentur & conserventur subsidia honeste ditescendi, atque opum jacturam avertendi, quantum conjunctis viribus fieri potest. Cives enim sapienter sunt fortunandi (§. 562.), & fortunæ pars haud exigui ad salutem publicam momenti sunt opes (§. 563.). Si resp. oneratur ære alieno, illud refundendum est, quibus debetur (§. 924. *P. I. Jur. nat.*). Si mutuum sit, reddendum est tantumdem ejusdem generis, quantitatis & qualitatis (§. 519. *P. IV. Jur. nat.*), & cives ad ejus restitutionem suas ratas conferre cum detrimento rei fa-

miliaris debent, vix ullo mutuante excepto, qui præterea usuras omnemque usum mutui amittit, antequam reddatur. Si ex æquitate contractus fœnebris initus est, præter æs alienum contractum debentur quoque illius usuræ (§. 1424. *ibid.*), quæ intra haud longum temporis spatium, alterum tantum, triplum sortis, & ob longiorem reddendi moram multo plus involvunt (§. 1427. *ibid.*), etiamsi usuræ moræ non exiguntur (§. 1428. *ibid.*). Hoc pacto multo plus onerari cives, quorum symbolis ista creditoribus solvenda sunt, in aprico est. Si tandem solvi nequeunt, creditores sorte sua injuste privantur, & ob tantum damnum vel emigrabunt, vel alia multa mala inde provenient, & resp. fidei fractæ notam subibit, intus extusque sibi contumeliosam. Sapienter igitur cavendum est, & diluendum quantocyus æs publicum alienum.

Civitati cuique ejusque rectori curæ cordique esse debet, ut opes atque divitias civium augeat (§. 1027. *P. VIII. Jur. nat.*). Quod cum fieri nequeat, nisi civibus quibuscunque sapienter procuret & procurata conservet subsidia licite ditescendi, & jacturam opum ab ipsis avertendi (§ 941. *Metaph.*): patescit oppido, curam opum publicam requirere, ut civibus quibusque suppeditentur continuenturque subsidia honeste ditescendi, & jacturam opum avertendi, quantum conjunctis viribus fieri potest, nec tolerandi, quidquid minuere civium opes potest ac consuevit (§. 1028. *P. VIII. Jur. nat.*).

Est quidem in casu necessitatis, quando cives vel plane, vel tam cito, conferre nequeunt summam pecuniæ necessariam, utique opus, ut tantisper æs alienum contrahatur, donec dissolvi possit. Sed quamdiu fieri potest, ut a civibus opulentis, vel societatibus mercatorum domesticis obtineatur: tamdiu consultum non est, ut in extera quadam rep. quæratur, nisi usuræ multo sint minores domesticis. Etenim ita manent usuræ in civitate, nec

nec cum illius detrimento exteris cedunt; neque cives importuna efflagitatione civitati molesti erunt; vel pericula creabunt, quod ab exteris verendum. Eorundem civium bona caduca lucratur quoque civitas, non exterorum. Nefas horrendum foret, ideo subire æs alienum exterorum, quia civitas paucis usuris solutis sorti solvendæ impar erit. Adstringuntur quoque cives ad eo majorem civitati fidem præstandam, quo minus periculum sortis publico ærario creditæ jacturam adire audebunt. Haudquaquam vero consultum est obærare ærarium civitatis, nisi majus commodum inde sperandum, quam incommodum ex fœnebri contractu.

§. 620.

Subsidia opes adquirendi privata sunt in omni scientia, arte, opificio, & labore licito seu vitæ genere honesto (§. 394. *seqq.*). Quare *curandum, ut illa & debite doceantur discanturque, & usu exercitioque indefesso in habitus ad salutem civitatis adolescant, floreantque artes chrematisticæ, quantum possunt; desides vero ac dissoluti ad faciendum officium adigantur* (§. 438. 449. *seq.* & 395. 422. P. *VIII. Jur. nat.*).

Subsidia ditescendi privata sunt promovenda.

§. 621.

Quia curandum est, ut cives locupletentur (§. 619.), ideoque privatim quisque in suo vitæ genere ad rem faciendam agat, quod debet (§. 620.): *superiori curandum est, ut suppeditet civibus ea, unde res industriales & artificiales ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem multiplicentur summopere* (§. 421. *Jur. nat.*), quo non tantum proventus rerum naturalium labore & industria perficiatur augeaturque, verum etiam ex illis res utiles, necessariæ & voluptariæ copiose conficiantur; item *ne facile cuiquam, qui laborare potest cupitque, labor desit* (§. 422. *ibid.*).

Et civibus subministranda.

Injungit hoc naturale officium, cuilibet privato, præsertim patri matrique familias incumbens, ut circumspiciat laborem honestum sibique convenientem, unde se suosque alere possit.

Enimvero officia naturalia ſunt in civitate perficienda ampliūs, ac in ſtatu naturali fieri poteſt (§. 397. *P. VIII. Jur. nat.*). Idcirco, quod ſinguli facere nequeunt, id conjunctis viribus in civitate faciendum eſt. Poſſunt ſcilicet in civitate agri inculti, ſylvæ inutiles, paludes, culturæ, juncta opera multorum ſubjici, ut ſterilitate ſublata incredibilis illis fertilitas concilietur. Poſſunt oppida & urbes condi, in quibus omnis generis opifices e rebus naturalibus fabricent indigenis & exteris profutura, & ex locis circumjectis emtores ſuorum operum reperiant pariter ac venditores alimentorum cæterarumque rerum, quibus ipſi indigent. Poſſunt commercia inſtitui, quibus ad exteros exportentur ea, quibus cives abundant, & ea importentur, quibus ipſi carent. De quibus nunc plura erunt addenda.

§. 622.

Circa domeſtica naturalia eruenda & augenda.

Ante omnia diſpiciendum eſt, quid rerum naturalium in ipſa civitate procreari poſſit, & procurandum, ut illud quam optime & copioſiſſime procreetur. Curandum enim eſt, ut civibus ſuppeditentur non ſolum ea, quibus indigent, vitæ præſidia (§. 406 *ſeqq.*); ſed & unde locupletentur (§ 621.), h. e. omnis generis res pretioſæ. Enimvero quousque & quamdiu ſufficere poſſunt civitati res domeſticæ, eousque & tamdiu illæ peregrinis ſunt præferendæ (§. 421.). Quapropter cum domeſticæ haberi nequeant, niſi diligenter inveſtigetur, quænam ferat aut ferre ſaltem poſſit natura rerum domeſticarum, & quomodo illa quam optime, copioſiſſime, & conſtantiſſime haberi poſſint: manifeſtum eſt, publica intelligentiſſimorum cura & indagine utendum eſſe, ut inveſtigetur, quid rerum naturalium & quomodo in ipſa civitate procreari poſſit; & tum injungendum procurandumque eſſe, ut, quidquid poteſt, & quod multis modis fieri poteſt, quam optime, copioſiſſime conſtantiſſimeque fiat (§. 978. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 623.

§. 623.

Cum rector civitatis omnium maxime curare debeat, ut agricultura, res pecuaria & omnis œconomia ruralis floreat (§. 1032. *P. VIII. Jur. nat.*); & ante omnia dispiciendum sit, ut res naturales domesticæ quam optime & abundantissime procreentur (§. 622.): *cogitur inde, diligenter dispiciendum procurandumque esse, ut fodinarum omnis generis, agrorum, hortorum, pratorum, pascuorum, sylvarum cultura, & pecudum mansuetarum multiplicatio ac saginatio, item avium, piscium & ferarum utilium & pretiosarum tum procreatio, tum venatio & captura, succini quoque, margaritarum gemmarumque quam optime floreat, & legibus sapienter adjuvetur regaturque.* *In triplici regno naturæ colendo.*

Quia non omnis fert omnia tellus, & quæ melius alibi nascuntur, teste experientia, ope seminis & pecudum præstantiorum transferri in alia loca sic possunt, ut ibi quoque simili modo, vel constanter, vel sat diu, æque bene & copiosius habeantur, ac naturæ domesticæ cultura fieri potuisset: huc quoque intendenda est cura publica, ut doceantur & juventur cives domesticis adjicere aut substituere semina & individua meliora aliunde coëmta, quo melior & major solita hujusmodi rerum ubertas procreetur, unde cives ditescere, & ærarium publ. augeri queat.

§. 624.

Ea est plurimarum rerum naturalium indoles, ut arte demum ad omnis generis usus humanos sint aptandæ, experientia rerum magistra. Cum rectori civitatis opera danda sit, ut res artificiales ex materia parentur, quibus illa adhiberi potest (§. 1032. *P. VIII. Jur. nat.*); oppido patet, *curandum quoque esse, ut civitati suppeditentur opifices artificesque, qui & possint quam optime illas res usibus civium accommodare, &, ut hoc faciant, obligentur & adigantur.* Quales *si domi non habeantur, aliunde sunt præmiis pactisque alliciendi,* & ut inter cives aptos ad talia tirones ipsis suppeditandos erudiant (§. 621.). *Alliciendi & fovendi sunt artifices opificesque eximii.*

§. 625.

Quid de validis mendicis statuendum

Quia desides & dissoluti homines, qui aliis molesti sunt & noxii, in rep. ferendi non sunt (§. 620.): *tolerandi non sunt validi mendici cujuscunque sexus & ætatis, sed adigendi potius ad ea officia subeunda, quibus pares esse deprehenduntur.* Neque enim permittendum est, ut mendicent, qui labore suo tantum adquirere possunt, quantum ad vitæ necessitatem requiritur (§. 735. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 626.

Quomodo illis occasio laborandi privata detur?

Si cui vires suppetunt ad laborandum, ei ne mendicandum sit, occasio laborandi est suppeditanda (§. 736. *P. VIII. Jur. nat.*). Hanc autem privatim suppeditare ipsi possunt debentque parentes, consanguinei, consortes artis, amici, aliique cives tali labore egentes; hanc quærere & ipse potest ac debet more recepto, & eligere sibi laborem, quo fungi commode potest. *Quapropter jubendus est, qui temere mendicare otiarique audet, ut intra statum tempus ipse occasionem laborandi quærat; jubendi sunt & parentes, si quos habet, consanguinei, consortes opificii, amici aliique cives, tali labore egentes, quo fungi potest, ut occasionem laborandi ipsi ostendant, ad quam captandam compellendus est, si non nisi frivolas obtendat excusationes, tergiversationesque* (§. 625. & *cit.* §. 736.).

Sic Deus vetuerat, ne quis inter Judæos mendicus esset, *Deuter.* XV, 4, procul dubio, ut otiandi & male agendi libidini eo ipso occurreretur, & labore suo fungeretur, quicunque laborare posset. Serviendum enim illis, qui se suo marte sustentare non poterant in annum usque Sabbathicum, qui septimus quisque erat. Tunc enim libertatem recuperabat, nisi mallet in sua servitute manere. *Deut.* XV, 2. 12-17.

§. 627.

Quomodo consulendum his,

Si revera desit privata laborandi occasio sponte laboraturo, ei in publicis laboribus, propterea instituendis, dari potest, quod agat; aut quibus tantisper stipe cogenda succurrendum; aut migrandum est in alia loca. Si

Si cui desit laborandi occasio, qui laborare cupit valetque, is in nostro casu necessariis destituitur vitæ præsidiis, labore suo tantum adquirendis. Quapropter aut suppeditandus ipsi est labor, unde adquirere alimenta possit, isque publicus, quando privatus plane deficit (§. 612. *P. I. Jur. nat.*); aut suppeditanda illi sunt precario alimenta, itaque concedendum, ut stipem cogat (§. 748. *ibid.*); aut, si id ob graves rationes fieri nequit, aliorsum migret (§. 727. *P. VIII. Jur. nat.*) & (§. 154. *Jur. Gent.*). *deest laboris privati occasio.*

Primus casus habetur, quando quidpiam in commune bonum ope laboris effici potest aut debet, ad quod sumtus suppetunt. Tunc enim pares labori publico, & qui eo fungi cupiunt, omnino sunt admittendi. Secundus casus, ut alibi, ita & in opificibus occurrere solet, qui, dum circumspexere laborem, & reperire necdum possunt, vel ali communi ære ad aliquot dies solent, vel mendicare. Quæ mendicatio tamen ne in abusum vertatur, cavendum (§. 745. *P. VIII. Jur. nat.*). Tertius denique casus in iisdem opificibus occurrit, quando migrare alio jubentur, ubi laborem sint habituri; item in aliis mendicis impudentibus & laborem illicite tergiversantibus.

§. 628.

Si qui nolint laborare, ut par est, qui nisi labore se honeste alere nequeunt, illi compellendi sunt ad duriores labores publicos, ideoque damnandi ad ergastula, ad metalla, ad remos, similiaque alia, ubi & victu vili in pœnam aluntur. Etenim, qui nisi labore victum amictumque licite consequi nequeunt, illi, si nolint laborare, vel temere & illicite mendicando, vel otiando & ludendo male agere, aut prorsus sceleribus operam dare conantur, locuplete experientia teste. Sed mendicandi libido promiscua toleranda non est in rep. (§. 735 & 745. *P. III. Jur. nat.*), verum illicita mendicatio punienda (§. 746). Ex eadem causa & otiandi & ludendi libido, qua bona dilapidantur, compescenda (§. 753. *ibid.*). Multo magis, qui vitiis sceleribusque se dedunt, pœnis *Item his, qui nolunt laborare, cum deberent possentque.*

nis coërcendi ſunt (§. 654 *ſeq. ibid.*). Quare cum hujusmodi pœna, appoſitum huic vitio remedium afferens detur in ergaſtulis ſimilibusque inſtitutis: compingendi ſunt hi, de quibus nobis ſermo eſt, in ergaſtula (§. 737. *ibid.*), aut damnandi ad metalla, ad remos, ad piſtrinum, & in genere ad duriora opera publica pro tenui victu ſubeunda (§. 616. *ibid.*) & (§. 587.).

Dantur & in his laboribus gradus partim ex duritie laboris, partim ex numero annorum, per quos exantlandi ſunt, partim per numerum horarum, quæ illis quotidie impendendæ ſunt, æſtimandi. Damnatio longiſſima eſt, quæ perpetua dicitur, ac per omnem vitam durat. Valde dura eſt catenis ad tranſtra triremium adſtringens, remigumque mancipia noctu diuque, conceſſa tantum per pauca quiete, exercens. Nec deſunt alia laborum genera ex parte etiam periculoſa & ſatis moleſta illis, quibus imponuntur in pœnam, quæ percenſere nihil attinet.

§. 629.

Exploranda commercia utilia & noxia, ut illa provehantur, hæc impediantur.

Prout rectori civitatis curandum eſt, ut ſubditorum opes divitiasque augeat (§. 1027. *P. III. Jur. nat.*); ideoque ut floreant lucroſa commercia interna & externa, & caveantur, quæ iisdem obeſſe poſſunt (§. 1029. *ibid.*): ita *diligenter explorandum eſt, quænam commercia interna civitati expedire; quæ nocere illi publice aut privatim poſſint ac ſoleant, ut illa excolantur & provehantur, hæc damnoſa autem probibeantur & tollantur.* Inde & quo magis proſunt quædam commercia reip. eo magis illorum flori & perpetuitati ſtudendum; & quo plus nocent, eo magis ſunt inhibenda, arcenda & abroganda (§. 63. *ſeq. Jur. Gent.*).

§. 630.

Quid curandum, ut lucroſa ſint externa commercia?

Si commercia externa lucroſa eſſe debent, oportet plerumque, ut plures res naturales & factæ ex illis artificiales exportentur minori ſumtu, quam importentur, ſaltem ut nos plus lucri ab exteris habeamus, quam exteris a nobis adquiritur. Quando enim civitas commercium

cium cum exteris exercet, ea non niſi propter lucrum inde cenſetur eſſe ditior facta (§. 613. *P. III. Jur. nat.*) & (§. 427. *P. I. Polit.*). Iam ſi ponamus, res, quæ importantur & exportantur, æqualis eſſe copiæ & pretii, neutra inde locupletata dici poteſt, qualibet tantumdem obtinente ante & poſt commercium illud. Facta tum non eſt niſi permutatio æquabilis rerum utrinque abundantium uni, deficientium aliis civitatibus (§. 902. *P. IV. Jur. nat.*). Enimvero ſi una civitas peracto commercio plus inde lucrata eſt, quam alias fuiſſet habitura, illa recte dicetur inde ditata & locupletior facta eſſe. Quapropter ſi commercia externa debent eſſe lucroſa, oportet, ut vel plures res naturales, factæque inde artificiales, minori ſumtu & vectigali ex ea exportentur, quam importentur, ſi æqualis circiter pretii res inter ſe ſunt, vel ſaltem plus lucri percipiat civitas exportans ſeu vendens, quam importantes ſua viciſſim.

Hoc ſcilicet fieri poteſt, etiamſi pauciores res exportentur, quam importantur, quando illæ his ſunt pretioſiores. Ponamus, in quadam civitate dari auri argentique copiam abundantem, per ſe parum utilem, & rebus ad victum, amictumque, vitæque & ſanitatis tutelam facientibus poſtponendam! Quis illi vitio daret, ſi loco tam pretioſorum per humanum arbitrium metallorum, ipſi ſat vilium, antequam ſciret, quid illis aliorum populorum arbitrio pretii aſſignatum ſit, res alias ſibi utiliores, quibus ipſa carebat, accepit, aut alicubi hodieque acciperet? Ipſa raritas horum metallorum, durabilitas, aliæque dotes, ob quas haud immerito tantum illis valoris tributum eſt, ut pro communi pretiorum menſura commode adhiberentur, facit, ut ratione molis multo plus pro illis detur, quam accipiatur in illis, licet valor æquiparetur. Dantur & aliæ rationes, ob quas commercia externa negligenda non ſunt, etiamſi civitati lucroſa quidem non ſunt, ſed talia tamen præſtant, quibus ægre careret, vel in communi vita, vel in medicina aliisque artibus. De quibus dictum eſt *P. I. Politicæ.*

§. 631.

Alius casus idem obtinendi. *Possunt commercia externa hoc quoque modo lucrosa fieri, si quidem parum vel nihil exportatur, præter paratam pecuniam ejusve materiam, sed res importatæ aliis civitatibus lucrose venduntur.* Etenim si res importatæ, seu aliunde pro parata pecunia emtæ & accersitæ, partim civibus, magna autem & majori ex parte exteris civitatibus majori pretio venduntur, quam quo stant mercatoribus, non earum mercator tantum, sed & civitas inde lucrum ad se rediens sentit (§. 613. *P. III. Jur. nat.*). Qua rem ipsam, vel si mavis, qua effectum, idem est, ac si fuissent res domesticæ abundantes, aliis non sine lucro vendendæ (§. 630.). Quapropter & sic commercia externa sapienter lucrosa fieri, dubio caret (§. 63. *Jur. Gent.*).

Non Belgis tantum, sed & aliis civitatibus dudum æque, ac nostra ætate, hic modus lucrandi est receptus; nec paucis plus retulit lucri, quam alter in rerum domesticarum exportatione lucrosa consistens. Si uterque conjungatur, non potest id non civitati eo esse conducibilius fructuosiusque. Hinc est, quod cultiores civitates utrique operam navare, quanta adhiberi potest, deprehendantur, teste circumcirca obvia observatione.

§. 632.

Curanda est copia rerum quæstuosarum sapienter. Quia commercia utilia provehenda sunt (§ 629.); & rerum aliis necessariarum abundantiam requirunt (§ 630.): *oportet, ut rerum naturalium constanti abundantiæ* (§. 623.), *& peregrinarum, quæ his substituuntur* (§. 631.), *adquisitioni advectionique lucrosæ opera detur haud vulgaris.* Vnde publica autoritate & pactione commerciorum cum exteris libertas & securitas procuranda est, & tuenda; opus est societatibus complurium, aut conferendis ratis quibuscunque fere concessis (actien vulgo) ad remotiora exterorum commercia, velut indica, propter sumtuum & periculorum multitudinem magnitudinemque; opus est legibus & limitibus, ne monopolii abusus invalescat; opus

denique eſt, ut & publicum ærarium, non vero ſoli privati, ex commercio externo eo plus emolumenti capiat, quod illud eſt quæſtuoſius (§. 214. *Jur. Gent.*).

Requirunt illud vectigal & portoriorum ſumtus, commercii obtinendi & tuendi cauſa impendendi; requirit illud æquitas, ut resp. in partem tanti lucri veniat. Quod fit, dum privilegia adquirit, dum vectigalia & portoria accurate ſolvit, dum tempore neceſſitatis æris ſui copia reip. ſubvenit, ut e periculis eripiatur, quibus facile ſubverteretur. Ne monopolio noceret ſocietas Anglica Indiæ orientalis, addita nova & liberiori ampliata eſt, quæ centum milliones librarum ſterlingicarum publicæ rei bellis graviſſimis credidit, effecitque, ne exteris obæraretur Anglia, & uſuris majoribus attereretur. Similia Galliæ præſtitit Gallica ſocietas Indica, item Belgio Belgica &c. In Suecia vectigal nauticum antea fuit 100 thalerorum ex onere navis univerſo; jam 50 millium thalerorum eſſe fertur pro quavis nave oneraria, quod tamen certis conditionibus reſtrictum eſſe opinor. Vid. *Bened. a Schening Diſſ. 1756. Upſaliæ ed. Handels Compagnies tilli inſattning och natur beskreſne.*

§. 633.

Sapienti opus eſt moderamine ſocietatum commercii externi circa res voluptati tantum & ambitioni, luxuique inſervientes, & pretium rerum domeſticarum intus extusque minuentes, ne illa commercia damnoſa evadant. Etenim ut divitum ac dignitate præfulgentium opes aliorum quoque civium alimentis commodisque inſerviant, concedendum ipſis eſt, ut lautius cæteris & ornatius ſe gerere poſſint, quo & inde ipſorum ſors ab aliorum inferiori ſorte diſcernatur (§. 205. 761. *ſeq.* & 1027. *ſeq.* P. *VIII. Jur. nat.*). Enimvero quia luxus, ex vana voluptate & ambitione oriundus, civibus nocet (§. 732. *ibid.*), itaque tolerandus non eſt (§. 733. *ibid.*): is non tantum doctrina morali in ſcholis templisque damnandus eſt ſolidis argumentis, ut de ejus vitioſitate

Cautela circa commercia externa.

& noxa animi convincantur (§. 433-436. & 456. *seqq. ibid.*), ſed & commercia, quæ ſine luxu civium conſiſtere non poſſunt, multiplicanda non ſunt (§. 1030. *ibid.*). Ideoque ſapienti opus eſt moderamine illorum, ne exceſſu & abuſu reip. plus damni afferant & vitioſitatis, quam emolumenti (§. 48. *ſeqq. P. I. Polit.*).

Colliduntur hac in re interdum officia, quibus curandum eſt, ut res neceſſariæ ſint cuique parabiles, ideoque pretii vilioris, & tamen, ne ita evileſcant, ut, qui illas parare & ſuo marte procreare, aut naturalem procreationem ſua induſtria juvare debent, inde ali & fortunari nequeant. Quare ſapienter curandum, ut omnibus bene ſit in rep. nec plus noceatur plurimis, quam paucis commodetur. Sunt ergo hic ſapientiæ, ſunt & prudentiæ partes recte obeundæ. In quo commercio externo multiplicato ſimul & illud cavendum, ne, dum exterarum rerum pretium augeſcit, domeſticarum, quæ forſan exportantur ad exteras civitates, decreſcat ſubinde magis magisque. Sed hæc difficillima eſt curatio, accedente indomita lucri aliis præripiendi cupidine & invidia, quæ aliis animum addit, pretium ſuarum rerum in infinitum augendi, & mirandi, cur exteri his adeo inhient.

§. 634.

De uſu teſſerarum chartacearum.

In coloniis commerciorum externorum cauſa inſtitutis haud ſine commodo publico adhibentur teſſeræ chartaceæ loco auri & argenti. Etenim minus damni inde imminet coloniæ, cujus pecuniæ vicini exteri imminere nequeunt, dum inter ipſos chartacea teſſera nullius eſt valoris, & ob res promercales quotannis exportatas, parum eſt inter colonos, quod aliis ſalivam poſſit movere, ad illud ipſis eripiendum, id quod res ipſa loquitur evincitque. Sed coloni ipſi nihilo inde ſunt deteriores, quando teſſeris iſtis inter ſe & inter ſuos v. c. Britannos haud ſecus utuntur, ac parata pecunia, cujus jacturæ periculum tantum ſic commode depellunt, experientia & ratione edocti. Reliquis

quis commerciis ſufficiunt coloni fere ope permutationis mercimoniorum, antiquiſſimo hominum inſtituto.

Qui plura de his cupit, evolvere poterit A. 1755. Londini editam *Hiſtoriam & commercium coloniarum Anglicarum in America ſeptentrionali*, in forma octipertita; item *Les Elemens du commerce*, in quibus chartacei iſtius commercii uberior enarratio continetur. Cambia ſeu collybi mercatorum ſimili de cauſa frequentantur, ne ſcil. pecunia facile periclitetur.

§. 635.

Exportatio & importatio mercimoniorum ſapienter domeſticis fiat plauſtris navibusqae; relicta tamen exteris poteſtate, ſua mercimonia quoque importandi & alia reportandi, vel tantum exportandi ea, quibus indigent. Diligenter enim explorandum eſt, quænam commercia, & quomodo civitati prodeſſe vel obeſſe poſſint, ut illa promoveantur, hæc, quantum fieri poteſt, impediantur (§. 633.). Prodeſt autem civitati, ſi domeſticis plauſtris navibusque ſuas merces exportare, & alienas reportare poſſit, partim ſecuritatis & diligentiæ majoris ita ſperandæ, partim lucri cauſa, quod aurigæ & nautæ domeſtici aliique cives inde percipere poſſunt; cujus gratia exteri vecturam lubenter recipiunt. Quare cum & inter civitates ſua cuique ſalus prior eſſe debeat aliena (§. 229. *P. I. Phil. pract. univ.*) & (§. 206. *Jur. Gent.*), nec alteri præſtandum ſit, quod cum neglectu officii erga ſe ipſam eſt conjunctum (§. 610. *P. I. Jur. nat.*): ſapienter curandum eſt, ut exportatione ſuarum mercium, & reportatione alienarum civitas alias antevertat (§. 208. *Jur. Gent.*).

De modis exportandi & importandi regendis.

Quoniam vero aliis civitatibus idem jus eſt circa ſuas merces exportandas, & quærendas alienas in loco natali, ubi minimo parari pretio poſſunt (§. 31. *ſeqq. Jur. Gent.*): relinquendus eſt æquitati naturali locus, ut quælibet civitas conferat ad commercia mutua promovenda, quæ conferre poteſt (§.

211. *Jur. Gent.*), & libertati commerciorum externorum idem illud indulgeat, quod ſibi indulgeri ab aliis cupit (§ 95. *ſeqq. P. I. Jur. nat.*). Quare & exteris civitatibus ſalva relinquenda eſt poteſtas, ſua mercimonia importandi, & reportandi aliena, vel tantum quærendi aliena, ſi viciſſim ſtudeant tuendæ commerciorum libertati æquali.

§. 636.

De emporiis & portibus curandis.

Cum commercia hæc florere nequeant, niſi illis omnis præſtetur ſecuritas, commoditasque, quam usquam alibi habent (§. 213. *Jur. Gent.*), & niſi æqua ſint vectigalia (§. 214. *ibid.*), & pretia rerum hujusmodi, quibus alliciantur civitates exteræ ad hæc commercia aliis præferenda: liquet, *hæc omnia ſapienter in civitate qualibet eſſe inſtituenda, tuenda, & quæ illis repugnant, prohibenda & ſevere punienda.* Eapropter *emporia quam optime ſunt erigenda* locis opportuniſſimis, aptanda, conſervanda; omnisque & mercibus & mercatoribus indulgenda ſecuritas, commoditasque, & expedita juſtitiæ adminiſtratio, quando ea eſt opus, item privilegia innocua & commerciorum flori inſervitura (§. 217. *ſeq. Jur. Gent.*). Maritimorum vero commerciorum cauſa *portus ſunt condendi tuti commodique*, iidemque conſervandi, muniendi, & pharis noctu longe lucentibus inſtruendi (§. 220. *ſeq. ibid.*).

§. 637.

Procuranda eſt abundantia rerum, aliis deficientium.

Externorum commerciorum cauſa diſpiciendum eſt, quibusnam rebus aliæ civitates careant inhientque; & curandum, ut hæ quam copioſiſſime, optimeque colantur & perficiantur, ipſisque æquius quam alibi vendantur. Explorandum nempe eſt, quænam commercia civitati prodeſſe queant (§. 629.), & quænam externa lucroſa eſſe queant (*ibid.*). Sed illa ſunt lucroſa, quibus res domeſticæ naturales artificialesve aliis civitatibus, quæ illis indigent & inhiant, quibus noſtra abundat, venduntur (§. 630.). Opera

igitur

igitur danda eſt, ut conſtet, quasnam res aliæ civitates cupide in noſtra quærant, & ut hæ, quam optime abundantiſſimeque conſtanter fieri poteſt, natura & arte procreentur, ipſisque æquius, ac alibi, vendantur (§. 622. *ſeqq.*).

Alibi tellus in viſceribus ſuis procreat metalla, hic nobiliora, aurum & argentum, illic ignobiliora, ut platinam, ſtannum, cuprum, ferrum, plumbum, quibus accedunt factitia aurichalcum, tambacum, Robertinum, campanum; alibi ſemimetalla, ut argentum vivum, cinnabarim, vitriolum, ſtibium ſeu antimonium, cobaltum vel bismuthum, Zincum, magnetem; alibi ſales foſſiles, ammoniacum, nitrum, alumen, boracem, & factitios, marinum, fontanum, ſaccharum &c.; alibi ſulphur, auripigmentum, arſenicum, naphtham, petrobeum, bitumen, piſſaſphaltum, lithanthracem, ſuccinum, & factitia affinia, ſebum, ceram, olea, alcohol &c.; alibi lapides pretioſos, ſeu gemmas, uti adamantes, rubinos, ſmaragdos, ſaphiros, topazios, carneolos, jaſpides, achates, carbunculos, beryllos, amethyſtos, granatos, hyacinthos, chryſolithos, ſardios, chalcedonios, onychos, ſardonyches &c., aliosque minus pretioſos, ut marmor, hæmatitem, gypſum, ſpecularem, lydium, alabaſtrum, ſmiridem, talcum, lazulum, cotes, pyrites, ſilices &c.; alibi terras, uti pingues v. c. bolos, argillas, cimoliam, fulloniam, luteam, rubricam, cæt. & macilentas, ochram, cretam, margam. Omitto varia ex his arte facta cimelia ornamenta, anaglypha, coronas, monilia, inaures, armillas, annulos, ſtatuas, inſtrumenta, monumenta, numismata, medicamenta, & quid non? Tranſeo mercimoniorum genera ex arboribus, plantisque terreſtribus & aquatilibus; ex animalibus natantibus, volantibus, gradientibus, repentibusque, uti corallia, margaritas, uniones, bezoar, moſchum, thus, myrrhum, balſamum, mannam calabrinam; & innumera alia.

§. 638.

Propter commercia interna & res naturales excolendæ ſunt quam optime & in copia abundanti, & artificiales elaborandæ quam optime abun-

Quid com-
mercii inter-

ni causa curandum sit? *abundanterque, curandumque, ut minori inter cives & æquiori pretio, quam apud exteros, haberi possint, ubicunque illis est opus.* Etenim commercia interna exercentur ab illis, qui eidem imperio subsunt (§. 61. *Jur. Gent.*), ideoque intra civitatem eandem & a civibus inter se exercenda sunt, ut eorum ope unusquisque civis & incola, item degens in civitate, ea habere possit, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem requiruntur (§. 62. *ibid.*). Quamobrem, quia curæ esse debet rectori civitatis, ut floreant commercia inter cives, & solicite caveantur, quæ illis obesse possunt (§. 1029. *P. VIII. Jur. nat.*); quia studendum, ut res, in commercium venientes, quam optime copiosissimeque perficiantur (§. 515.), ante omnia vero inter cives minori pretio habeantur, & æquius, quam apud exteros, vendantur (§. 637.): patescit, propter commercia interna promovenda (§. 629.), excolendas, parandas & perficiendas esse quam optime constantissimeque res & naturales & artificiales (§. 623.), easque civibus, ubicunque illis indigent, æquiori pretio esse vendendas, quam quo ab exteris emendæ essent, superfluis tantum ad peregrinos transeuntibus (§. 808. *P. VIII. Jur. nat.*).

Imperari quidem civibus potest, ne apud exteros quærant, quæ domi emere possunt, etiamsi aliquanto meliores res pro eadem pecunia, aut pares quidem, sed minori pretio ibi emere possent: quia civium est, se mutuo potius & prius perficere ac juvare, quam exteros. Enimvero quia cives inviti ita adstringuntur, & facile clam faciendi occasionem reperiunt, quod aperte non audent: præstat, ita potius omnia instituere, ut nec meliora, nec viliora, sumtibus computatis, alibi comparare sibi possint.

§. 639.

Quid sanciendum de propolio. Quia prohibenda & tollenda sunt puniendaque, quæ commerciorum flori & æquitati obsunt (§. 629.); propolia autem

autem præter neceſſitatem pretia rerum augent, ideoque concedenda non ſunt (§. 226. *Jur. Gent.*): patet, *propolia in civitate eſſe prohibenda*, &, *ſi contra vetitum admittantur, punienda;* ut cives quam minimi a primis venditoribus emere poſſint res præſertim neceſſarias. Quatenus vero aliunde afferenda neceſſaria vitæ præſidia, & eodem pretio venduntur a primo quam a ſecundo venditore, præſertim, ſi hic ea ſemper præſto habeat aut alat, quæ aliunde tantum ſtatis temporibus inferri poſſunt: *eatenus præter neceſſitatem propolæ non augent rerum pretia; ideoque* & hoc caſu, & quando reportanda alias mercimonia emunt, & in futurum aſſervant, civibus jam ſatiatis, *locus illis eſt relinquendus.*

§. 640.

In detrimentum reip. aut multorum civium vergentia monopolia non ſunt indulgenda, ſed tollenda, ſi irrepſerint; quæ autem ita limitantur, ut merces bonæ nec majori, quam ſi nullum ſit monopolium, ſed potius viliori pretio comparari poſſint, ea admitti foverique merentur. *Quid de monopoliis habendum.* Priori enim caſu monopolia nocent reip., ideoque nec concedenda ſunt illorum privilegia quæſituris (§. 875. *P. VIII. Jur. nat.*), nec toleranda, ſi introducta ſint, ſaltem eorum abuſus penitus tollendus (§. 629.). Poſteriori autem bono publico non tantum non nocent, ſed quoque proſunt, ideoque publicæ ſalutis cauſa concedenda ſunt & tuenda (§. 876. *P. VIII. Jur. nat.*).

De monopoliis noxiis prohibendis tollendisque nullum ſupereſt dubium. Augent illa præter neceſſitatem rerum pretia, ineptasque merces civibus obtrudunt pretio iniquo; eripiuntque aliis civibus jus honeſte ex earundem rerum æquiori commercio rem faciendi. Sed quatenus nihil nocent reip. ſed potius ea cautione adhibentur, ut meliores merces requirantur, æquiori pretio civibus vendendæ, ac in commercio plurium vago habebantur; eatenus haud ſecus comparata eſt monopolii conceſſio, ac ſi ſapienter non plures in ſocietatem opificii aut artis admittantur,

tur, quam honeste inde ali possunt, & qui ad æquitatem in vendendis illis rebus vitandisque fraudibus sunt adstricti.

§. 641.

Quid contra dardanarios & annonæ caritatem procurandum?

Quoniam ferendum in rep. non est, ut annona flagelletur, h. e. præter necessitatem carior efficiatur in civium & pauperum insigne detrimentum (§. 727. *P. VIII. Jur. nat.*); & *dardanarii* appellantur, qui annonam, qua abundant, ideo vendere nolunt, ut quam carissime tandem eam vendere possint (*ibid. in not.*): manifestum est, *dardanarios in civitate non esse ferendos, sed,* si post exhausta granaria publica & communitatum, vendere nolint annona abundantes, *compellendos esse ad eam æquo pretio vendendam; aut*, si nolint parere, vel clam retineant annonam, convictos malitiæ *pro meritis puniendos esse. Pariter quoque aliis quibuscunque licitis modis in annonæ caritate*, seu domesticis, seu aliunde petitis & conquisitis vitæ præsidiis, ex publico ære & ditiorum liberalitate *inopiæ succurrendum est*, ne annonæ caritas civitati valde periculosa evadat (§. *eod.*). Idem quoque de ligno tenendum & similibus (§. 729. *ibid.*).

Dardanarii nostratibus Korn-Juden vel Hodler appellantur, & vel propolæ sunt, vel mercatores, vel domini annonam in suis prædiis adepti. Omnium horum avaritia & injustitia, cum aliorum damno se locupletandi hoc casu manifesta est, ut dardanariatus inter crimina publica a Romanis haud immerito censeatur, *l. 6. Tl. de extraord. crimin.* Natum inde est problema civile, quomodo effici possit, ut constans esset, si non omnis annonæ, saltem frumenti pretium; cujus solutionem quantovis præmio condecorandam censuit *ill. B. de Wolff. nota cit.* sed & monuit, habere illud admodum difficilem explicationem, cum rerum civilium & naturalium idem hic sit nexus, & facile alia in parte noceatur, si huic opem ferre velis. Vnde subjiciemus nonnulla.

§. 642.

Optandum quidem videtur, quod nonnulli non consultum tantum judicarunt, sed & efficiendum in civitate putarunt, ut scilicet nutrimentorum idem semper pretium obtineret, modicum scilicet, quo æquitas eadem inter emtores venditoresque nunquam non servaretur. Hi vero non pensitant, quod fieri cupiunt, id non esse in hominum potestate. Manente enim eodem civium numero, quia injustum esset, propter annonæ caritatem cives plerosque ejicere ex civitate, totidem in annonæ caritate essent eodem pretio alendi, quo in annonæ vilitate. Sed ob sterilitatem deficit annona sæpe non tantum in una, sed in multis vicinis civitatibus. Ecquid vero est, quod substitui ordinariis alimentis in magna aut summa sterilitate possit? Qua arte sibi procurabit alimoniam, quam natura denegavit, & quidem pretio non majore, quam in annonæ affluentia? Num artem esuriendi, & inedia quoque vitam prorogandi cives pro lubitu suam facere & exercere poterunt? Si vel in alia civitate annona abundet, quod plerumque non nisi in valde remota contingit, num illi imperare ulla alia potest, ut eo, quo famelica cuperet, pretio ipsi tantum annonæ vendat, quanto jam indiget? Aut num pactum tale inter omnes civitates reciperetur, ut propter idem semper alimoniæ pretium re frumentaria abundantes, tantum cæteris eodem pretio vendant, quo vellent, id in pari casu sibi ab aliis vendi? Quæ omnia si fieri, si sperari nequeunt; *patescit, institutum stabiliendi idem semper annonæ pretium excedere vires* humanas, *ideoque frustra optari commendarique.*

Nequit idem semper esse annonæ pretium.

Constat quoque ex lege naturæ, ne quidem in eadem civitate pretium rerum necessariarum idem semper esse posse, sed mutata rerum facie aliter atque aliter esse determinandum (§. 304. *seqq.* & 326. *P. IV. Jur. nat.*). Multo minus igitur, quæ ex alia civitate petendæ sunt, eodem semper pretio gaudere & haberi possunt.

§. 643.

Occurrendum tamen pro viribus annonæ caritati.

Hoc tamen non obstat, quo minus, introducto licet dominio, sapienti providentia, quantum fieri potest, futuræ occurratur annonæ caritati publico privatoque ære, & conservatione annonæ abundantis quam optima in annos steriliores. Facit hoc simul ad studia, civium vitam, sanitatem, copiam & opes tuendi, quæ in officio civitatis esse, satis superque evictum est. Quapropter dum experimur, fertiles annos sterilesque mixtos sapienter esse a Deo; ex observationibus discendum est, qua circiter lege id in diversis climatibus regionibusque usu veniat, ut granariis publicis & privatis, cæterisque modis, seu jam inventis, seu inveniendis in posterum, abundantia quæque quam optime diutissimeque serventur in futuras necessitates (§. 641.), parsimonia rite administrata, & lege luxum proscribente (§. 382. *P. IV. Jur. nat.*), (§. 431. *P. IV. Ethic.*) & (§. 733. *P. VIII. Jur. nat.*).

Ipsa fertilitas anni, ipsa annonæ copia nutum continet divinum, & indicium, ex ea prospiciendum esse nobis, uti actu prospicitur a Deo, præteritæ futuræque sterilitati. Quare quotquot sapiunt civitates earumque rectores, sibi in medium consulendum, & de futura necessitate levanda cogitandum esse merito sciscunt. Memini me legere, in Gallia observatum esse, intra decennium fere 6 esse annos mediocres, 2 fertiles, & 2 circiter steriles. Si ex illis, quæ Gedani emta & vendita sunt intra sæculum frumentorum genera, colligendum est de Poloniæ tum fertilitate, tum sterilitate; deprehenduntur in eo 27 anni, in quibus nondum 20 Sexagenarum (Last) frumenti millia invecta sunt, inter quos 6 sunt, qui nondum myriadem dedere. Sed plerumque distant a se invicem varie, raro duo vel 4 continenter se excipiunt. Fœcundiores autem feracioresque 14 anni interea 50 &, quod excedit, millia sexagenarum frumenti modiorum dedere abundantia sua; inter quos duo anni sexaginta & amplius millia, unus 77 millia largitus est. Reliqui in mediocritate substitere.

§. 644.

Casus sublatæ fere privatorum proprietatis.

Si qua in civitate saltem maxima omnia fere essent communia, unoquoque officium suum recte faciente, possent ejus rectores sua cuique vitæ præsidia ita suppeditare & assignare, ut omnibus bene esset, & cum futuris necessitatibus abunde prospexissent, residua peregrinis vendere pro aliis, quæ desunt ibi, parandis. Hoc enim casu velut in communione primæva, pretio haud esset opus inter cives (§ 273. *P. IV. Jur. nat.*), aut pecunia (§. 290. *ibid.*), singulis cuncta, quibus egent, pro voto large consecutis (§. 107. *P. II. Jur. nat.*); sufficeretque, si rectores tantum in commercio cum exteris dominio rerum communium ut suarum gaudentibus, ea uterentur, quando sola permutatione scopo potiri non possent (§. 937. *P. IV. Jur. nat.*). Ibi ergo ob pretiorum defectum res, quæ in usu sunt, quasi semper eodem h. e. nullo gauderent pretio, usuque solo æstimarentur (§. 26. *seqq. P. II. Jur. nat.*), atque sic quoddam quasi analogum ejusdem semper annonæ pretii ibi daretur, modo id, quod ponimus, posset præstari.

Scilicet natura non dantur res singulorum (§. 8. *P. II. Jur. nat.*), sed omnes sunt communes (§. 7. & 24. *ibid.*). Lex naturæ homini cuique tribuit usum rerum necessariarum, utilium & jucundarum (§. 14. *ibid.*), ut is usus promiscue pateat omnibus (§. 19. & 27. *ibid.*), nec præter usum jus quoddam in res corporales datur in ista communione primæva (§. 21. *ibid.*). Ipsæ quoque res industriales & artificiales ibi sunt communes (§. 29. *seqq. ibid.*), & cuique patent indigenti illis ad satisfaciendum obligationi naturali (§. 33. *ibid.*), neque cuiquam jus est eam recte adhibenti & prius occupanti eripiendi (§. 35. *seqq. ibid.*). Nemo tamen rebus utitur, ut suis, sed uti communibus (§. 37. *ibid.*), unde finito usu unius, idem aliis patet (§. 38. *ibid.*). Omnibus tamen communis utilitatis causa rite laborandum, nemini otiandum est (§. 41. *seq. ibid.*). Omnibus quoque est jus resistendi illis, qui ipsos in usu rerum communium impedire,

aut eundem ipsis eripere conantur (§. 52. *ibid.*), idque jus se defendendi infinitum est (§. 53. *ibid.*), & jus puniendi infinitum (§. 56. *ibid.*), ac jus belli justi infert (§. 57. *seqq. ibid.*). Num communio bonorum inter primos Christianos hierosolymitanos, aut aliud institutum ordinis cujusquam in hunc censum vocandum sit, nec ne, in medio relinquam; cum ea discussio non sit hujus loci. Hoc ex disputatis evidens est, nisi tale institutum sufficeret in sempiternum, illud male imitaturum esse divinum illud institutum, in omni animantium ratione destitutarum genere manifestum.

§. 645.

Cur agris vicina dari debeant oppida.

Quoniam commercium internum promovendum est (§. 629.): *passim oppida dari debent in regionibus, ad quæ nullo negotio agricolæ suas fruges, fructus & pecudes venales deferant*, & vendant civibus, his destitutis rebus, easve sponte in pagis conquirentibus; & *unde vicissim ruricolæ petant opificum opera*, quibus ipsi egent. Ita facilius & in proclivi non tantum erit commercium internum; sed & minori pretio res erunt parabiles, acsi longo itinere eo apportandæ aut devehendæ essent, ubi emtores darentur (§. 638.). Cavebitur simul hoc pacto, ne, cum civium damno, ad propiora exterorum oppida & nundinas merces exportentur, quibus ipsi cives eguissent, & minori pretio potiri potuissent (§. 638.).

§. 646.

Occurrendum damnis monetæ vilioris.

Ejusdem commercii causa cavendum quoque est, ne vili moneta, præsertim peregrina, cives in diminutionem opum incidant, & venalia evadant cariora. Vtrumque enim vergit in detrimentum commercii manifestum, quod studiose evitandum est (§. 629.). Sentiunt id detrimentum non solum reditus privati, verum & publici, quorum neutri sine alio incremento pares erunt illis salutis præsidiis comparandis tuendisque, quibus antea sufficiebant. Neque facile erit, damna sic oborta aliis incrementis repa-

reparare, cum pretio majori emtores absterreantur, deteriori accepto venditores damna incurrant, aut decipiantur, si inscii deteriori moneta circumveniantur.

§. 647.

Caveri nequit, ne viliori moneta cives opibus diminuantur (§. 646.), nisi vilior moneta peregrina aut plane prohibeatur, & melior domestica abundet; vel si desit melior domestica, aut emtores peregrini alia non gaudeant moneta, vilior illa ad justi pretii valorem revocetur, luculenta teste rerum magistra. Quare cum curandum sit, ne desit moneta ad res operasque comparandas sufficiens (§. 801. *seq. P. VIII. Jur. nat.*), & moneta proba utendum sit (§. 803. *ibid.*): *prohibendam prorsus esse patet monetam reprobam*, in primis peregrinam, domestica proba abundante, nec exportanda; *saltem allatam aliunde deteriorem ad justum valorem esse redigendam*, ne plus pro illa detur, quam revera cum probiori comparata valet. *Proscribenda pecunia reproba, aut æstimanda verius.*

Si interdicatur pecunia deterior, nec melior domestica adsit & abundet, interdictum erit irritum, & per necessitatem cives adigentur ad eam accipiendam, si quid rerum suarum vendere velint, & propter rationes domesticas debeant. Neque cives tantum privati sic ingens habebunt damnum, sed & ipsa provincia aut integra civitas deteriori pecunia tanto subjicietur damno, quantum est detrimentum deterioris pecuniæ, loco melioris surrogatæ.

§. 648.

Opus est, ut pecunia proba in civitate habeatur & retineatur, ejusque exportatio severe interdicatur puniaturque; minores autem numi circumforanei vicinis circiter æquiparentur, & justa ad auream & argenteam pecuniam gaudeant proportione. Curandum enim sedulo est, ut pecunia sit proba, ejusque bonitas externa respondeat internæ (§. 803. *P. VIII. Jur. nat.*). Vnde a rectore civitatis monetariis rigorose præscribendum est, quantum metalli vilio- *Cujusmodi opus sit pecunia & numis?*

ris

ris auro & argento puro in numis cudendis addere liceat, & quantum ponderis numis quibusque esse debeat; nec permittendum, ut ab ista lege recedatur, manentibus fraudem adhibitam gravissimis pœnis (§. 804. *ibid.*). Quia vero parum hoc prodesset civitati, si melior pecunia ad exteros exportaretur, pari pœna ejus exportatio est coërcenda. Liquet ergo, locupletandæ, saltem non attenuandæ, civitatis causa procurandam conservandamque in ea constanter esse pecuniam probam, qualis in prudentissimis civitatibus usitatur.

Quod autem attinet ad numos minutos circumforaneosque quotidie, hi si essent ejusdem bonitatis, ad squamarum minutias redirent, perfacilique jactura magis nocerent civibus, quam prodessent in commercio quotidiano, teste usu inter quosdam populos olim recepto. Rectius ergo hi ex viliori metallo cuduntur, eoque vel puro e. g. cupro, vel mixto cum quadam parte præstantioris metalli, more vicinarum civitatum & peræqua ad probiorem pecuniam proportione. Posterius attestatur experientia receptius esse & commodius, quam prius, modo fraudibus obex ponatur.

Sinenses aliique non utuntur nisi argento & auro puro, quantum ejus puritatem explorare didicerunt, more antiquissimo populorum, nec ideo sumtuum signati auri & argenti rationem habent ullam. Pleræque tamen civitates commodius, &, si omnia rite curentur, tutius contra fraudes signata utuntur pecunia, vel ex puro auro, argentove, vel ex tantillo adjuncto viliori, quod sumtus signationis circiter æquet. Paucissimorum enim est, puritatem nobiliorum metallorum obrussa accurate explorare, & fraudes dolosorum hominum evitare, quod in numis signatis ope magistrorum rei monetariæ multo rectius certiusque fit. In Suecia usu habetur & moneta mere cuprea, sed non ignorantur incommoda in tanta mole cupri secum vehenda aut ferenda. Quod incommodum admisto argento ex præscripta norma justæ pro-

proportionis cessat, ideoque pluribus arrisit, quam nudum ferrum Spartanorum, æs Romanorum, aut cuprum Suecorum &c.

§. 649.

Quod de numis ostensum est (§. 648.): *idem quoque tenendum de vasis rebusque aliis ex auro argentove conficiendis* (§. 804. *P. VIII. Jur. nat.*), ne in his simili fraude civium opes minuantur. *Analoga ratione id quoque valet, de aliis metallis*, fraudulenter cum civium & commercii damno depravatis, nec non *de mercibus quibuscunque carioribus præsertim*, signandis ideo, ut fraudis admissæ autor facile detegi possit. *Item aurum & argentum in aliis rebus, &c.*

§. 650.

Prout in rep. ferendum non est, ut quilibet pro lubitu monetam, utut bonam, cudat: ita multo minus monetæ adulteratores & corruptores ferendi sunt (§. 806. *seq. P. VIII. Jur. nat.*). *Necesse igitur est, ut periti juratique monetarii autoritate publica monetam cudant ex lege præscripta* (§. 648.), *explorentque numos seu peregrinos, seu adulterinos, seu pondere diminutos nefaria manu*, ne cives illis decipiantur, & *ut autores adulterationis & corruptionis investigentur, & promeritis afficiantur pœnis.* *Numi adulterini & corrupti vetandi, eorumque autores puniendi.*

§. 651.

Quoniam proba pecunia in civitate est conservanda (§. 648.): *ferendum non est, ut ea destruatur, & operibus mechanicis aurificum limbolariorum, &c. consumatur.* Quid? quod generatim opera mechanica, quæ aurum argentumque non signatum consumunt, commerciorum causa provide instituenda sunt, ne excessu noceant (§. 1031. *P. VIII. Jur. nat.*). *Pecunia non est destruenda, nec aliud aurum argentumque per excessum.*

Multi sunt modi, quibus aurum argentumque sensim perditur, destruitur, inepteque consumitur a variis. Quod cum noceat opulentiæ civium & civitatis, utique cavendum est, quantum fieri potest. Multum argenti aurique dissipari, dum vulgari modo ustulatur; dum volatile redditur & in auras abit, quod quomodo fiat, chemia docet; dum igne vehementiori diu urge-

urgetur; dum longo uſu atteritur, uti in annulis monetisque, apparet. Multum perditur, dum amalgamantur, aliisque metallis inducuntur hæc metalla, dum in lamellas ducuntur, & in fila, dum deaurata & argento obducta ſenſim perdunt, quod illis adhæſerat; dum intexuntur, aut nentur in pannis, linteaminibus, limbis, faſciolis, tæniis aliisque ornamentis. Vbi accedente viliori metallo ingens lucrum ex multorum damno captant venditores.

§. 652.

Nec otioſe abſcondendæ. *Neque ferendum eſt, ut privatorum pecunia temere otioſa ciſtis, ingenti copia includatur, vel in terra & muris recondatur; ſed potius curandum, ut ſecure vel mutua detur, vel fœnori exiguo, ſaltem æquo, ut ea carentes inde lucrum facere poſſint.* Pecunia enim non prodeſt civitati, nec privato ulli, niſi per uſum legitimum, cum non inventa nec neceſſaria ſit, niſi propter obtinendam communem pretiorum menſuram (§. 290. *ſeqq.* & 320. *P. IV. Jur. nat.*). Inde nec per ſe appetenda eſt (§. 412. *ibid.*), ſed uſu conſumenda (§. 348. & 471. *ibid.*). Quapropter ea inutilis redditur, ſi plus, quam futura neceſſitas poſtulat, ut in promtu ſit, otioſe recondatur in theſauro, ſpecu, muro, aut ſub terra defodiatur, ut mortuis dominis per reliquorum ignorantiam omni careat uſu, quaſi nihil ejus ſupereſſet, niſi fortuito caſu a quoquam detegatur reperiaturve jam detecta. Ita enim cives multi nequeunt præſtare civitati, quæ debent, defectu pecuniæ, & commercia minuuntur. Si igitur dentur cives tam avari, ut ex ſolo adſpectu vel dominio occultam quærant voluptatem, illi adigendi ad officium erunt (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*), ne pecuniam ſuam reddant inutilem, præſtita ipſis ſecuritate pro uſu ſeu gratuito, ſeu quadamtenus lucroſo, aliis concedendo.

Si quis enim ita abundet pecunia, ut magna ejus parte uti nequeat & nolit, alii ſupererunt, illius copia & uſu egentes, quibus ea mutuo dari poterit, ut gratis eadem utantur, fini-

finitoque uſu conceſſo ſibi, eam dominio reſtituant, intercedente magiſtratus autoritate & liberalitatis cohoneſtatione (§. 346. *ſeqq.* & 182. *ſeqq.*). Erunt quoque alii, qui uſus fructusque pecuniæ partem æquam, ſeu leviores uſuras domino præter ſortem dent contractu fœnebri (§. 1412. *P. IV. Jur. nat.*). Sed in rep. opera eſt danda, ut opifices, aliena pecunia indigentes, & eadem vix tantum adquirentes, quantum valent uſuræ legitimæ, uſum illius pro levioribus uſuris obtineant (§. 750. *P. VIII. Jur. nat.*). Quare proſcribendam eſſe uſurariam pravitatem (§. 748. *P. VIII. Jur. nat.*), & ſic uſura vel nulla vel exigua quoque ditandis, quantum licet, civibus litandum eſſe, innoteſcit (§. 1027. *ibid.*).

§. 653.

De uſu pecuniæ promovendo.

Propterea, quod ferendum non eſt, ut pecunia privatorum temere otioſa & inutilis reddatur (§. 652.), *conſpicuum eſt, operam eſſe navandam, ut pecunia in perpetuo ampliſſimoque uſu verſetur; ut inter omnes juſta proportione diſtribuatur*; ideoque ope commercii interni eadem pecunia ab alio in alium ſubinde transferatur, in plurimorum commodum convertenda (§. 62. *Jur. Gent.*).

Quia pecunia uſu conſumitur, h. e. deſinit eſſe noſtra, dum erogatur, vel gratis vel pro re alia comparanda, manifeſtum eſt, uſum pecuniæ non niſi debita & legitima ejus erogatione abſolvi. Vt vero debite erogari & in alios transferri poſſit, utique opus eſt, ut ab omnibus pro ſuo modulo adquiratur, adminiſtretur recte, cuſtodiaturque in dictos uſus. Quare promovendus uſus hæc ſimul includit. Neque ſufficit, pecuniam in civitate manere, cum tributa pleraque non requirant determinatam patrimonii partem, ſed ut tantum cuique ſit, quantum eſt dandum.

§. 654.

Quomodo id fiat.

Vt quæſtuoſus ſit pecuniæ uſus, & ipſi rectores civitatum pro dignitate erogare debent pecuniam ex officio in perſonas alendas meritisque præ-

præmiis afficiendas, resque sibi comparandas decoras, & incitare opulentos ac dignitatibus fulgentes, ut eos pro gradu suo imitentur. Est enim rectorum civitatum, cives suos locupletare (§. 1027. *P. VIII. Jur. nat*) & (§. 629.). Sed hoc fieri non posset, si accepta tributa vellent in thesauris recondere, & parum vel nihil erogare. Quapropter ad majestatis suæ splendorem pro officii ratione sapienter erogare opes suas debent in personas & res se dignas, ut commercium internum provehant (§. 629. & 653). Simul quoque suo exemplo nutuque incitare debent honoratiores opulentioresque, ad imitandum pro gradu suo id officii genus. Qui vicissim alios mediocris fortunæ cives incitant ad imitamenta pro sortis suæ conditione, ut sic per hos reliqui, omnesque adeo, ad commerciorum florem augendum proni fiant.

Non repetimus hic remotiora subsidia commerciorum juvandorum, de quibus supra dictum est (§. 629. *seqq.*). Minus recte igitur rectores civitatum a peregrinis petunt emuntque, quibus splendorem suæ majestatis ostendere & tueri possunt, quando illa in sua civitate a civibus habere possunt. Neque enim vanitati, sed felicitati & fortunationi civium augendæ studendum est. Est quidem & thesauro publico opus in casum necessitatis; sed is tantum superflua continebit, quæ nocerent potius saluti publicæ, quam prodessent (§. 429. *seqq. P. I. Polit.*). Nimia enim pecuniæ copia æque nocet ac inopia.

§. 655.

De modis locupletandi cives tenuiores. *Vt cives tenuioris sortis rem facere possint, curandum est, ut vel nulla vel leviori usura frui possint pecunia aliena* (§. 750. *P. VIII. Jur. nat.*). Quod fieri poterit, si partim ex thesauro publico illis pecunia, in eo otiose recondita, credatur, ea lege, ut, si minus recte ea utantur, vel publicæ salutis causa thesauro utendum sit, credita illico recuperetur; vel, si ex privatorum superfluis opibus & symbolis *ærarium pium* (mons pietatis vulgo dictus), constituatur simili lege, ut indigentes suis ratis, eas confestim in prom-

promtu habeant, ſeu ex reſervata ſemper certa ſumma parata, ſeu ex aliis eorum loco ſymbolas inferentibus. Legatis enim piis obtineri poteſt impendium, in receptionem, erogationem & adminiſtrationem ratarum ærarii tutam faciendum.

Dantur paſſim æraria mutuaticia pietate duce ad alia aliave bona publica provehenda inſtituta, quæ exemplo & in aliis caſibus eſſe poſſunt. Amplificandum enim eſt bonum publicum, quibuscunque modis honeſte fieri poteſt.

§. 656.

Juvandorum eorum cauſa, qui non niſi ex uſuris patrimonii ſui honeſte ali & fortunari poſſunt, inſtituenda ſunt æraria fœneraticia præter vulgares & privatas fœnoris rationes, ab uſuraria tamen pravitate immunes (§. 748. *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*), *quæ cum ærario majorum ſocietatum mercatoriarum commode connectuntur.* In civitate enim obligant ſe ſinguli univerſis, quod commune bonum promovere velint, & univerſi ſe obligant ſingulis, quod vitæ ipſorum affluentiæ, tranquillitati & ſecuritati proſpicere velint (§. 28. *P. VIII. Jur. nat*). Curandum igitur, ut & illorum fortunæ conſulatur, qui aliunde, quam ex uſuris patrimonii honeſte ali & fortunari nequeunt (§. 1414. *P. IV. Jur. nat.*). Sed his cônſuli ſemper nequit privatis fœnerandi conditionibus, ideoque & publico opus eſt ærario fœnebri, ubi pecunia tuto & cum emolumento publico privatoque locari poſſit. Cujusmodi alias melius dari nequit, quam in majoribus mercatorum ſocietatibus, a quibus fœnus lautius non ſine inſigni ſuo & civitatis incremento haberi ac dari poteſt (§. 352. *ſeqq.*).

Item fœnebri uſu pecuniæ ſuæ egentes.

Ita uſitatum eſt, ut ingentes ſummæ ſocietatum mercatoriarum colligantur ex collatis multorum ratis, non tantum indigenarum, verum & peregrinorum: quia lucrum, quod ſocietas inde capit, ditat ſocietatem ſimulque civitatem ipſam. Indigent enim ejusmodi ſocietates multis millionibus vel pecunia immenſa, ad tantos ſumtus faciendos, ſine quibus ingens lucrum

fieri nequit. Conf. *P. Jac. Marpergeri montes pietatis*, & *Klockius de ærario*.

§. 657.

De ærariis pauperum.

In eundem finem quoque faciunt pauperum ærari a, instituta tontina, vitalitia & vidualitia. Continent enim æraria pauperum legata, e quorum uſuris pauperibus ſubvenitur per dona. Continet vitalitium reditus ad vitæ dies conſortibus ſubminiſtrandos, & ſi creſcant illi pro numero conſortium demortuorum, æqua lege tontinum appellatur inſtitutum. Viduis debitum vitalitium vocarunt vidualitium. Vti hæc inſtituta juſtitiæ conformari ſic poſſunt, ut e vitalitia & tontino loco ratæ ſuæ plus accipiant participes, quam ex ea ſola rata alias fuiſſent habituri, e vidualito autem fortunandis viduis vel & orphanis proſpiciatur: ita ad augendas ſenum, viduarum, aliorumque egenorum opes recte adhiberi poſſunt, & ſi bene adminiſtrentur, magno cum fructu in perpetuum conſervari. Quæ omnia paſſim ita comprobata dedit fidiſſima rerum magiſtra, ut aliis vix egeamus argumentis, de quibus vid. *P. V. Jur. nat.* §. 430. *ſeqq.* & *Diſſ. noſtr. de quæſtu Tontino.*

§. 658.

Cur ſortilegia rarius ſint concedenda?

Rarius quoque ſortilegiis, in quæ ſymbolæ conferuntur ſub ſpe lucrorum ſorte addicendorum, ſubveniri poteſt brephotrophiis, noſocomiis, aliisque pauperum & miſerorum hoſpitiis & neceſſitatibus publicæ rei. Quando enim in ſortilegia ſymbolæ ſponte conferuntur, quadamtenus ducuntur conferentes ſpe magno lucro pro ſua ſymbola potiundi, & ſimul norunt bene, multos nihil eſſe inde reportaturos. Conſentiunt ergo in anteceſſum omnes, qui perdituri ſunt, in jacturam ſuæ ſymbolæ, quoniam illa jactura exigua & fere nulla dicenda eſt, eo quod & publicæ rei ſimul conſulunt, cui certa pars ſummæ v. c. decima cedit, & privato-

vatorum haud raro inopum, fortunis locupletandis, quibus lucra obveniunt. Hæc enim in officia pecuniam, qua carere possumus, conferre licet (§. 324. *P. V. Jur. nat.*).

Quatenus vero solus lucrandi animus allicit ad sortilegia, vitia iisdem nascuntur, aluntur, diffunduntur, quod utique est illicitum (§. 323. *ibid.*). Accedit haud raro, ut in sortilegia peregrina multorum lucri cupiditate multo plus pecuniæ exportetur, quam per lucra reportatur, sæpe exigua aut plane nulla. Quod cum opes civium minuat, ipsique civitati noceat, tolerandum non est (§. 1028. *P. VIII. Jur. nat.*). Neque lucrorum abusus ab illis facile evitatur, qui tam facili negotio potiti illo sunt, vana haud raro spe majorum in posterum similiter consequendorum. Non igitur nisi rarius urgente officio melius non explendo, hujusmodi sortilegia majora præsertim vel in gratiam ptochotrophiorum, orphanotrophiorum, templorum condendorum & similium causa, ita erunt instituenda, ut vitiis istis, quantum fieri potest, simul occurratur (§. 654. *ibid.*).

De olla rotaque fortunæ emtione spei, & id genus aliis modis se locupletandi, similiter statuendum est, etiam si pecunia intra civitatem consumitur, quæ inde obtinetur. Conf. *P. V. Jur. nat.* §. 340. *seqq.*) & §. 755. *P. VIII. Jur. nat.*

§. 659.

De colligendis extra ordinem pecuniis.

Vt necessitatibus egenorum aliisque piis causis extra ordinem subveniatur, colligendæ sunt publica autoritate donatæ cæterorum civium pecuniæ, prout consultum videtur. Vti enim opes civium sunt augendæ (§. 1027. *P. VIII. Jur. nat.*): ita & inopia eorum, qui in civitate degunt, est levanda (§. 641.). Quod si ordinariis modis fieri nequit, in extraordinariis casibus, cujuscunque sint generis, ipsis quoque extra ordinem erit subveniendum.

Quare

Quare cum magiſtatus gaudeat jure extraordinariis quoque neceſſitatibus degentium in civitate conſulendi (§. 936. *P. VIII. Jur. nat.*), ejusdem eſt, extra ordinem colligendi pecuniam modos comminiſci, & ſapienter adminiſtrare, prout e re nata conſultius videtur.

Copiæ rerum & divitiis contraria eſt inopia. Nec diteſcere quisquam poteſt, niſi ſublata prius inopia. Vnde in caſibus extraordinariis, illi quoque extra ordinem eſt medendum. Nec tantum in his jure colligendi extraordinaria ſubſidia uti licet, verum & tunc, quando eorum collectio facere poteſt ad bene meritos præmiis afficiendos locupletandosque; item ad varios caſus alios, piarumque cauſarum emolumenta locupletiora. Cæterum idem hoc præceptum quoque ad neceſſitates vitæ procurandas valere, me non monente patet.

§. 660.

Alii modi divitiis civitatis & civium conſulendi. Quia civitatibus ſtudendum eſt, ut ſint potentes (§. 70. *Jur. Gent.*), & potentia quoque in divitiis conſiſtit (§. 69. *ibid.*), & civitas dives eſt, in qua multæ familiæ ſeu multi cives ſunt divites (§. 66. *ibid.*): tolerandum non eſt, ut cives bona ſua dilapident (§. 751. *P. VIII. Jur. nat.*), ideoque *prodigis dandi ſunt curatores*, qui eorum bona ſic adminiſtrent, ne dilapidari posſint (§. 752. *ibid.*); *prohibendi quoque ſunt ludi, quibus bona dilapidantur* (§. 753. *ibid.*), & puniendi, qui eis operam dant, ut cum aliorum damno evadant locupletiores, vel periclitantur pecuniam potius ſibi ad neceſſaria ac utilia reſervandam (§. 365. *P. V. Jur. nat.*) & (§. 395. *P. VIII. Jur. nat.*). *Nec permittendum, ut divites temere diſcedant*, cum opibus in civitate partis, niſi damnum inde oriturum reſarciant, æqua bonorum parte, quæ decima plerumque eſſe ſolet, relicta (§. 404. *ibid.*), & *cenſus emigrationis*, vel *detractus* dicitur; *ad quem* ex eadem ratione *quoque obligantur hæreditatem ad peregrinos exportaturi* divitum mortuorum hæredes.

Ex

Ex eadem quoque ratione *luxus perniciosus non est tolerandus* (§. 733. *ibid.*); nec permittendæ ſunt in foro litigioſorum infinitæ contentiones (§. 984. *ſeq. ibid.*), *furta* autem & *latrocinia, rapinæ, raptus ſimiliaque ſcelera vel pœnis capitalibus ſunt coërcenda* (§. 840. & 1028. *ibid.*), ſi modis mitioribus compeſci nequeunt. Facit in eundem finem, ſi opum civium augendarum cauſa (§. 1027. *ibid.*), *onera* eorum, *quantum fieri poteſt, minuantur,* ex æquo diſtribuantur, nec alia imponantur, quam quæ neceſſaria reip. adminiſtratio & defenſio exigit (§. 676. *ſeqq. ibid.*), nec usquam non uſitata & paria habentur. *Idem quoque valet de mulctis* irrogandis, & pro re nata mitigandis, remittendisve (§. 656. *ſeqq. ibid.*).

§. 661.

Quid de peregrinationibus ſtatuendum ſit?

Quandoquidem permittendum non eſt, ut parata pecunia temere copioſeque ex civitate exportetur (§. 404. *P. VIII. Jur. nat.*), quod ſine manifeſto rei privatæ & ſimul publicæ detrimento diſpendioque fieri nequit: *ferendæ non ſunt ineptæ ſumtuoſæque divitum juvenum peregrinationes*, quæ & vitia potius peregrina reportant in civitatem, quam virtutes; etſi *concedi viris nonnullis poteſt facultas, non niſi modicis ſumtibus, publicis aut privatis, ſagaci mente accurate perſcrutandi, quæ ibi in natura, arte & ſcientiis egregia & utilia ſunt*, transferendique ſecum in patriam. *Opificum autem artificumque excurſiones* ad peregrinos, cum nullis fere ſumtibus fiant, cum advenæ ibi arte ſua alantur & in eadem perficiantur; *facile concedendæ & ad bonum publicum accommodandæ ſunt.* Vtrumque in finem diligenter præparandi ſunt optima educatione animi, & virtutibus ſatis imbuendi, ut recte ſe gerere, & virtutes inter exteros augere ſtudeant, nequaquam autem ad vitam diſſolutam & vitia ſe abduci patiantur (§. 369. *ſeq. Oecon.*).

Quæ hic in genere de peregrinationibus dicuntur, ea illustrantur per ea, quæ de alio fine peregrinationum dicta sunt (§. 377. & 398. *P. I. Polit.*), & de mercatorum, literatorumque peregrinationibus præcipue valent, quibus magna pecuniæ copia exportari continenter ad exteros solet. Vnde condendas esse academias domesticas, & sic instruendas, ut omnes scientiæ & artes humaniores haud secus ibi disci possint ac inter exteros, manifestum est (§. 373. *seqq. P. II. Polit.*). Ita enim similiter ac in artibus vulgaribus tum demum permitti poterunt peregrinationes, quum profuturæ potius sunt civitati, quam nociturae, & cum vel nullo vel exiguo sumtu id emolumentum inde percipi poterit, quod intelligitur futurum esse salutare. Hoc cultioribus civitatibus in usu esse, res ipsa ubique docet.

§. 662.

Sapienter evitandum est bellum.

Summopere abhorrendum est a bello omni, quod non requirit manifesta necessitas officiorum. Rector enim civitatis nihil tolerare & admittere in rep. debet, quo subditorum divitiæ & opes minuuntur (§. 1028. *P. VIII. Jur. nat.*). Sed teste experientia tristi eaque indubitata nihil magis opes divitiasque civium & civitatis atterit & exhaurit, quam bellum (§. 482. *P. I. Polit.*). Quare id ipsum summopere vel hoc nomine evitandum esse innotescit (§. 483. *seqq. ibid.*).

Licet accurata disciplina removeatur a bello vel justo, quidquid ab eo abesse potest, quod utique est difficillimum; ipsum tamen in se ita comparatum est, ut, ubicunque geratur, sine sumtibus immensis, multarumque rerum pretiosarum detrimento & jactura, & sine ingenti fortunarum ruina geri nequeat; ne quid hic de tot hominum strage, mutilatione, captivitate, vulneratione & miseria hinc nascente addam.

§. 663.

Aut quam primum finiendum.

Omnino autem necessarium bellum ita gerendum est, ut quam primum pace firma componatur. Si enim bellum evitari non potuit, gerendum utique est (§. 629. *seq. Jur. Gent.*), sed ita, ut tendat ad inju-

injuriam avertendam, factamve reparandam, aut ad satisfaciendum pro ea, quæ reparari nequit (§ 619. *ibid.*), & ut exitum habere possit, curandum est (§. 886. *ibid.*), ideoque a rigore juris naturæ tunc recedendum, quando salvo illo finis belli obtineri nequit (§. 887. *ibid.*), ut pax quam primum coalescere, & ruina fortunarum cessare possit.

§. 664.

Quid contra incendia providendum.

Evitanda sunt, quantum datur, incendiorum pericula; oborta tamen tempestive restinguenda, & damna inde nata complurium consortium symbolis reparanda. Incendia enim, quod nemini ignotum est, multum damni inferunt civibus, & quo illa sunt majora, eo plus opum civibus auferunt. Quare ad avertenda tanta damna comparanda sunt, quæcunque in viribus humanis continentur, videlicet, ut ipsa constructio murorum, tectorum, focorum, fornacum & caminorum periculum incendii arceat, ut negligentia omnium circa ignem legibus severis coërceatur, nec occultetur incendium subortum, ut vigiles nocturni alantur, ut instrumenta ad illico restinguendum idonea præsto sint, cum aqua & hominibus promtis & peritis, ut admodum caveatur, ne incendium vicina ædificia corripiat, latiusque serpat (§. 724. *P. VIII. Jur. nat.*). Si qua tamen damna incendii averti non potuerunt, ne in egestatem vel mendicitatem incidant incendium passi, opera danda (§. 726. *ib.*). Ideoque opus est, ut instituto quodam consortio damnum ex incendio oriundum reparetur pro certa pensione annua (§. 375. *P. V. Jur. nat.*), vel pro ratis in damna incendii reparanda conferendis. Cujusmodi in pagis, quorum domus præsertim dispersæ sunt, usitantur instituta, & appellantur vulgo Feuer- vel Brand-Ordnungen. Aut illorum loco colligendæ sunt certis regionibus aut provinciis symbolæ ex misericordia suppeditatæ.

§. 665.

De avertendis eluvioni-

Cum & ex *inundationibus* & *pecudum contagiis* opes multum dimi-


bus & pecoris contagiis. diminuantur, consentientibus cunctis id expertis, & opum jactura sapienter avertenda sit (§ 619.): illis *occurrendum est aggeribus robustis*, diligenter conservatis,&, quoties opus est,reparatis, vigiliisque hominum glaciei defluentis coarcervationem pro viribus impedientium, defluxumque adjuvantium; his autem *avertendis omnibus, quæ contagium armentorum gregumque differre & communicare possunt, validisque remediis* tempestive infectis pecudibus adhibendis, & causis contagiorum tollendis (§ 719. *P. VIII. Jur. nat.*) Quæ in his damna averti non potuerunt, ea remissione onerum, symbolisque aliorum collectis minuenda sunt, si prorsus reparari nequeunt.

Possent hic complura alia commemorari, uti de alliciendis in civitatem peregrinis opulentis, de itineris commoditate transituris præstanda, ut non pauca interim consumant, de nundinis solennioribus frequentioribusque, de agyrtis, histrionibus & circumforaneis &c. non nisi caute admittendis &c. Sed ea facile intelligi possunt, ex *P. II. Polit. Sect. II. cap. i. §. 230. seqq.* & ex aliis hic disputatis.

§. 666.

Omnes & singuli sunt honeste fortunandi. Tandem *opera navanda est, ut cives ad unum omnes, cujuscunque sint vitæ generis, pro sua quisque sorte, & pro suis meritis, in civitate fortunentur, saltem ditescere licite possint, modo velint.* Curandum enim est, ut singulis civibus bene sit (§. 230. *P. II. Polit.*), & ut singuli honeste possint ditari (§. 619.). Quapropter danda est opera, ut cives, cuicunque vitæ generi sint addicti, ad unum omnes, pro sua quisque sorte & pro suis meritis honeste fortunari & locupletari possint, modo velint omnes & singuli suis officiis recte fungi.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0026899

POLITICA
WOLFII

TOM. III

A S